Profeſ
Bac

Acquired with the assistance of the

Sophia Augusta Brown

Fund

JOHN CARTER BROWN LIBRARY

EPISTOLARVM MEDICINALIVM, CONRADI GESNERI, PHILOSOPHI ET MEDICI TIGVRINI, LIBRI III.

HIS ACCESSERVNT EIVSdem *Aconiti primi Dioſcoridis Aſſeueratio, & De Oxymelitis Elleborati vtriuſq; deſcriptione & vſu Libellus. Omnia nunc primùm per* CASPARVM VVOLPHIVM *Medicum Tigurinum, in lucem data.*



Ex Libris Drs. S. Hacher

TIGVRI EXCVDEBAT CHRISTOPH. FROSCH. ANNO M.D.LXXVII.

RPJCB

CLARISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE VIRO D. IOANNI CONRADO MEIERO I. V. DOCTORI, ET INCLYTAE REIpub. Scaphuſianæ apud Heluetios Conſuli, Domino ſuo ſemper obſeruando, Caſparus Vuolphius Tigurinus Medicus S.D.

IOSIAS *Simlerus, vir probitate, ingenio, doctrina & eruditione maximè conſpicuus, Sacrarum literarum in Schola Tigurina noſtra interpres cùm primis diligens, relictis aliquantiſper, oblectandi reficiendiq; animi gratia, ſtudijs ſuis ſeuerioribus: cœpit hinc inde à viris doctis, Conradi Geſneri noſtri Medicas & Philoſophicas epiſtolas, vt vno volumine comprehenſas, paulò poſt in lucem daret, colligere. Quod quidem tanti viri ſtudium, ſumma quadam & rara erga præceptorem obſeruantia, mirabiliq; erga ſtudia liberalia animi propenſione ſuſceptum, vti laude quauis digniſsimum erat, ita certè dolendum fuit, eum in ipſo ætatis & ingenij vigore, immatura, ne dicam importuna morte nobis ereptum, non potuiſſe, quod cœperat, perficere. Et quanquam hæc tanti viri fata, nobis aliquandiu luctuoſiſsima extiterint, quòd neque Scholam noſtram, neque ipſam propemodum Rempub. literariam, eo, niſi maximo incommodo, carere poſſe intelligeremus: tamen vbi nullum ex mœrore fructum, niſi acerbum atque amarum tandem colligi videremus, & perſpicuum quoque eſſet, fruſtra de ijs rebus homines queri, quæ aliter ſe habere non poſſunt, eò nobis reuertendum confugiendumq; ſumus arbitrati, quò in rebus aduerſis atque perturbatis ſeſe recipiendum, ipſa Philoſophia perſuadet: vt nimirum & toleranter animoq; æquo ferremus, & quod*

forte cecidiſſet, id quibus poſſemus artibus atque modis corrigeremus. Ego itaque, vtcunque meam tenuitatem agnoſcerem, partim rei præclaræ admiratione, partim amicorum aßiduis flagitationibus excitatus, quod ille inſtituerat, ſi non omni, at aliqua ſaltem ex parte, perficiendum ſuſcepi. Nec etiam detrectandum putaui, quod Geſneri, atque adeò Simleri ſanctiſſimis manibus meritò ac iure deberi cognoſcerem, præſertim cum id ipſum in rei medicæ quoque vſum atque vtilitatem, cui multum debeo, ceſſurum conſtaret. Proinde ſcriptis huc atq; illuc literis, cœpi etiã ego paulatim, meos quoq; ſolicitare amicos, vt in hunc vſum candidè, quas haberent, mihi communicarent: qua in re, vt mihi gratificarentur, plerique & faciles ſeſe præbuerunt, & vt in inſtituto gnauiter pergerem, ſedulò ſunt cohortati. Itaque hoc meum factum vel verboſius excuſare, vel opus ipſum diligentius Lectori commendare, cum vtrunque per ſe ſit & plauſibile, & ad communem vtilitatem comparatum, non vſque adeò neceſſarium arbitror. Me quidem, ſpero, non excuſabunt modò, qui ad rerum cognitionem magis, quàm obtrectationem nati ſunt, verùm etiam laudabunt ij, quos huius mei facti fautores, authoresq; habui. Vt enim ea vulgò laudari ſolent, quæ à laudatißimis laude atque pretio digna æſtimantur, & ea probantur maximè, quæ probatißimorum iudicio recepta approbataq; ſunt: ita certè communicanda omnibus ego cenſuerim, quæ luce digna videntur ijs, qui in luce maxima, ipſi lucent maximè. Proinde ſi prudentum conſilio ſatiſfecero, cunctis me ſatisfeciſſe putabo. Alimenti boni & εὐχύμου indicium eſt, malo guſtui diſplicuiſſe, vt κακοχύμου eidem placere. Sed neque accuratiore totius operis commendatione opus arbitror, quando idipſum vel ſolo authoris nomine celebratum ſatis videatur, vel rerum in eo comprehenſarum varietate, pondere atque vſu, omnibus ferè, cum primis verò Medicis & Philologis, ſeſe ipſum reddat quàm commendatißimum.

A Geſnero quidem, (cuius tanta doctrinæ & eruditionis exiſtimatio eſt, ut nulli non admirabilis extiterit, et pauciſsimis ſui ordinis conferri, pleriſq; autem præferri potuerit) nihil paruum, nihil tenue aut contemnendum expectari debet. Sed neque de eius ſcriptis, quod olim de Pythagoreis quoq; ferebatur, ſine lumine aut temere eſt garriendum. Nam ut de reliquis nihil, tanta eſt in his epiſtolis rerum varietas, quæ animos iucunda quadam & ſuaui admiratione reficit, ut ceu in quodam vniuerſitatis theatro, multiplices rerum naturæ, Philoſophicæ, Medicæ, Phyſicæ, Ethicæ, Grammaticæ explicatæ aut illuſtratæ vno intuitu aſpectari poſsint. Medica ſanè plurima, eademq; ſcitu digniſsima continent, circa Methodum præſertim, et medicamentorum ſimplicium et compoſitorum cognitionem, componendi rationem, & actionis modum, quæ tantis ſunt naturæ obſcuritatibus, tantis inuolutæ difficultatibus, ut plurimorum etiam inſigniter eruditorum hominum ingenia aut exerceant, aut remorentur. His nonnunquam, grata quadam viciſsitudine, medicamenta rara, vſu tamen ipſo aut ratione comperta intermiſcentur, quæ plerique nimium anxiè priuato commodo ſtudentes, ut Aſpendij Citharœdi, ceu ſecreta occultare ſolent. In quibus ſanè omnibus, alijsq; multis, facilis admodum, ac in promouendis hominum commodis procliuis Geſneri natura elucet: dum candidè & ἀφθόνως in amicos τὰ ἀυτοῦ τιμία effundit. Quòd ſi vero ſtylum aliquis, ut nimis humilem aut facilem, nullis omnino verborum lenocinijs phaleratum reprehendere fortè audeat: is intelligat ex antiquorum placitis, ſcriptionem eodem modo, quo ipſa oratio, animi indicem eſſe. Vt enim in quotidiano ſermone verba neque aucupari, neque præcipitare ſolebat, ita in ſcribendo, neque nimis affectatus erat, neque verborum fucata lenocinia eſt ſequutus, utpote intelligens, non corticem, ſed medullam eſſe, quæ nutriat. Sic Socratis ſermones ſimplices & populares in foro

cum gratia & voluptate æquè audiebantur, vel ſolo eiuſdem nomine commendabiles, atque Prodici illius aut Gorgiæ magnificæ & ad gratiam oſtentationemq́; comparatæ orationes. Sed neq; decorum erat, Geſnerum philoſophum & naturæ admiratorem, verbis tantum ocij aut negotij tribuere, quantum ipſis rebus. Nam quemadmodum qui Philoſophicis deſtinantur ſtudijs, Grammaticis quidem præceptoribus & Rhetoribus primò traduntur: at non eo conſilio, vt vel Grammatici vel Rhetoris partes ſuſcipiant: ſic ſanè ridiculum eſſet, Geſnerum, qui in Philoſophia & rerum naturalium contemplatione ætatem conſumpſerat, licet reliquarum artium præcepta perdidiciſſet, verborum minutiſsima verboſius obſeruare debuiſſe. Interim tamen ſiue verborum elegantiam, ſiue orationis ſuauitatem ſpectare libeat, videre vtiq; erit, eum neq; Grammaticorum leges, neq; Rhetorum figuras aut ornatum, neq; ipſum, quod ad perſuadendum comparatum eſt, artificium, neglexiſſe. Nec mihi dubium ſit, quin ſi in mentem ei veniſſet (vti minimè ambitioſus erat) aliquando fore, vt in publicum ederentur, non tantùm non αὐτοσχεδίως, cuius paſsim meminit, & vrgentibus iam iam tabellarijs, ſed & maturo conſilio ad ſcribendum acceſsiſſet, & ſingularum πρωτότυπον (quod in paucißimis obſeruauit) ſibi in eum vſum reſeruaſſet. Vtcunq; tamen ἐξωτερικῶς ſcriptas eſſe plerasq́;, ipſe in ſubſcriptionibus fateatur, obſeruari tamen in ijs interim poteſt, ſumma quædam huius viri eruditio & ἐξαίρετος doctrina, quæ cum induſtria & diligentia ita erat coniuncta, vt ea etiam ἐν τῷ αὐτοσχεδιάζειν admirabilis fuerit. Quamobrem ſperandum eſt, viros rerum variarum atque vtilium lectione flagrantes, pleraq; non ſolùm libenter & cum delectatione lecturos, ſed etiam multa & magna cum vtilitate. Quæ verò vulgaria inſunt, exiſtimo, quia pauca, animi gratia legi & obſeruari debere. His autem ad hunc modum tàm in mei ipſius facti, quàm totius operis commendationem,

verboſius

verboſius quidem, quàm inſtitueram propoſitis, vnum hoc de totius operis inſtituta diſpoſitione, reſtat breuiter explicandum. Cum haſce Geſneri epiſtolas, alias quidem maturius, alias verò tardius ab amicis, pro cuiusq; opportunitate, accepiſſem: & præterea earundem argumentum varium & multiplex ſit, vt certis locis aut cancellis includere difficile eſſet: neque rerum ipſarum, quod maximè voluiſſem, neque temporum aliarumq; circumſtantiarum rationem, in earundem diſpoſitione obſeruare potui. Igitur, (quod commodiſsimum videbatur) quas ad eoſdem ſcripſit, ſerie quadam, cum nonnulla menſium dierumq; obſeruatione, deinceps omnes diſpoſui, vt hoc ordine, quæ alibi breuius aut obſcurius, alibi fortè melius explicata aut illuſtrata, non magno interuallo, legantur. Tribus autem varij argumenti libris, quartum, his adijciendum, excellentium virorum Matthioli, & quorundam eius fautorum De Aconito, epiſtolis, atque ipſius etiam Geſneri ad eaſdem reſponſionibus, deſtinaueram: quæ eam controuerſiam, ingenioſè ſanè & ſubtiliter vtrinq; diſputatam, lectori dijudicandam decernendamq; propoſuiſſent. At quoniam Geſnerus, ſui quaſi in ijs oblitus, paulò eſt vehementior: nec præterea aduerſariorum doctas licet & modeſtas reſponſiones, addere integrum eſſet, cum de eorum voluntate non conſtitiſſet: ſatius exiſtimaui, ſimul omnes ad tempus ſupprimere, quàm doctorum virorum exiſtimationem offendere. Quicquid autem vel laboris, vel diligentiæ in Geſneri noſtri, tuiq; amantiſsimi, epiſtolarum editione collocaui, tibi, vir celeberrime, vt offerrem dedicaremq;, multæ & graues me impulerunt cauſæ. Ac ante omnia quidem, incredibilis meus in te amor, quem tu illuſtribus illis tuis humanitatis atque voluntatis officijs excitaſti. Etſi enim ſingularis virtus tua, præſtansque doctrina, multis modis mihi eſſet cognitiſsima, meque adeò ad amorem cultumque tui iam pridem conuertiſſet: hæc tamen proxima

amoris fauoriſq́ ſignificatio, quam mihi, cum aliquot diebus vobiſcum eſſem, vel ipſa hoſpitalitate tua, mirificè declaraſti: effecit, non vt ego plus te amarem, neque enim poteram, ſed vt viciſsim, niſi omnino ingratus videri vellem, & grata tua mihi fuiſſe officia, & meum erga te quoq; ſtudium, animiq́ propenſionem, publicè propoſito teſtimonio, tibi comprobarem. Et quanquam hoc ipſum ſerius multò à me præſtari intelligam, quàm aut tua mihi præſtita officia, aut mea erga te egregia voluntas patiantur, ὠκεῖαι γὰρ χάριτες γλυκερώτεραι: ac præterea non neſciam, quàm exiguum hoc ſit, quod rependo, χάλκεον nimirum χρυσείου: in ſpem tamen me erigit, quòd de Diuinis Pythagoras olim referebat: Cœlites non rerum copiam, ſed animos offerentium ſpectare. Quamobrem cum non ignorem, eam ſplendeſcere in animo tuo virtutem, quæ non tàm muneris exiguitatem, quàm egregiam contribuentis voluntatem ſpectet, qualecunq; id tandem fuerit, non omnino ingratum tamen fore mihi perſuadeo. Quòd ſi verò etiam amplitudinem dignitatis fortunæq́, aut animi ingenijq́ tui præſtantiam, mihi propoſuero, ſpes mihi ſit, non ſolum librum hunc plus authoritatis habiturum, ſed & me quoq; reliquiarum Geſneri fideliſſimum tutorem videri, qui eiuſmodi patronum delegerim, apud quem non ſolùm in tuto, ſed etiam in pretio eſſe queat. Cum enim præclarè veteribus dictum ſit, multa hoc nomine pretioſa videri, quòd templis eſſent dicata: non dubito, quin ad eam commendationem, quam liber & rerum varietate & authoris celebritate eſt conſequutus, ſi tui nominis ſplendor, ſi dignitas atque authoritas acceſſerit, magnum prætereà gratiæ commendationiſq; cumulum acceſſurum. Tu ſiquidem (vt multa paucis comprehendam) vbi primùm ab his artibus, quibus ætas puerilis informari ſolet, ad ſtudia ſeueriora animum traduxiſti: in celeberrimis Germaniæ, Galliæ, Italiæq́ Academijs, ita celeriter antecellere omnibus ingenij gloria cœpiſti, vt præter

linguarum diuerſarum vſum, & artium diſciplinarumq́ cognitionem, Iuris ciuilis præterea notitiam breuiſſimo tempore tibi ſic comparaſti, vt ſummo eius facultatis, honoris dignitatisque gradu, facilè fueris decoratus. Quarum rerum omnium vſu atq; cognitione, factum eſt, vt non ſolùm exteri, qui de ingenijs aliquid iudicare poterant, te ſua conſuetudine, familiaritate atq; colloquio dignum exiſtimarint, ſed domum, ætate iam confirmata, reuerſus, non multò poſt, maiorum tuorum, in primis verò parentis tui, viri clariſſimi exemplo et imitatione, primò quidem in Senatorium collegium cooptatus, paulò verò poſt ad Quæſtoream, & nunc tandem, quam nobilitas, virtus & eruditio tua merentur, ad Conſularem dignitatem, communi ſuffragio, fueris euectus. Gratulor itaq; tibi tuoq́ nouo honori, verè et ex animo. Faxit Deus Opt. Max. vt huic dignitati diu cum laude, vt hactenus reliquis officijs, præſis atq; fruaris: & Spiritus ſancti donis magis magisq́ auctus & cumulatus, honorem hunc oneroſum his præſertim perturbatiſſimis temporibus, & onus honorificum feliciter tuearis atq; ſuſtineas. Plura de tuis virtutibus commemorarem, ſi id à me fieri ſine modeſtiæ tuæ offenſione poſſe ſperarem: & cum virtus tua, probitas atq; religio, quæ in rebus gerendis ſeſe exerit, nulli non ſit cognita, hoc ipſum mihi cauſa ſit, cur ab eorum commemoratione mihi temperandum putem. Quod ſupereſt igitur, vir ornatiſſime, abs te etiam atq; etiam peto, vt hanc meam voluntatis & obſeruantiæ ſignificationem qualemcunq; boni conſulas, meq́; et opus ipſum in fidem tutelamq́ recipias, & tua mutua beneuolentia atq; humanitate foueas. Viciſſim verò hoc tibi perſuadeas, me, quibuſcunq; rebus honeſtè potero, tuarum laudum ſemper præconem, dignitatis fautorem, omnibusq́; rebus amiciſſimum, fideliſſimumq́ futurum. Vale vir clariſſime. Datæ Tiguro Heluetiorum Metropoli. Calendis Septemb. Anno ſalutis humanæ M. D. LXXVII.

C. V. D. CONRADI GESNERI
DE SVIS EPISTOLIS LOQVENTIS.

ΕΙΔΩΛΟΠΟΙΙΑ.

HOC quia Geſnerus (ſicut eſt poſt funera natum
Illius) haud ideò ſcripſit vt edat, opus,
Muſa virum reuoca, quid enim non carmina poſſunt?
Deq́; ſuo præſens iudicet ipſe libro.
Arte nec eſt opus hic magica, neque Colchidos herbis,
Nec ter cantato carmine Theſſalico.
Queis mugire ſolum facias, maneſq́; ſepulchris
Excire, & iuſſo reddere verba modo:
Nec Delphos opus eſt ſcitatum oracula mittas,
Quod volo perſonæ fictio, Muſa, dabit.
Vix ego finieram, venit hæc (mirabile dictu)
Illius vſa modis, illius vſa gradu.
Oraq́; Geſneri grauiter mentita reſoluit,
Extemplò dictis talibus orſa loqui.
Quæ noua vulgantur noſtro hæc ſub nomine ſcripta?
Quæ ruit in nomen docta libido meum?
Summorum, ſcio, ſub titulis quandoq́; virorum
Non ſatis his digni delituêre libri.
Aſt ego nec numeris illis me aſcribo, nec addi
Noſtra aliquid ſcriptis authoritate puto.
Quin lego? Fallor, an hæc mea ſunt? certè: hæc quoq́; pergam:
Nec minus hanc noui: nec minus illa mea eſt.
Noſtra hæc, ſic memini, quondam perarauit amicis
Scripta manus. Totum vix perarauit opus.
Cuncta tamen noſtros ſapiunt, referuntq́; labores,
Et, quæcunq́; iuuat voluere, voluo mea.

Scilicet,

Scilicet, vt guttis coëunt ex pluribus imbres:
Sic coit in magnum litera multa librum.
Sed quis in hanc formam ſparſas hinc inde coëgit?
Quis tanta admouit ſedulitate manum?
Vuolphius? ô Vuolphi, noſtri ornamenta laboris,
Te ne meæ laudis tam pia cura tenet?
Nec, mihi crede, operam perdes, nec inutile prodit
Hoc opus. Haud ducor nomine: vera loquor.
Nam quia multa docet, multis quoq; proderit: Et quòd
Eſt breuis, accedet gratia magna libro:
Adde, quòd è tenui texatur epiſtola filo.
Sæpe nocent rebus grandia verba ſuis.
Tu quoq;, perpetuæ mea dum committere famæ
Nomina contendis, nomen ab orbe feres.

Authore Heinricho Vuolphio.

CONRADI GESNERI MEDICI TIGVRINI Epigrammata, & quædam alia diuerſorum generum Carmina, huc, ne quid vacaret, obiter appoſita.

ORATIO DOMINICA.

O Parens hominum, poliq; cultor,
Sit ſanctum atq; ſacrum tuum vſq; nomen,
Et regnum æthereum venito nobis.
Fiat velle tuum, hîc perinde vt illic.
Da nobis hodie cibum perennem,
Et culpis veniam benignè noſtris,
Sic vt nos alijs damus viciſſim.
Tentari neq; nos ſinas precamur,
Semperq; eripias malis periclis.

De Iactura temporis.

Fallere dum tempus conamur, fallimur ipſi,
Lubrica ſic miſerè nobis elabitur ætas,
Atque abit ignaris. Vt qui defeſſa ſopori
Membra dedit, ſomnoq́; diu vinoq́; ſepultus,
Temporis haud vllam partem ſibi ſentit abire,
Excuſſo demum ſomno, ſibi inutile tempus,
Tantum abijſſe videt, cum non reuocabile ſit iam:
Torpida ſic hominum pars maxima tranſigit æuum,
Pœnitet ac ſerò miſeros, prudentior ætas
Cum tandem euigilat lapſis iuuenilibus annis.

¶ Vitæ Lubricitas.

Anguillæ ſimilis vita eſt, ſic lubrica fertur,
Et quò ſolicitè premitur magis, effugit illa
Lubricitate ſua citius, linquitq́; prementem.

In Clepſydram.

Labitur hæc vt arena, ſimul mea labitur ætas,
Et vaſe in fragili non minùs atque vitro.
Sed dominus Chriſtus, qui mundi & temporis idem
Eſt Deus, æternùm me ſimilemq́; ſibi
Reddet: vt æternùm hinc, rediuiuo & corpore quondam,
Mens viuat, miſerum hæc Speſq́; Fideſq́; beat.

In Clepſydram monaſticha.

Cuncta trahunt, rapiuntq́;, ruuntq́; celerrima fata:
Vita vt arena fluit: ô homo diſce mori.

¶ Aliud.

Quid magis eſt homini certum; quàm mortis ἀνάγκη?
Quid ſic incertum; mortis vt hora ſuæ?

¶ Aliud, Clepſydra loquitur.

Nunc abs te vertor; poſtquam tranſiuero, rurſum
Verſurus me an ſis, dic mihi, ſcire potes?

Aliud.

Verto quidem nunc te, ſed poſtquam effluxeris, inde
An iterum vertam neſcio; Fata latent.

In Hippocratem, ex Græco.

En lux Hippocrates vitæ mortalibus ægris,
Dat facilem curſum, dirigit atque vitam.

In eundem Epitaphium ex Græco.

Theſſalus Hippocrates ſitus eſt hîc, Cous ab ortu,
Egregium germen ſtirpis Apolloneæ.
Armis qui ſtatuit Medicis permulta trophæa,
Et non forte ſibi, ſed tulit arte decus.

Theriacæ à Valerando Douretz Flandro Lugduni confectæ diſtichon.

Ipſe Antoninus Valerandi, deinde Galeni
Theriacam guſtans: Vtra ait eſt ab vtro?

Aliud.

Singula theriaces lectiſſima pharmaca cum ſint,
Quis totam eximiam non putet Antidotum?

Aliud.

Artificis fide manus omnia miſcuit, Emptor,
Digna eſt, cui fidas, crede mihi, Antidotus.

In Q. Calabrum Geſneri inſcriptio.

Geſneri Calaber ſum delitiæ Tigurini,
Simq́; diu cupio, ſic fata ſua ſinant.

In Bibliothecam noſtram.

Non mihi, ſed ſtudijs communibus iſta paraui.
Sic vos non vobis mellificatis apes.

Ioh. Iacobo Ammiano Tigurino.

Mitto tibi fungum, non qualem Claudius edit,
Pars Strobili, pars eſt mellis arundinei.
Suauior hic multò, multoq́; ſalubrior idem,
Quàm quos è putri terra vapore parit.

Ioanni Friſio Tigurino.

Tu qui pitiſſator merorum es maximus,
Οἰνοκρίτης τ᾽ ἄριστος:
Hoc mihi pitiſſa quæſo mi Friſi merum,
Σοφῇ τε γλώσσῃ γεῦσ.
Id ſi palatum comprobarit Friſij,
Εἶναι τε γενναῖον φῇ:
Nihil morari me poterit, quin mox emam.
Ἔρρωσο, καὶ φίλει με.

Eidem anno 1562.

Artis opem medicæ Friſi chariſsime quondam
Petere ſolebas à tuo Geſnero,
At nunc ille ſibi medicum te quærit, & orat,
Vt οἰνίατρος ſis benignus ipſi.
Et facilis promus miſerè nunc ventre dolenti.
Vino generoſo de tua cella eget.
Inde ipſi excellens ſi miſeris, οἰνιάτρόν σε
Ἄριστον *ore prædicabit pleno.*

Eidem Kalend. Ianuarij.

Martius en panis, en preſsi lactis ouilli
Tantillum, & nectar, ſtrenula quanta ſumus?
Sed magno magnus quam mittit amicus amico,
Ex animo: quoniam hunc mittere non potuit.

Ἰω. Φρισίῳ Κον. Γεσνῆρος.

Νέκταρ ἰδοὺ ὀλίγον, καὶ Μουνιχίοιο πλακοῦντος,

καὶ τυ-

καὶ τυροῖο τρύφος· ἔστι δὲ πάντ᾽ ὀλίγα.
Οὐκ ὀλίγος δὲ φίλος φιλεόντων ταῦτα φερίστου
Ἐκ θυμοῦ πέμπει· τὸν δὲ γὰρ οὐ δύναται.

Ænigma.

Nulla mihi maxilla, nec os, nec denique labra,
Dentibus eduris omnia vinco tamen.
Oſſa mihi, nec non rigidiſſima robora cedunt,
Καὶ γάλα πηκτὸν ἐμοὶ ἔντομόν ἐστιν ἅπαν.

Aurum.

Perdo viros, perdorq; viciſſim, palleo quamuis,
Non metuo, metuor. & ſine voce ſono.
Et quod non habeo, dono. ſapientia, virtus,
Vita & forma mihi nulla, ſed ex me alijs.
Res perfecta putor, materna excindar ab aluo
Quamuis, nec partu legitimo pariar.
Vita mihi minus eſt, quàm quos Ægyptus in hortis
Naſcentes bulbos religioſa colit:
Sum tamen his longè maior Deus, & mihi ſemper
Omnibus in terris vota homines faciunt.

De vino ex Græco epigrammate περὶ πορδῆς mutato.

Οἶνος ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος ἄνδρας,
Οἶνος καὶ σώζει πινόμενος μετρίως.
Οὐκοῦν εἰ σώζει, καὶ ἀποκτείνει πάλιν οἶνος,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην οἶνος ἔχει δύναμιν.

Inſcriptio calicis argentei.

Quid bibis vt edas, edis vt bibas?
Quid viuis vt edas & bibas?
Ede & bibe, vt viuas.

IN MALA MEDICA MINORA TIGVRI nata, ad CL. V. D. Henricum Bullingerum, Conradi Geſneri Carmen.

Has tibi primitias anni poma aurea mitto,
Bullingere pater mihi terq́ quaterq́ colende,
Felicis mali, quondam qua Media tellus
Et Perſis ſolæ gaudebant, perpete fructu.
Nunc etiam Tigurum: quamuis immitibus alpes
Aſpirant ventis, proferre incœpit: & huius
Plantandæ nobis depacto è ſemine primus,
Aßidua cura dum creſceret, extitit author
Illuſtris prætor, longè optimus ille Iacobus
Funckius, ille decus patriæ, cœtusq́ piorum,
Plurima qui nobis ſupereſſet tempora dignus.
Sed meliora illi Dominus Deus annuit æui
Æterni, & vitæ melioris gaudia vera.
Quîs non Heſperidum certent, nec Adonidis ulli,
Alcinoiue horti: quibus & nihil audijt auris,
Nec vidêre oculi quicquam præſtantius vnquam:
Nec mentes hominum potuerunt cernere: tanta
Electis Deus in cœlis & talia donat.

EPISTOLARVM MEDICINALIVM CONRADI GESNERI PHILOSOPHI ET MEDICI Tigurini, Liber primus.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim, S. Cæſ. Maieſt. Medico intimo.*

QVATERNAE literæ tuæ, intra totidem menſes mihi redditæ ſunt: quarum binę priores menſe Martio à te perſcriptæ ſunt, tertiæ Maio, quartæ Iulio. Et quoniam ferè idem argumentum eſt omnium, non eſt quod ad ſingulas reſpondeam. Petrus Perna his diebus ex Italia rediens (Venetias enim propter ſua quædam negocia nuper profectus erat) cum hac tranſiret, me inuiſit: itaq; commodè factum eſt, vt conſilia Montani quæ iam ſe habere aiebat, ei commendarem quàm potui debuiq; maximè. Reſpondit is, editionem ſibi eamq; maturam, curæ futuram. Præfationem quoq; tuam, & literas ad ipſum, quas nuper ad Vrſinum miſeras, vt acciperet curaui. In poſterum quoq; per amicos ſimul & literas meas hortari eum ad editionem maturandam non deſinam, vt tibi ſimul gratificer, ſimul (quod mihi perpetuum eſt propoſitum) rem medicam noſtram quibuſcunque poſſum modis promoueam. Literas tuas ſuperiore anno ad Rondeletium ſcriptas, quas ego ad doctiſsimũ virum & ſummum Rondeletij amicum, Iacobum Dalechampium nomine, Lugduni Medicum miſeram, intercidiſſe doleo. Rondeletius quidem antea ſæpius ad me ſcribere ſolitus, iamdiu intermiſit: poſtquam vxorem iuniorem duxit, nunc totus in ſuis quibuſdam ſcriptis edendis eſt. Matthiolum à viris doctrina excellentibus, inter quos vel principem locum tibi attribuo, laudari, eiusq; in Dioſcoridem ſtudium prædicari, non hercle illi inuideo. Partim enim meretur, partim iam ætate forſan torpidior, his laudibus excitatur, vt magis magisq; ſubinde nobis Dioſcoridem, & vniuerſam materiam medicam illuſtret. Ad eandem verò rem forſitan etiam riualitas & contentio noſtra aliquid momenti adfert: veſtrisq; laudibus, quæ certè quo-

rundam nimiæ in ipſum videntur, ita vt animum eius remittere,
ne dicam effœminare poſſent, ceu condimentum aliquod ſua acri-
monia ſtimulans accedit. Non enim ſuper Aconito ſolùm, ſed alijs
nonnullis ab eo diſſentio, & in ijs quos partim edidi libris, par-
tim, ſi vixero, edam. Diſſentire autem mihi licere arbitror, ſi id
cum ratione & veterum authoritate fiat. Fiet autem (ſi modò fiet)
poſthac multò ſimplicius, quàm ſemel olim factum eſt. Simplex
autem diſſenſio, etiamſi nominetur à quo diſſentis, non iudicanda
eſt immodeſta. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Nuper integro menſe curandæ
valetudinis meæ cauſa in Thermis, & exercitij, in Rhæticis alpi-
bus abfui, ad ſummam vſque vallem Tellinam & Burmias Thermas
progreſſus. Inde domum reuerſus epiſtolam tuam inueni, medio
ſcilicet Iulio, quæ in fine Maij ſcripta erat; in qua præter alia
Theoph. Paracelſi errorum meminiſti: & petis vt mittam ad te
Catalogum eius ſcriptorum: quem ego certè non habeo: neque cu-
raui vt haberem, & ſi facilè potuiſſem, cum illum planè indignum
cuius inter bonos ſcriptores mentio fieret, iudicarem. bonos dico,
non ſolùm eruditos, ſed Chriſtianos, & pios ſaltem ciuiliter, ſicut
& Ethnici fuerunt. Theophraſtus verò certè impius homo & ma-
gus fuit, & cum dæmonibus communicauit. Mitto Schedam Ger-
manicè ſcriptam, quam à Io. Montano quodam Sileſio eius diſci-
pulo, ſuperiore anno nactus ſum. Librorum eius nondum edito-
rum, nihil habeo, præter pauca quædam folia experimentorum
quorundam, in quibus tamen nihil egregij eſt: & ipſe Montanus
ea contemnebat tanquam Theophraſto parum digna. Baſileę Me-
dicus eſt, Caroloſtadij Theologi defuncti filius, planè Theophra
ſteus: qui de vita longa libellum eius ante annũ edidit. Video ple-
roſque huius farinę homines Ἀρειανοὺς εἶναι καὶ τὴν τοῦ χριστοῦ ἡμῶν θεότητα ἀρνεῖσθαι.
hinc eſſe puto quod in ſcheda Montani illius Sileſij (Strigenſem
eſſe & Schultzium appellari audio) omnes noſtri temporis Theo-
logi damnantur. Oporinus Baſileæ olim diſcipulus Theophraſti,
& familiaris fuit, is mira de eius cum dæmonibus commercio prę
dicat. Aſtrologiam vanam, Geomantiam, Necromantiam, & hu-
iuſmodi artes prohibitas exercent. Equidē ſuſpicor illos ex Drui-
darum reliquijs eſſe, qui apud Celtas veteres in ſubterraneis locis
à dæmonibus aliquot annis erudiebantur: quod noſtra memoria
in Hiſpania adhuc Salamancæ factitatum conſtat. Ex illa ſchola
prodierunt, quos vulgò ſcholaſticos vagantes nominabant, inter
quos Fauſtus quidam non ita pridem mortuus, mirè celebratur.
Pro libello De Succino, eiuſque deſtillatione, maximas tibi gratias
habeo.

habeo. Stylus & tractatio Cordum mihi ſapere videntur: & velim te diligentius inquirere, vt Cordi operibus, ſi non diſſuades, aliâs accedat. Nunc enim prima eorum editio (vnà cum meo De hortis Germaniæ libro) Argentinæ excuſa ad nundinas Francfordienſes deuehetur: negligenter nimis & malè impreſſa, ita vt propemodum eius me pudeat, quod ad Orthographiam & diſtinctiones. In ijs tui etiam mentio fit, in præfatione libelli De deſtillatione Vitrioli. Exemplar vnum ad te mitterem hoc tempore, ſi haberem, poſſem enim nunc Auguſtam mittere commodè ex nundinis quibuſdam quę Zurzachij ad Rhenum propè nos bis anno celebrantur, ſed nondum perfecta eſt editio, ad Kal. Septembris demùm abſoluenda: quo tempore Typographus ad nundinas deſcendit, vt ante Octobrem vix ſim accepturus. Interea ſcribe an ex Lindauia accipere poſsis, ſi non mittam. His ſcriptis reperi propoſitiones à te miſſas nebulonis illius Alexandri à Suchten: de cuius in re medica cauſis & curationibus morborum imperitia, vt nihil dicam (neq; enim opus eſt apud te) vide quem nobis conſpicuum Dei filium faciat, non alium ſcilicet quàm ſpiritum mundi & naturæ, eundemq; corporis noſtri (mirum quod non etiam aſini ac bouis addit) qui artificio diſcipulorum Theophraſti, à materia ſeu corporibus elementorum ſeparari poteſt. Si quis ipſum vrgeat, dicet ſe philoſophorum ſententiam retuliſſe, non ſuam: atqui ita recitat, vt laudet. Et ſcio alios quoq; Theophraſteos talia ſuis ſcriptis aſpergere: vnde Chriſti diuinitatem eos negare facilè appareat. Ipſum quidem Theophraſtum Arianum fuiſſe, omninò mihi conſtat. Hoc agunt, vt Chriſtum omninò nudum hominem fuiſſe, perſuadeant: nec alium in eo ſpiritum quàm in nobis eſſe. Scio in Polonia & dudum Arianos multos fuiſſe, & nuper ab Italis quibuſdam eò profectis ipſorum numerum augeri. Itaque & hanc ob cauſam, & vt artis medicæ noſtræ fundamenta ac methodum ſecundum Hipp. & Galenum veriſsimè traditam, tuearis, oro te & hortor, vir doctiſsime, vt omnibus modis te illis calumniatoribus, Magis, et Arianis opponas. Qua in re ſi quid ego etiã potero, non deero. Carolſtadius ille Baſilienſis, Bodenſtein dictus, ante paucos menſes miſerat huc imprimendum Theophraſti De Anatome corporis humani libellum: in quo multa eadem continentur, quæ in propoſitionibus Alexandri à Suchten. deridet in eo Medicos ſingulas corporis particulas inquirentes, deque ſitu ſingularum, figura, numero, temperie, &c. curioſè differentes: id verò quod potiſsimum eſt negligentes, ad quæ ſcilicet ſydera, ad

quas cœli partes quæq; pertineant. Sed Typographi noſtri imprimere noluerunt. Audio & magnum volumen, De notis naturæ ab eo conſcriptum. Cœli enim influxu exiſtimat notas quaſdem in ſingulis medicamentis ſimplicibus impreſſas reperiri: ex quibus de præcipuis ſingularum facultatibus iudicandum ſit: vt quod teſta nucis iuglandis (quoniã craneum noſtrum refert) ſummum à natura ad vulnera, omniaq; mala cranei factum ſit remedium. Cum Theſſalo enim commune hoc habet, quod primarum qualitatum nomina & effectus contemnit. Oxymeli meum elleboratũ maximas habere vires, & fœlicisſimum eius vſum innumeris experimentis, cognoui. Meliorem tamen eius compoſitionem ſimpliciorem q; fieri poſſe, non dubito. Quod ſi ad vnum aliquem morbum compoſitum eſſet, tam multa in eo ſimplicia miſceri improbarem. At quoniam πολύχρηστον eſt, ex multis componi debuit. Et quia elleborum radicem venenatam recipit, alia multa addi debuerunt, quæ partim venenum illud retunderent, partim gratiam aliquam medicamento adderent, partim alias ob cauſas. Sed rem facies mihi pergratam, ſi aliam eius compoſitionem tum ſimpliciorem, tum meliore methodo inſtitutam mediteris, & ad me mittas. interea quidem noſtro vti ſi voles, nullo periculo, & (non dubito) magna cum laude poteris. Syrupi tui de carduo (benedictum vulgò dictum intelligere te puto) compoſitionem & vſum per ocium plenius mihi deſcribi cupio. In epiſtolis tuis ad Matthiolum nihil me offendit. Pro eo quod ad animi lenitatem et conſenſionem mecum inuitaſti hominem, gratias habeo. Liber eius an Pragæ nunc imprimatur, ſcire cupio. Scribe quęſo quęnam ſit herba Springkraut vel Hirſchmelden Vratiſlauiæ (vbi ad paludes eam naſci aiunt) dicta. Deſtillatam ex ea aquam in calculo renum mirificè prædicant. Pro Porcilijs duorum generum miſsis ad me piſciculis, gratias habeo maximas. Neuter quidem Porcilius Pauſanius videtur: ſed alius quidam barbatulus, qui & vocem quandã edit. Vale. Tiguri 1561. Auguſti die 16.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim, S. Cæſ. Maieſt. Medico intimo.*

ACcepi ante paucos dies literas tuas V. CL. Pragæ ex aula datas, quibus teſtimonium reddis herbæ, quam pro Aconito

Matthiolus

Matthiolus pinxit, abs te viſæ. Ego pro hac diligentia tua, & in Matthiolum meq; beneuolentia tibi gratias habeo, teſtimonium accepto: ſed ita vt talem herbam ſiccam, qualem ipſe pinxit, te vidiſſe facilè concedam: radicem verò ipſam vt terræ inhæret carere fibris neq; hanc neq; aliam vllam (etſi plures ipſe ſine fibris pinxerit, quas Donzellinus ἀναιδῶς, φύσει etiam carere fibris aſſerere in verboſiſsima ad me epiſtola auſus eſt, vt gentianam, glycyrrhizam, Chondrillam, &c.) radicem propriè dictam, conceſſero: & vt maximè talis ſit, qualis pingitur ſiue natura, ſiue ſiccitate, ſiue etiam arte aliqua, Aconitum tamen eſſe, & venenoſam herbam, credere non poſſum. Doronici verò ſpeciem eſſe tantum non affirmo: folia ὑποτραχέα eſſe ſcribis, quæ vidiſti: mallem te latinè ſcripſiſſe, aſperáne an hirſuta intelligas. Sed plura non addam: ſi ſuę cauſæ fidit Matthiolus, & amicitiam noſtram verè expetit, herbam ipſam ad me mittat, integram bona fide recepturus, & ſimul aliquid ex rariſsimis meis. Hoc ſi fecerit, candidè, & rem ſe dignam fecerit. Sin minus, etſi in priſtina dubitatione ego perſtabo (qui plantis, niſi plenam virium, ſaporis, odoris totiusq; formæ deſcriptionem congruere videam, non facilè nomina impono, aut imponentibus aliis faueo) faciam tamen hoc in gratiam & tuam & Matthioli, vt Matthioli nomine poſthac vel omnino abſtineam, vel vbi antehac etiam nominaui, deleam: vel ſi omnino tulerit occaſio, honorificè tantum eius (vt te velle intelligo) meminerim. Hæc ſi tibi & illi ſatisfacient, bene eſt: ſin minus, ſaxum hoc voluere amplius deſinamus. meliora enim nobis agenda plurima reſtant. Perſcriptæ à te ſalutationes Medicorum Cæſareorum D. D. Lauræi, & D. D. CL. Chirurgi, cuius nomen hactenus non audieram, pergratæ fuerunt. D. Laurço quidem Hortos Germaniæ dedicaui, exemplar miſi, aliquoties ſcripſi, reſponſum hactenus nullum tuli, quod ægrè fero. Hodie (Nouembris penultimo) binas tuas accepi: alteras Octobris die 14. à te datas, alteras 19. ad quas breuiſsimè reſpondeo, quoniam nuncius iamiam offertur Lindauiam profecturus. Filiolum tuum Dominus Deus tibi conſeruet. Quod ad Typographorum promiſſa, video te deceptum hactenus, & meritò conqueri, doleo à Norimbergenſi etiam iniuriam tibi factam, quod neſciebam. Ad Pernam ipſe ſcribam, vt petis, diligenter: etſi fortè nihil amplius efficiam, quàm quod ab eo ad me ſcriptum eſt nuper, quod an tibi ſignificarim neſcio (nec iam inuenio literas illas eius ad me) ſe ſcilicet impreſſurum conſilia Montani, tua intra annum hoc eſt, ni fallor,

intra anni ſpatium incepturum. Vrgebo vt ipſe reſcribat, quò me lius intelligas. Scorzoneræ ſpecies duas Ienæ inuentas amicus nu per miſit. reperitur & apud Valleſios noſtros circa Sedunum, & ſpecies vna apud nos: & è Gallia iampridem accepi, ſeminibus ex Hiſpania miſsis. Ego, vt ingenuè dicam quod ſentio, Tragopogoni eam congenerem facio. eruditi quidam Galli Cantabricam eſſe putabant. Acetum cum pauco elleboro albo contrito deſtillatum, nuper febrientibus quibuſdam in quartana & quotidiana vtiliter dedi, nulla commotione, & gratus eſt liquor. Vale V. CL. & ignoſce feſtinationi: ſub prandium tuas accepi, & illico pranſus reſcripſi, non relegi. Tiguri 1562.

CONRADVS GESNERVS IOANNI
Cratoni à Crafftheim.

PRo crebris & eruditiſsimis literis tuis, vir clariſsime, quibus non modò plurimùm oblector, ſed etiam proficio ſubinde, quantum tibi debeam, intelligo: atque vtinam gratum me exhibere aliquando poſsim. Ego ſi rarius, breuius, & nimium ex tempore ad te ſcribo, ignoſces & condonabis occupationibus meis: quę tot tantæque ſunt, vt vel enumerare illas mihi nunc graue foret. Vtinam liceret tecum crebro philoſophari, & veras rerum cauſas, methodos, & alia huiuſmodi, quæ ſupra vulgarium Medicorum captum ſunt, ex tuis tum libris editis, aut edendis, tùm benigniſſimis ad me literis addiſcere. Sed neſcio quomodo hæc mihi felicitas negatur, & ab hac ſolidioris doctrinæ ceu acropoli à nimijs & importunis negocijs meis deijcior ac impedior. Semper equidem optaui tàm in philoſophia, quàm in re medica primam & vniuerſalem aliquam cognitionem adipiſci, tanquàm τῶν κατὰ μέρος καὶ ἐμπειρικῶν γνώσεων excellentiorem & facundiorem: ſed in iuuentute huic deſiderio meo præceptores, ſtudiorum ſocij, aliæque occaſiones defuerunt: nunc ſeneſcentem ætas infirmior cohibet, & occupationum obruit multitudo. Quamobrem vt iuuenis cœpi ἐν τοῖς μερικοῖς μᾶλλον διατρίβειν: ita nunc etiam pergo lucubrationibus meis πάντα τὰ τῶν κατὰ φύσιν ὑπαρχόντων καθ' ἕκαστον illuſtrare, inque ijs me exercere: his autem quantum tribuo temporis, tantum detraho τοῖς καθόλου. Quamobrem non miraberis, quod, etſi philoſophiam in ſchola noſtra doceo, ſed pueros ferè & adoleſcentes, atque in compendijs quibuſdam librorum potius, quàm fontibus Ariſtotelis, περὶ τὰ καθόλου: tamen τῆς ἐν φιλοσοφίᾳ τε καὶ ἰατρικῇ μεθόδου rudior eſſe videar, aut ſim re-

uera.

uera. Tibi interea cōgratulor, cui τὰ καθολικώτερα perſequi datum ſit. Inchoatam de lapidum & gemmarum viribus diſputationem, ad aliud tēpus differamus cupio, interpoſitis ceu inducijs ad ociū vſq; maius. Interim excitaſſe te ita vt abſq; iracundia à me diſſentires, & obiter egregia quædam in arte noſtra, circa auri præcipuè vires ac vſum, quæ antehac non ita nec adeò mihi innotuerant, mecum communicares; iucundum & vtile mihi fuit: in illis præſertim epiſtolis duabus, quas Ianuarij die 28. & poſtridie ad me dediſti. Quæ de peſtis præſernatione & curatione ſcribis, in illis facilè acerrimo iudicio tuo accedo. Oxymeli meum elleboratum, defendi, ni fallor, aliâs (duæ illæ tuæ epiſtolæ deciderant mihi in angulum quendam poſt pulpitum, ita vt diu hactenus deſiderarem: nec potuerim aptè reſpondere: hodie primùm reperi) ſcribis oxymeli meum non conuenire illis quorum ſtomachus ſit εὐαίσθητος, habitus rarioris, & morbis articulorum obnoxijs: atqui in me hæc tria ferè conueniunt, (nam iſchiade acriter laboraui, & reliquias adhuc ſentio) & inuor tamen: & alij nemini obfuiſſe adhuc percepi. nam nec ſæpe, nec multum, vt periculum aliquod vel raſionis inteſtinorum vel aliud ſit metuendum, ſed parciſſimè & rarò, hoc eſt, bis aut ter, ni morbus ſit cōtumacior, & bene ferant, eo vtendum conſulo. Poteſt etiam abſq; aceto præparari vt multo ſuauius fiat, vt cum defruto liquidiore, per autumnum cum muſto decoqui. Sed hæc & huiuſmodi nuper etiam ad te ſcripſi. Placet mihi interim tua quoq; eius compoſitio, & quin ea nonnullis & ad quædam vtilior futura ſit quàm mea, non dubito: proq; ea mihi communicata, gratias ago. Scribis plebeios homines aurum exhibere ad expulſionem morbillorum cum ſucceſſu: modum non addis. Arbitror autem de folijs auri te ſentire. Aurum aliquo modo reſolutum nunquam dubitaui vires aliquas peculiares obtinere. Sed quanquam in tenuiſsima folia redactum, non videtur propter ſoliditatem corpora noſtra immutare poſſe, nec à calore noſtro infirmiore ſcilicet ad actum deduci, aut certè multò minus quàm in liquorem aliquem ſolutum. Memini veteres contra aconitum propinaſſe aquam in qua aurum fuiſſet extinctum. Remedium illud Caniceni Cæſarei Medici, libentiſsimè cognoui, ex cryſtallo, ſmaragdo, margaritis & corallis: ſed in eo vim præcipuam corallis tribuo: quoniam qualitas eorum manifeſta eſt nobis guſtantibus. Et ſunt illi non tam λίθοι quàm λιθόφυτα quædam, vnde & lithodendri nomen corallo veteres tribuerunt, & margaritæ etiam in lapidum genere non ſunt, etſi lapilli κατ᾽ ἐξοχὴν appel-

lantur. Lapidibus & gemmis non ἁπλῶς καὶ καθόλου vires nego: ſed illos quibus ferè Medici & pharmacopolæ vtuntur ad cor roborandum præcipuè, dico mihi videri nullam inſignem habere qualitatem, qua id præ cæteris medicamentis præſtent: cùm nec veterum ſolidius eruditorum, nec noſtri ſeculi doctrina excellentium hominum authoritas illis patrocinetur: neq; iudicium quod à guſtatu & odore præcipuè ſumi ſolet: neq; experientia denique ſyncera. Voco autem ſynceram, quæ ſine alijs medicamentis quæ non ſint lapides, admixtis fiat. Admixtis autem alijs dubium ſit, an his ipſis potius quàm lapidibus aſcribi effectus debeat. Quòd ſi per ſe manifeſtè aliquid facerent, aut alijs addita vim eorum euidenter augerent, nihil de eorum viribus dubitarem propter ipſam experientiam: qua ſubinde occultas aliquas rerum vires, quas ratio noſtra à ſenſibus dependens per ſe non aſſequitur, experimur. Hyacinthi colorem mùtari, dum geſtatur affecto corde, eſto: & ſimiliter coralli: fieri hoc ego putarim à vaporibus, qui à corpore ægro exhalant: non inde quòd peculiaris ei cum corde ſympathia ſit. Video ferè indoctiſsimos quoſque & maximè ſuperſtitioſos homines, cùm olim, tùm nunc lapidibus alijsquè apotropæis, amuletis & rebus eiuſmodi, quarum ratio nulla ferè conſtat, & experientia plerunque fallit, plurimum tribuiſſe. Credulitas fortè & perſuaſio in nonnullis aliquid faciunt: nec mirum in paucis aliquando ſuccedere, quod in plurimis tentatur. Φύσις νόσων ἰατροί· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ πολλάκις ἰᾶσθαι τὰ ἰάματα. σοφοῦ δὲ τὰ κατὰ συμβεβηκὸς τῶν καθ' αὑτὰ διακρίνειν. Paraui ego aliquoties ſyrupum è ſucco moris rubi Idæi expreſſo: qui me ita oblectat, tùm aſpectu floridiſsimi & pellucidi ruboris, tùm odore πάντων τῶν ὀσφραντῶν gratiſsimo καὶ ἥκιστα καρωτικῷ, tùm ſapore ſuauiſsimo inter dulcem et acidum, vt gemmis pleriſque in corde & ore ventriculi roborandis eum anteponam: idq; expertus in me ipſo & alijs, modò ſyrupi huius, modò gemmarum (vt vulgo præparantur) vſum. Vbi tu mihi tales ἱστορίας καὶ ἐμπειρίας de vſitatis noſtris gemmis proferes, quales de citrei pomi aduerſus venena, & Lemniæ terræ contra eadem ac peſtem, apud veteres legimus? Interim Deum opificem rerum omnium, ita vt in hominis vſum omnia fecerit, in gemmis profectò admiror & veneror tanquam ſtellis quibuſdam terreſtribus, & non ſolùm ad oblectationem & ſplendorem vel has, vel illas ab eo conditas iudico: ſed peculiares etiam vires ſiue ſingulis ſiue omnibus additas arbitror: abuſus ſuperſtitionis καὶ τὸ ἄγαν non probo. Quod in alijs

medica-

medicamentis minoris precij vires eaſdem inuenire poſſumus omnes, illa tam precioſa promiſcuè etiam tenuioris fortunæ hominibus conſulere vel imperitia, vel oſtentatio, vel etiam impietas quædam erga pauperiores fuerit, ſi quis ſciens faciat. Hæc tibi propono Vir doctiſsime, non tecum vt contendam à quo edoceri cupio: ſed perpendenda maturius. Epiſtolæ huius paginam præcedẽtem ſcripſi 22. Aprilis veſperi, cum poſtridie ſummo mane tabellarium me habiturum putarem, & cum alia quædam vrgerent, argumentũ hoc περὶ λίθων differendum putabam: ſed cum tabellarius poſtea iter ſibi aliò futurum indicaret, poſtridie quantumuis occupatus hæc effundere volui, & tuo iudicio ſubijcere: nihil enim mearũ cogitationum latere te velim. Os de corde cerui reperiri non negaui, tu verò ita ſcribis, quaſi ego negarim. Vicinus quidam meus nobilis Venator plura mihi oſsicula, quæ ceruinis cordibus exemit ipſe, oſtendit: & me quoq; deprehendiſſe memini. An verò eius ea ſit vis, quam illi tribuunt Arabes & eorum ſectatores, non deſinam dubitare, donec certior experientia me cõuincat. Elleborum album optimum in alpibus reperiri, non eſt mihi dubium: ſicuti & peſsimum & mediocrem, ſi quis non ſuis locis legat. In balano ipſe ſuppoſui truncum radicis deraſum: nihil omnino fecit, vt hoc argumento non ſit metuendus. Interim ſcio quàm ſit periculoſus eius vſus, ſi quis temere vtatur. Ego iam aliquoties in me & alijs manifeſtam percepi vtilitatem, vt neq; oxymeli, neq; vinum (cuius duo parua cochlearia egregiè per ſuperiora purgant) neq; liquorem cum aceto deſtillatũ (qui vomitorius non eſt, ſed aperit tantum) nunquam dediſſe me pœnituerit. Interim laudo medicationes tuas, quibus in diuturnis febribus paulatim incidis atq; educis materiam. Sed idem faciunt ea quæ dixi, cũ parcè ſumpta, nullam prorſus violentiam præ ſe ferant. Vix credas oxymelite noſtro ſumpto, multos alacriores & robuſtiores fieri ad aliquot horas poſt, ab acrimonia puto quadam vinoſa caput petente, ſed abſq; læſione, vt à vino modicè ſumpto. Placet mihi Galeni noſtri methodus, nec habeo ferè quod in ea mutem: in particularibus verò medicamentis multa indies perpetuò nouabuntur, quibus vtcunq; optimis imperiti homines ſemper abutentur, rectè verò ſoli periti vtentur. Epiſtolam tuam ad Pernam legi, placuit, eam ei tranſmiſi Martij die 14. vnà cum ſcripto tuo contra Θεοφραςίους Medicos Arianos. Epiſtolam verò illam Pernæ ad te, quam te ei remittere ſcribis: non inueni cum ijs quæ miſiſti: & parum referre puto. Phædronis Theophraſtei Medici, &

impiiſsimi Magi libellos Germanicos aliquot Ingolſtadij impreſſos vidiſſe te iam puto. Ferunt eum nunc Auguſtæ in potentium domibus clam facere medicinam. Pullulat & in Polonia impietas Arij cùm inter Theologos, tum Medicos aliosq́; quam Blandrata Medicus Italus promouere dicitur. Calamenthi inodori nomine quam herbam appelles non memini: mihi omnis calamentha propriè dicenda odorata videtur. In breuibus tuis literis 29. Ianuarij ſcriptis, nihil continetur ad quod iam non reſponderim: niſi quod à me quæris, qua intentione acetum cum elleboro albo deſtillatum in longis febribus & quartanis prodeſſe putem: cum acetū in quartana & pituitoſis corporibus fugiendum Medici pręcipiant pleriq;. Reſpondeo aceti vſum quod nimis refrigeret in his mihi etiam improbari: ſed in tantilla doſi bis aut ter duntaxat, vt penetret & incidat potentius, elleboro calidiſsimo medicamento addito, vt iā calfaciat magis quā refrigeret, vbi humores craſsi ſunt, in remotis præſertim vt liene, non modò non nocere, ſed etiā prodeſſe mihi videri, experientia atteſtante. Quod Matthiolus ſuum Aconitum quandiu viuit à ſe non dimiſſurus eſt, etſi ſuſpectā hoc ipſo reddit cauſam ſuā, &c. (quid enim multa dicam?) hoc ipſum tamen ei condono & de beneuolentia mea, qua profectò ipſum etiam tacitè amplector tanquam ſymmyſtam eorundem ſtudiorum, & eiuſdem gloriæ in promouenda rerum natura cupidum. Kentmannus olim de me benemeritus eſt. ab eo enim ad viuum pictas accepi innumeras & rariſsimas ſtirpes, piſces & alia, cum deſcriptionibus quibuſdam: & magnum rerum foſsilium numerū: propter quæ beneficia gratus eſſe volui: in gratitudinis ſignū promiſi ei aliquando Moſchionem de morbis muliebribus, & eius nomen inſcribendum: ſed tum ſperabā aliud exemplar Græcum emendatius, (vnicum enim manuſcriptum corruptiſsimum habeo) me nanciſci poſſe, ea ſpe rem diutius diſtuli: tandem deſperās Caſsium à me verſum dedicaui: ſed ille iam aliquot annis ſiue propter hanc promiſsi (etſi tempus nō præſcripſeram) dilationem, ſiue aliam ob cauſam mihi incognitam, nihil prorſus ad me literarū dat, & ne ſalutare quidem dignatur, cū interim ego ſæpius & officioſiſsimè ad ipſum ſcripſerim, dedicationem miſerim, &c. Idem circa alios quoſdam in Saxonia; Ge. Fabriciū præcipuè & Peucerū mihi cōtigit, etſi his nihil promiſi: fero hæc æquo animo. Deus interim alios viros bonos mihi conciliat qui me cōſolātur: inter quos te quoq; principe loco numero. Quod ad Aconitum Pardalianches inter Kentmanni picturas, nullam ab eo ac-
cepi

cepi hoc nomine niſi Toram Valdenſium meam, quã ego perpe-tuò à viginti iam annis, vt ſcripta mea edita teſtantur, Aconitũ pri mũ eſſe dixi. His ſcriptis in epiſtola Kentmanni vltima aut penul-tima ad me hęc verba reperi. Aconitũ Pardalianches ipſe vidi (de Tora mea loquitur) ſicut & cætera omnia ſimplicia in meo libro depicta: quæ ſumma diligentia & mea manu feci, &c. Hæc pro meo, non pro Matthioli Aconito faciunt. Sed hęc miſſa faciamus. Satis profeciſti τῇ μισητείᾳ σου ſi nos ad modeſtiã deinceps ſcribendi, & quę immodeſtius antehac ſcripta ſunt abolendi facultatem ac beneuo-lentiam mutuam compoſueris: id quod in me quidẽ iam effeciſti, præſertim ſi idẽ fecerit Matthiolus. Etſi enim nunc ſtatui ſeruatu-rum me modum, quicquid ille faciat: neſcio tamen quid noua ira mihi commota fortaſsis in me excitaret, Τὰ περὶ τοῦ Κεντμάννου, καθὼς ἠξίωσας ἐξηφάνισα. ἐστι δὲ καὶ ἐμοὶ νῦν ἡ αὐτὴ περὶ αὐτοῦ γνώμη. τοσοῦτόν ἐστι ἔργον τὸ γνῶναι τοὺς ἀνθρώπους. Ὅμοιος δ' αὐτῷ καὶ ὁ Δάφ. δοκεῖ: κενόδοξος πάνυ, φιλότιμος καὶ φιλόπλουτος, μᾶλλον ἢ φιλόσοφος. ἀλλὰ καὶ συ ταῦτα ἀφανίζει. Sabinæ fœminę baccas vi dere gratum fuit: etſi iuuenis etiam aliquando apud nos vidi: nam in papatu colebatur ea arbor, nunc negligitur. Precioſos & odora tiſsimos illos de ſuccino trochiſcos me accepiſſe iã prius ſcripſi, ſemel an bis neſcio. Cõſiderationem de Ambra reijcio in aliquod ocium. Matthioli herbarium Germanicũ exiuiſſe gaudeo: compa raturus enim mihi cum primũ licuerit. Spero Auguſtã aduectum iri: vbi per amicos forſan habere potero: etſi timeo ne id tardius fiat: & ægrè morã fero. Proinde ſi tu potes ad me curare maturè, quodcunq; preciũ ſcripſeris ſtatim cum gratiarũ actione remittã. His ſcriptis Froſchouerus ſuperueniẽs Francfordiæ ſe emiſſe mi-hi ait. proinde nõ eſt quod mittas. Opera Val. Cordi nõ denuo ſub prælo ſunt, vt putabas. quandocũq; tamẽ fuerint, memor ero emen dandorũ, &c. His diebus aliud Cordi ſcriptũ περὶ τοῦ ἁλὸς ἄνθους accepi: id ſperma Ceti vulgò dictũ eſſe putat, ego valde dubito: & ſi edã, argumenta aliqua fortè contra hanc ſententiã, ponam. De ſuccino etenim eius libellũ hodie me accepturũ expecto à D. Heroldo, & piſciũ deſcriptiones Venetijs ab eo cõfectas cũ picturis, &c. Dedi cationes aliquas à me editas eſſe nũcupatas viris nec eruditis, nec magni apud ſuos nominis, vt iampridẽ ſcripſiſti, fateor, ſed grati-tudinis officiũ id à me poſtulare videbatur. ὡς περὶ τοῦ Κεντάνδρου ἤδη ἔγραψα. Libellũ meũ de Anima qui in D. Iulij nomine apparuit, mit-to: & peto vt per ocium cum inſpexeris, liberè de ijs quæ tibi vide buntur admoneas. Coniunxit quidẽ cum alijs eiuſdem argumen-

ti libris Typographus, Viuis, Melanchthonis, Viti Amerbachij: ſed in meam gratiam pauca aliquot exemplaria ſeorſim impreſſit, ex quibus vnum mitto. Remitto literas quas ſine inſcriptione prius miſeram: & vt Francofortum mittas rogo: ac, ſi fieri poteſt, reſponſum mihi impetres. Subitò, nec relegi. Facio domi omnia ſolus, nullo miniſtro. Vale feliciſsimè. Tiguri 1563. Aprilis 24.

CONRADVS GESNERVS IOANNI
Cratoni à Crafftheim.

AD literas tuas ſcriptas Martij die 25. nunc demum reſpondeo. De filiola amiſſa tibi condoleo: de valetudine tua iam meliore συγχαίρω. De Godefrido tuo, longo iam tempore nihil accepi: & miror Hieremiam Martium Auguſtanum (qui è Monſpelio ante duos menſes ad me ſcripſit,) nullam eius mentionem facere. Vtinam (quod ſpero) benè valeat. De ſchola Monſpeliana non poſſum vt vellem iudicare: in re medica nihil tàm illic quàm Anatomica & ſtirpium hiſtoriam vberius quàm in aliis gymnaſijs Monſpelij addiſcet. Philoſophiæ & Græcarum literarum nulla illic ratio. Si videbitur hortaberis vt hac hyeme diligentior ſit: & quicquid Monſpelij diſci poteſt, addiſcat. Vere autem ſequentis anni, vt Lutetiam ſe conferat ei author ſis: vbi quotidie præter medicas lectiones eruditiſsimas, horam vnam regio Profeſſori Phyſica Ariſtotelis Græcè interpretãti tribuat, ita vt lectionum ſuarum, quas audierit ſcriptos à ſe Cõmentarios oſtendere poſſit. Quod ſi tandem in Italia quoque morari aliquandiu poſſet, Patauij nempe aliquot menſibus: inde Florentiam ſe conferret, & hoſpitalis illic omnium celeberrimi Medicis aliquandiu ſe adiungeret (ſic enim plus vno menſe videret, quàm alibi toto anno) & ægrotorum omnium hiſtorias curationesque conficeret, nõ dubito, quin breui excellentiſsimus foret Medicus. Iſagogen tuam vel de oleorum deſtillatione librum, nondum accepi: quanquam Typographi Vincentij generum rogaueram vt mihi adferret. Aeſtate proxima Icones quadrupedum etiam auctas edidi: & Aquatilium iconum editionem primam. Pœcilian piſcem ſiccatum vt mittas expecto: & picturam quoque, ſi ea quã ego exhibui, minus proba videbitur. De herba Split quę ſcripſiſti libenter legi: quanquam eadem Aloyſius ipſe ad me perſcripſit. De eius vſu & viribus chartam Germanicè ſcriptam, iam non reperio: nec vacaret deſcribere propter ſubitum nuncij præſentis diſceſſum.

Fiet

Fiet autem aliâs, præſertim ſi admonueris vel vno verbo. Cum Matthiolo non conuenit mihi propter Aconitum primum, ſi vacat lege Appendicem Matthioli in vltima eius editione ad caput de Aconito. Donzellinus κακῶς μιμητὴς, cum illo enim colludit. Ego fortaſſe breui edito de Aconitis libello, cuius amplam materiam in promptu habeo, nugas & figmenta ipſorum detegam: ita vt magis omnis oratio mea ad harum rerum ſtudioſos erudiendos ſpectet, quàm traducendum quenquam. Aulicum Alphabetum ſimpliciter profectò ad te miſi, nec aliud quicquam in mentem mihi venit. His ſcriptis iterum relegi tuas, & intellexi, ad ea quæ de Valerio Cordo ad me ſcripſiſti, pertinere. Quod ſi vt puto epiſtola illa tua nondum impreſſa eſt, emendabitur locus. Typographus quidem expectationem meam fefellit: iamdudum enim opus abſoluendum promiſerat. De Succini deſtillatione doctrinam cuiuſcunque authoris cupio vt mittas: etſi in libro tuo illam complexus es ſatis plenè. Deſidero etiam Dioſcoridem tuum. in hoc enim ſcriptore, vt græcè præſertim emaculatiſsimus prodeat, laboro: Auguſtam ad Moibanum mittere poteris: vel Norimbergam ad D. Hieronymum Heroldum Medicum: vel ſi non prius potes, ad vernas Francfordiæ futuras nundinas ad Froſchouerum. Vale feliciter. Res in Gallia hoc tempore maximè perturbatæ ſunt: & euentus incertus, quò ſit euaſurus expectatur indies, ſuſpenſis omnium animis. Tiguri Octobris die 6. Anno 60.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

Literæ tuæ datæ 19. Nouembris, Calendis Ianuarij noui huius ineuntis anni (quem tibi feliciſsimum opto) mihi redditæ ſunt, vnà cum literis ad Vrſinum noſtrum. Ille quidem mihi meritò chariſsimus eſt, nunc commendatione tua (quam ipſi indicaui) charior futurus, ſi ipſe voluerit: eſt enim vel nimium modeſtus, vel nimis etiam ſtudijs addictus: ita vt & rarius me accedat, & operam meam non requirat: quæ tamen ei ſi vti vellet, paratiſsima foret. Iuuenis certè optimus, magnæ eruditionis, maioriſque expectationis eſt. Eadem hora qua tuas accepi, quoniam nuncius Lindauiam contingebat, feſtinanter hæc reſcripſi. Intellexeram iampridem ab Vrſino literas meas ad te non perueniſſe, eoque nomine, vt me excuſaret, rogaueram. Nuper etiam Auguſtam ad Moibanum noſtrum ſcripſi: & vt literas meas ad te mittendas bis

ſaltem accepiſſe ſe(quod faſſus eſt)tibi indicaret,rogaui. Ad priores inquam tuas hoc anno datas bis reſcripſi: & ad Moibanũ miſi,ad illas quibus indicas quis Cordo Diſpenſatorij condendi author fuerit,non memini,an reſcripſerim. Statim verò illis perlectis Argentinam ad Typographum ſcripſi,vt ſi epiſtola tua (quo illa continentur) nondum edita eſſet, quæ monuiſti emendaret. Sed ab eo tempore nihil reſpondit ille:neque an Cordi opera cum meo libello excuſa ſint aut excudantur, reſcire adhuc potui. Magna æſtatis ſuperioris & autumni parte iſchiade laboraui ſatis grauiter,thermis ſum vſus, & alijs rebus impeditus. Neſcio quãobrem Typographus Argentinenſis tandiu differat editionem Cordi librorum, quam tamen abſoluere cogetur propter magnã partem iam impreſſam. Quicquid erit meis aut Vrſini literis Deo volente,intelliges. His diebus (die ſabbati poſt natalem Domini ſummo mane) oſtentum in aëre igneum & ſanguinei coloris longè lateq; viſum eſt. quo Deus nimirum ad pœnitentiã nos vocat. Gaudeo lectiones Montani per te emendatas Baſileæ imprimi: & hortor vt etiã reliqua Montani quę habes,publicæ vtilitati adornes. Ego ſi vixero, Typographum aliquem mediocriter bonum & gratum,tibi inueniam,ſpero. Ex meis nihil hoc anno editũ eſt: præterquam Icones Quadrupedum ac piſcium cum ſuis Nomenclaturis ex ſecunda editione, piſciũ verò ex prima. Nunc propter turbulenta iſta tempora, certi nihil ago. In Anglia & Scotia Eccleſias bene ſe habere audimus : in Gallia quoq; liberatos captiuos: & maiorem Euangelij promouendi ſpem eſſe. Valdenſes etiã à Duce ſuo Sabaudo, cuius vim bis retuderunt Dei auxilio, magna pecunia ſe liberaſſe. Matthioli doctrinæ & conatibus faueo: & ſi quæ vitia humana habet, ignoſco. Diſſentit à me in Aconito, Cytiſo,Laburno,Loto:interim amicitiam meam admittit, ſi nuſquam ab eo diſſentire velim:quod ego polliceri nolui. Sed nolo te his noſtris contentionibus obtundere:malo publicè ei reſpondere omni cum modeſtia(nam Guilandini λοιδορίας minimè probo)ita vt lectorem rerum ipſarum cognitionẽ doceam, nõ cum Matthiolo altercer. Expectaui multum iam temporis, ſi fortè fictitiũ ſuum Aconitum intereà ad me mitteret ipſe,aut alius. ſed nunquàm exhibebit cuiquam non magis quàm centaurum aut chymæram. Sed quæ & quanta ſit diligentia noſtra in vniuerſa ſtirpium hiſtoria, ſi Deus vitam annuerit,videbis. Si me amas,neq; Matthioli cauſam, ambitioſi nimiùm profectò hominis, eloquentia tua defendes:neq; Guilandini aut meam(quanquam longè diuerſa eſt) ſcri-

pro publico improbabis. Omnes noſtra vitia habemus: & cauſę alienæ ſe admiſcere, vbi opus non eſt, περιττὸν καὶ περίεργον. Ego quicquid ſcripſero, nulla mordacitate duabus paginis (abſit inuidia dicto) plura docebo lectorem, quàm ille toto volumine, ſi ſcripta aliena ei adimas. Sed plura non vacat: imò ne hæc quidem relegere. Vale Tiguri Calend. Ianuarij. 1561.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

QVæ de Godefridi tui ſtudijs promouendis ſtatuiſti, ac ipſo primùm Lutetiam, deinde Louanium, deniq; in Italiã mittendo, placent. Librum inchoatum De deſtillationibus rogo & hortor vt abſoluas: inueniam tibi bonum & liberalem aliquem, vt ſpero, Typographum: eumq; Baſileę vel potius Lugduni. Lugdunenſis enim Typographus facilè præter tuum priuilegium, alterum à Rege ſuo acciperet, & ita libentius imprimeret. Titulum operis mitte: conditiones pręſcribe, quas facilè admitti poſſe ſperes: et quando miſſurus ſis (ſi opus ſit) vel omnia, vel primam partem, ſcribe. Præfationem etiam, in qua eorum quæ tu præſtitiſti, totiusq; operis rationem reddas lectori, ſi placet, adiunge: & curabo vt breui reſponſum accipias. nam per amicos facilè Lugdunum mittam ad Io. Dalechampium primarium illic Medicum mihi amiciſsimũ, cuius opera ſubinde vtor: qui Typographis oſtendet. Sunt autem illic plures & omnes ferè diligentes: & vno recuſante, conueniet alios. Sum certè tibi hac in re inſeruire paratiſsimus, tùm propter te tuasq; virtutes: tùm quia, vt de poſteritate benè merear, omnes ferè meas cogitationes impendo. Quòd ſi Typographus commodus contingat, dabis operam (meo quidem conſilio) vt Montani quoque extent γνήσια, coniungantur omnia. Ante biennium ferè Auguſtæ D. Lucas Stengelin (qui librum Montani De medicamentorum doctrina edidit) mihi narrabat, ſe huius authoris (quo cum diu domi familiariter vixiſſet) multa nondum edita habere. Deterreri quidem poſſunt Typographi ab ijs quæ extant edendis: cum audiunt multa adhuc nondum edita reperiri: & ea ne quis alius vnà cum ſuis recudat, metuunt: ſed priuilegio forſan aduerſus hanc iniuriam munirentur. Lugduni prius Conſilia Montani enchiridij forma impreſsit Ioannes Fr. de Gabiano, cum priuilegio ad decennium, ſed hoc pertinet ſolùm ad 150. Conſultationes, non ſimpliciter à

Reinero Solenandro emendatas, quod factum eſt anno 1558. poſt Donzellini & Philippi Bechij editiones, vt titulus præ ſe fert. Vicomercati librum in Meteora Lugduno mihi adferendum tuo nomine expectabam nuper, ſed fruſtra, literis meis malè curatis, quare alia occaſio expectanda eſt. Francofordia nunc accerſere potuiſſes. Decembris die 14. anni 1560. ad D. Moibanum ſcripſi de oxymelite meo elleborato: idque ſcriptum, vt tecum etiam communicaret, rogaui. quod ſi fecerit, iudicium tuum deſidero: & à te quoque ex ſecretioribus tuis remedijs aliquid viciſsim mihi communicari: id quod ſemper mutuò facies: & ſi quid cælandum exiſtimaueris (ſicut ego oxymeli meum) cælabo. Split herbam accepi, ſed contritam & radiculas aliquot eius è monte Baldo, vbi chelidonium per κατάχρησιν à ruſticis vocatur. Vires ei attributas καθ' ὑπερβολὴν cerebrum corroborandi exhilarandique mirificè, in me experiendo, nullas deprehendi: & fortè non in quibuſuis, ſed melancholicis tantùm ſe exerunt. Sed noua pleraque remedia ὑπερβολικῶς extolli videmus. Val. Cordi opera nimis diu intermiſſa, ad Pẽtecoſten proximam abſoluta iri Typographus ad me ſcripſit. Apud Valgriſium fortè Donzellinus editionem tuam impediuit, ne ſuæ incommodaret. videtur is homo pereruditus quidem, ſed ad φιλαυτίαν & φιλοτιμίαν propenſior, ſic ſumus homines. Pro ijs quæ de conciliando mihi Matthiolo tam diligenter & amanter ſcripſiſti, magnas tibi gratias habeo. De rationibus meis aduerſantibus Aconito ipſius, & approbantibus meum, priuatim ad eum ſcribendum amplius non duco. Scripſi ſemel & iterum: quanquam ab eo etiam tempore plura quæ meæ ſententiæ fauent, acceſſerunt. Ipſe rationes meas omnes frangere poteſt, & inter ſummos amicos habere, ſi herbam ipſam, quam Aconitum facit, aut aliquam eius partem (folium, radicem) ad me miſerit. hoc vnum publicè & priuatim ab eo petij. Hac liberalitate ſua quandiu me non dignatur, amicitia eius carere poſſum: quam alioqui maximi facerem. Σκορπιοειδεῖς radices plures diuerſorum generum ego vidi, ſed omnes ſalubrium herbarum. Sine me quod ſyncerè ex animo ſentio & multis modis probare poſſum (probabo autem, vbi Matthiolum amicitia ſe non dignari me, neque mittere vllam ſui Aconiti partem velle, ne te quidem tanto interceſſore, intellexero) docere etiam alios, & quæ veriſsima exiſtimo, in nullius gratiam diſsimulare. Pro epiſtola eius ad Guilandinũ ad te miſſa, maximas H. T. gratias habeo: & gaudeo eum ad aliquam animi lenitatem traductum. Quod ſi in editione proxima, à me quoque ſimplicius & modeſtius

modeſtius diſſenſerit, quod eum facere cupio: videbit ſe non fru- ſtra id feciſſe: & me quoq; in poſterum ab eo vel prorſus non diſ- ſenſurum, niſi veritatis vi alicubi fortè cogar, vel ſobriè mode- ſteq; omnino, ita vt amicus ab amico diſſentire videar. Virtutes eius & doctrinam libenter vt agnoſco: ita etiam publicè prædi- cabo. Aconitum primum, noſti Marantam, virum alioqui in- comparabilem circa rei herbariæ cognitionem, facere Doroni- cum vulgò dictum, ſed magno errore, vt ego aſſero. Idem CL. V. Matthiolus aliquando vidiſſe mihi videtur (ſunt autem ſpecies eius tres aut quatuor, ni fallor) ego duas vidi & habui, vnam ad- huc alo, & propter deſcriptionem aliquo modo conuenientem pro Aconito pinxiſſe: radicem verò non probè expreſsiſſe. Hanc mihi in hac palæſtra exercitatiſsimo, ſi quiſquam alius (faueto gloriæ, quæ tantis mihi laboribus conſtitit) ſententiam, niſi ipſe ſenſus & res præſens, nemo excutiet. Ad ſenſum & naturam ip- ſam prouoco. An vltra hominis vnius fidem his in rebus prouo- care nefas? Tædet me pigetq; his nugis tantum temporis dare. De Laburno etiam, Anagyride, & Cytiſo, in quibus non ita, vt debuit, de me ſcripſit Matthiolus, ſententiam meam veterum & rerum ipſarum teſtimonijs perfacilè munire poſſum. Sciat me non tam ex forma, vt ipſe ſuum Aconitum, quam ſenſu etiam, & quæ ab eo iudicantur viribus, & experientia ipſa ſtatuere ſolere, quæ vel conijcio, vel ſtatuo. Sed hæc ſatis ſuperq;. Dedi hoc amicitiæ tuæ, vt tantum hac de re ſcriberem, rebus alijs occupatiſsimus. Kentmannus ab Aloyſio Aconiti nomen primùm accepit: ego ab illorum neutro, nec alio quoquam: ſed αὐτοδίδακτος & primus an- te annos ferè XX. publicè ſcripſi Toram Valdenſium Aconitum eſſe: cui folia plura vno naſci, tria ſcilicet aut quatuor, ex Kent- manni picturis primùm vidi, deinde herbis ipſis aridis ad me miſ- ſis: æſtate verò ſuperiori, è montibus mihi allatæ nonnullæ, etiam quina folia produxerunt. Species duę ſunt, maior cucumeris pro- pè folium habet: minor cyclaminis. Radices nec omnes nec ſem- per æquè σκορπιοειδεῖς ſunt, nec ſemper eodem candore, quo alio- qui cæteras ferè radices pleraſq; vincunt, &c. Pete obſecro, vt vel tibi Matthiolus ſui Aconiti particulam mittat: quam tu mihi communices: id ſi feceris, ego meum tùm pluribus folijs, tùm ra- dice prorſus ſcorpioide & cauſtica, mittam, quod in Aconito pri- mo Galenus requirit, non minus quàm in ſecundis. Matthiolus verò ſuum frigidiſsimum & narcoticum facit, quum Dioſcoride teſte torporem ſcorpijs inferat: quod per accidens fit. quęcunque

enim moriuntur, aut morti proxima ſunt, ferè torpent. Volui me coërcere: ſed non poſſum. paratus ſum quamcunque pecuniam deponere, Matthioli Aconitum primum, lethalem vim neque refrigerando, neque vrendo poſsidere: hoc niſi verum ſit, nihil amplius mihi credas. Hæc tamen à te adhuc diſsimulari velim: nec ego tale quid vnquam publicè ſcribam: præſertim ſi ipſe quoque calumnias ſuas & malè citata ex libris meis, vt de Cytiſo, corrigat. Non vacat plura: ignoſce. Doctrinam deſtillationis ſuccini, mittes cum commodum erit. Vale Tiguri 1561. Martij die 17.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

SCripſi ad te nono Iulij: nunc oblato Auguſtam nuncio has inconditas & nimirum feſtinatas ad te dare volui. Vltimę tuę nono Kalend. Septemb. datæ ſunt, penultimæ verò in die D. Ioannis Baptiſtæ. In his miraris, ellebořum album oxymeliti meo me admiſcere. Compoſitionem ad te ſcripſi, & vtendi modum: quem ſi experiri volueris, re ipſa felicem & ſalubrem experieris. Paulatim ſine moleſtia, ſine vomitu præſtat hoc oxymeli, quod elleborus ipſe ſemel ſumptus copioſius magno cum periculo & moleſtia præſtaret. ſi tamen ad ℥ j. aut paulò plus ſumatur, vomitus moleſtos & vehementes ipſum quoque concitat. Matthioli de ſtirpibus volumen, quando ſit proditurum Germanicè, quando item Latinè, ſignificari abs te, ſatis eſt mihi: neque enim adeò feſtinant mea. Tempora hæc perturbatiſsima, Typographos etiam apud nos & alibi à bonorum librorum, in humanioribus literis præſertim & re medica editionibus, deterrent. Inteſtini Galliarum motus & bella magis magiſque gliſcunt, & externorum quoque militum acceſsionibus ad vtranque partem augentur. Intra anni ſpatium vltra centum millia Gallorum ab vtraque parte occiſa computantur: interea etiam peſtis graſſatur Lutetiæ tam ſæua, vt nuper vno die ad nongenta funera è Xenodochio elata ſint. Hæc in præſentia reſcire potui: expectamus autem indies nouas & maximas mutationes. Deus omnia in ſui nominis gloriam conuertat. Moibanus fel. mem. Euporiſta Dioſcoridis non potuit abſoluere: & iam morti proximus Achillem Gaſſerum Medicum rogauit, vt perficienda ad me mitteret: id quod rogante Gaſſero facturum me recepi: & iam ferè perfeci, Dei gratia.

Typographum tamen nondum reperi. Interea rogo, vt de eius vita, ſtudijs, laudibus, familia aut parente aliquid ad me, aut ad lectorem ſimpliciter perſcribas. Mitto Theophraſti Paracelſi de vita longa librum, qui nuper Baſileæ auctior editus eſt. Multi etiam literati viri, iuniores præſertim ad Theophraſti hæreſin declinant. De Thermis Sileſiæ ſcriptum cum abſolueris, mitte. Clagenfurti in Carinthia (oppidum eſſe aiunt duobus miliaribus diſtans à S. Vito) audio Medicum eſſe Sibenburgenſem, qui herbarum ſiccarum quinque Tomos habeat: qua de re ſi quid certius reſcire poſſes (peto autem vt coneris) nec diſſuaderes, literas ad ipſum per te darem. Vale Tiguri 1561. Octob. die 18.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

DEbui iamdudum V. CL. epiſtolæ tuæ reſpondere: & id ſanè an fecerim, non memini: adeò nulla mihi memoria conſtat: neque literas tuas modò inuenio: ſcribere tamen volui, & meas adiungere Pernæ ad te literis, quas his diebus accepi. Doleo te aduerſis caſibus vrgeri. Sed Deus qui cauſam honeſtam dedit, dabit etiam conſtantiam in aduerſis, & aliquando meliora. Tu verò vir optime, conſcientiæ tuæ acquieſcere & pietatem ſynceram tueri perge. ἄλκιμος ἴσω ἵνα τις σε καὶ ἐσόπισθεν εὖ εἴπῃ. Ego te perpetuo colere & amare pergo, teque vt idem facias rogo, & ſumma liberalitate omnia mecum agas. offendere enim me non potes propter firmiſsimam illam de tua pietate, doctrina & virtutibus in animo meo perſuaſionem. Reſedit in me cogitatio illa reſpondendi Matthiolo de Aconitis & alijs quibuſdam. ἄξει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. Memini me vltimis meis ad te ſcripſiſſe, de oxymelite elleborato meo, & rogaſſe vt quomodo melior & concinnior eius compoſitio fieri poſſet, indicares. Ipſum quidem per ſe medicamentum ſumma cum admiratione quotidie feliciſsimũ experior, tùm aliâs, tùm circa aſthmata, orthopnœas, mouẽdos menſes, epilepſias, &c. ita vt ſi artificioſior eius compoſitio foret, plura etiam de eo ſperarẽ. Rogaui etiã vt compoſitionẽ ſyrupi de carduo benedicto ad me perſcriberes. Cordi opera accepiſſe te non dubito: quæ autumno ſuperiore miſi: quæ vtinã non tàm fœdè deprauata negligentia Typographi exiuiſſent: qui etiã vltimas caſtigationes

meas non addidit. Spero autem, eas ſeorſim nunc excuſas eſſe: quas vbi accepero ad te mittam, modò admoneas. Noui hoc tempore nihil eſt apud nos. Caſsij Iatroſophiſtæ problemata Medica Græcè & Latinè ex mea interpretatione patruelis meus hîc excudit, nec dum abſoluit: vehet autem ad nundinas. Diu me Frobenij detinuerunt, in quorum gratiam prolegomena prolixa ſcripſi in Galeni opera latina, quæ nunc ab eis impreſſa Francfordiam vehentur. Nunc meum de Thermis librum parabo: interea ſemper augentur ſtirpes meæ: circa quas innumeris obſeruationibus iam penè obruor, & tanto tam multa conſcribendi labore deterreor, tam ingrato præſertim ſeculo. Vale Tiguri 1562. Februarij die 15.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

ACcepi his diebus literas tuas doctiſsime D. Crato: quæ nunc feſtinanti mihi non occurrunt: nihil autem ferè illis contineri puto quod reſponſum vrgeat. Scribis te accepiſſe meas quaſdam: & de Matthioli Aconito quæ ſcripſeris vera eſſe. qua de re iam reſpondi: item de Medico qui eſt Clagenfurti, multa illum collegiſſe, ſed ſine iudicio. ego verò in plantis colligendis iudicium non cenſeo adhibendum: ſed Medico cui ocium non deeſt, aut qui ex profeſſo id agat, colligendas eſſe quotquot occurrunt omnes: & ordine aliquo reponendas, quod ipſum tamen non eſt neceſſe. index enim additus, quod ordini deeſt, ſarcierit. Optas mihi potius herbas à D. Vuoyſelo collectas: quem equidem credo plurimas rariſsimáſque in Gallia Italiáque collegiſſe. ſed cum me iam antea illas pleraſque omnes habere putem, nolim tanto itinere fruſtra ad me mitti. Illi nouo marito (neque enim antehac ſciebam) omnia feliciſsima opto: quòd ſi me amare pergit, illarum duntaxat ſtirpium, quas rariores ſe habere putat, méque eis fortè carere, breuem catalogum ad me det, vt paucas ex illis fortè petam, remiſſurus etiam ſi volet cum aliquo fœnore & gratiarum actione. ſic fortè etiam in noſtra ſtirpium hiſtoria ſui honorificè nominandi occaſionem mihi faciet. Medicus ille Clagenfurti habet fortè aliquas mihi rariores, non in Gallia Italiáque ſed alijs regionibus inuentas, vt in patria (nam Sibenburgenſem eſſe aiunt) aut alibi. Quòd ſi fieri poſſet, vt illarum, quas habet reconditas, ſtirpium non

omnino vulgarium catalogum, mihi ab eo meo tuóue aut quouis nomine impetrares, rem faceres mihi longè gratiſsimam. De me quidem omnia hominis grati officia ei polliceri & tanquam fideiubere non dubitabis, ſpero. De oxymelite noſtro quidnam tibi ſucceſſerit, ſcribe. Ego nuper elleborum album cum aceto deſtillaui, & eum liquorem iam ter aut quater in longis febribus feliciter propinaui. Moibani volumen imperfectum, iam Dei gratia abſolui: cum ſciero tibi quando cudi debeat, ſignificabo. Interim maturè quæ de ipſo ſcribere potes vt petij, perſcribe. In medicamento illo contra peſtem, quod nuper communicaſti, cum vulgus Medicorum aurum, gemmas & os de corde cerui admiſceat, dubia maximè & incerta remedia, ac quibus ego nunquam vti ſoleo, ſed tu fortaſſe aliter de gemmis, auro, oſſe de corde cerui ſentis, vt ſignifices peto. Video medicamentis illis vim eſſe refrigerandi mediocriter & ſiccandi: quæ duo coniuncta reſiſtunt putredini in corporibus purgatis & bono victu vtentibus. tertia his accedit aſtrictoria facultas, quæ vt reliquas partes, ita cor nimirum corroborat. Poſſet idem alijs medicamentis & fortè melius præſtari Tormentilla & ſimilibus: ſed dandum aliquid perſuaſioni diuitum præſertim, & principum. De margaritis & corallijs minus dubito: & corallijs non rarò feliciter vtor: de reliquis gemmis an aliquas vires easq́ diuerſas obtineant, valdè dubito: & cupio te qui in virorum principum remedijs experiendi occaſionem habes, diligentius hæc obſeruare. Præſeruandi quidem gratia; remedij huius tui vim aliquam eſſe puto, (quanquam & nocere poteſt non purgatis & non bono victu vtentibus corporibus, malos humores retinendo.) In curatione verò Medicum tàm leui medicamento vti, arte Medica indignum mihi videtur. Extremis enim morbis extrema remedia conueniunt. Pellendum eſt venenum foras vi magna ijs quæ calorem in corpore magnum excitant, ſiue per ſe, ſiue per accidens, & aqua frigida apud Rhaſim copioſè pota ad ſudorem: quam miror noſtris temporibus neminem experiri. Quòd ſi quæ remedia leuiora aliquibus profuerunt, id ſanè per accidens factum videtur ſudoris ratione, quem plerique omnes in huius mali curatione vel cogere ſolent: ita vt ſæpe cogitarim non medicamenta plerunque eſſe quæ hunc morbum curent, ſed ſudorem. vix enim vlla ſine ſudore hoc faciunt, cum illo autem pleraq́ omnia. ſed deſino noctuas Athenas. Tu hæc melius cogitabis, meq́ admonebis vbi errare videbor tàm liberè, quã ego profectò cupidè id abs te expecto. Pleuritis quæ-

dã notha hoc tempore apud nos graſſatur cum tuſsi moleſtiſsima: quæ & ipſa ferè ſudando in lecto, nulla ſectione venæ curatur. De Paracelſo & contra eius impoſturas ſcribendi locus tibi dabitur aliâs prolixius fortè: & libello vel epiſtola ea de re ex profeſſo tractante: quoniam res tanti eſt. Si quid autem eiuſmodi ſcripſeris, nec inuenias Typographum, ad me (ſi placet) mittito: ego quantùm in me erit, editionem promouebo. facilius quidem cum alijs quibuſdam & in maiori opere, quàm per ſe libellum tantillum Typographi admitterent. Libri Theophraſti, tres de Vita longa ſuperiore anno hîc ſunt impreſsi: nuper verò Baſileæ duo alij eiſdem additi, à Perna puto: & Mylœcij (Milhuſiæ) de doſibus medicinarum liber eiuſdem. Cordi opera, ſi quando imprimantur denuò, curabo, vt quæ emendanda miſiſti, emendentur, ſi vixero. Tiguri 1562. Decembr. die 28. Feſtinationem non excuſabo amplius: iam enim ferè te aſſuetum puto.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Craſſtheim.*

NArrationem tuam de Moibano accepi maturè, & curabo addendam operi ab eius initio aut tergo, prout cõmodum erit, & videbitur Typographo. Vtrouis autem in loco ponatur, vltimò imprimetur. Spero autem Typographum inchoaturum mox à nundinis vernis, & futura æſtate, aut ad autumnales nundinas abſoluturum: interea ſi quid aliud tibi in mentem venit, mittes aut admonebis. Accepi etiam numiſma argenteum, quod effictum à Moibano, faciem tuam repræſentat, egregium ſanè. quòd ſi artificem inuenero, meam viciſsim tibi procurabo. Interea gratias maximas pro tanto in me & amore tuo & beneuolentia. Circa Aconitum Matthioli, æquum eſt me tandem συμφέρεσθαί σοι καὶ ἐπέχειν. Mea certè ſtirpiũ hiſtoria tardiſsimè procedit. Pro ijs quę de Antimonio ad me dediſti, plurimum tibi debeo. Miror autem doctiſſimum Iulium Alexandrinum tantum illi tribuere, vt præcipuum peſtis antidotum hoc faciat. Peſtem ego totius ſubſtantiæ morbum eſſe exiſtimo potius quàm intemperiem: ideóq; in omnem ætatem & omne temperamentum cõtagioſe graſſari, magis tamen ſi corpora ad putredinem apta ſint. Septicis enim venenis conferendum puto: quæ etiamſi calida exiſtimantur, ab eo tamen magis, quòd tota ſubſtantia naturæ noſtræ aduerſentur, quàm caloris exceſſu venena ſtatuuntur. Et quoniam putrefaciens venenum

num præſertim ſubtile & quod in ſpiritus vitales noſtros graſſari periculum eſt, non tam vomitorijs & deijcientibus quàm ſudorificis, quæ & vapores infectos euacuant, & corporis totum ἀνώδια- πνευστον reddunt, curatur: his potius quàm illis vtendum cenſuerim, ratione & experimentis plurimis atteſtãtibus. Ego melancholico iuueni robuſto nuper quatuor grana antimonij præparati dedi: vnde is aluum quater deiecit, vomuit autem ſæpiſsimè maxima cum anxietate circa cor, & ingenti capitis dolore concitatis: vt dediſſe me pœniteret, poſtmodum tamen melius habuit. Moibani opus in folio excudetur, volumen mediocre futurum. Nam Græca quoque accedent. Exemplum vnum integrum vt accipias curabo, ſi vixero: tui verò ſcripti aliquot exemplaria, quotquot te petere antequam imprimatur, indicaueris. De Valerio Cordo epiſtolæ tuæ emendationes accepi. D.D. Iulius & Lauræus nuper ad me ſcripſerunt. Sub prælo nunc eſt hic libellus meus De anima αὐτοσχέδιος & in gratiam patruelis mei compoſitus & effuſus: eũ D. Iulio dedicaui, mittam ad te breui vt ſpero. De Galliæ ſtatu nihil habemus ferè certi poſt conflictum illum decimo nono die Decembris ſuperioris: niſi quòd perturbata adhuc ſint omnia. Hæc feſtinanter, vt intelligeres ſaltem me accepiſſe tua. Vale. Tiguri 1563. Februarij die decimo quinto.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

CVm nuncius daretur Auguſtam doctiſsime D. Crato, Froſchoueri noſtri dolium libris refertum illuc mittendum, malui feſtinatas & incomptas literas, quàm nullas ad te dare. Binas nuper abs te accepi, eruditione & varia rerum cognitione plenas, pro quibus plurimùm tibi debeo. quòd ſi te nonnihil commoui mea circa gemmarum intra corpus vires ſententia, ignoſce. per ocium conſiderabo rem maturius, & ad te ſcribam, ſicut de ambra quoque, nunc feſtino, ne dolium mihi præcludatur. Phædronis cuiuſdam libelli nuper Ingolſtadij impreſsi ſunt αὐτοθεοφράστοι, magici, impij: Germanicè in quarto: vnus chirurgia minor inſcriptus: alter de cura peſtis. audio & alios quoſdam ab eo editos & edendos. Legi tua quæ εἰς θεοφραστείους ſcripſeras in Præfatione illa, quam Perna mutilauit: quæ valde probo. Curaui mihi exſcribi. tuam verò manum ad Pernam miſi.

Aliud nunc non licet, hoc addam: elleborum album hodie me dediſſe ancillæ meæ, nempe cochlearia duo vini maluatici, in quibus radices illius cum alijs quibuſdam iamdiu erant macerata. Vnde illa poſt tres horas plurimum vomuit bilis & pituitæ, & perfrictiones quaſdam extremorum ſenſit: Satis bene autem tulit: & non dubito quin plurimùm hæc euacuatio ei ſit profutura: ſicut plerifque omnibus ex vncia vna oxymelitis minoris noſtri excitatus vomitus, vtiliſsimus eſt: ita vt ego Antimonio vtcunque præparato longè ipſum præferam. hoc certè tibi verè teſtor, nunquã me oxymelitis mei neque minoris, neque maioris dati pœnituiſſe, niſi ſemel aut iterum ex accidenti aliquo: vt cum vna vice quis ſumpſerat, quod tribus debebat. Sed tum quoque profuit poſtea: & cum vomitum imminentem quidam reprimeret, cum promouere debuiſſet. In minori amariora quædam omittere volui: propter ſtomachos quorundam, & ad ingratiora medicamenta nauſeas. Sine aceto etiam paraui aliquando cum muſto per autumnum: eratq; id ſuauiſsimum ſimul & vtiliſsimum. Acetum ſcio nõ omnibus conuenire. Mihi iſchiadico multum profuit vomitus inde concitatus: qua ratione alijs arthriticis profuerit: & fortè etiam quòd non tam ad articulos quàm ad extrema & cutim propellat: & denſatos humores omnes incidat, attenuet, loco moueat. ſed hæc experimentis relinquamus, ſi placet. Si tu tamen vtrumque noſtrum exercendi cauſa, tum ex rationibus, tum tuis etiam periclitationibus, plura addere voles, adeò non ſuccenſebo, vtcunq; in eis multa vituperes: vt te quoque commoueri nolim, ſi circa vſum gemmarum à te diſſenſero, & alijs quibuſdam fortè. Hæc enim maximè ingenuæ amicitiæ prærogatiua mihi videtur, vt ſalua amicitia alter ab altero diſſentire quàm liberrimè poſsit: quod vtinam Matthiolus quoque mihi concederet: te enim id facturum non dubito. Vale Tiguri 1563. Martij die 15.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

PRo catalogo piſcium pictorum tuorum, qui apud hæredes Moibani ſunt, gratias habeo. Et quànquam illos omnes ni fallor iam prius habeo: pergratum tamen foret tuos etiam videre, quorum multi aut aliquũ melius quàm mei delineati aut picti ſunt. Proinde ſi curare potes, vt ad me mittantur, cura. D. Gaſſerus ea in re ſuam operam præſtare poterit, & faciet mea cauſa libenter.

benter. Nuper & Cordi Aquatilium icones, quas in Italia fieri curauit, magnæ & pulchrę ad me miſſæ ſunt. Bartholomęus Chorrichter quidam, dicitur Matthiolo vltra centum herbas, quæ in eius herbario non contineantur, dediſſe aut monſtraſſe. Scripſiſti ad me aliquando de oleo vitrioli quòd in aurum redigi poſsit, & valdè proſit leproſis & qui inunctionibus Mercurialibus perditi ſint. id quomodo fiat, plenius ex te diſcere cupio. Ego quartanario ſeni nuper qui ex aſthmate etiam in paroxyſmis vehementer laborabat, primùm oxymeli meum, poſtea oleum vitrioli cum ſyrupo de ſucco citrij dedi: vnde & quartana febris plurimùm remiſit, & aſthma aliaq; ſymptomata: vt nunc leniter tantum febricitet & extra periculum. Hæc paucis ad te ſcribere volui, vt tua (quod deſiderabas) mihi reddita ſcires. Occupant me nunc ſummopere ſculptor & pictor. Certè non ſolùm cum Matthiolo, ſed omnibus qui hactenus icones ſtirpium ediderunt, οὐ τῷ μεγέθει, ἀλλὰ τῇ κατὰ φύσιν τῶν εἰκόνων ἀκριβείᾳ, περὶ ἣν τοὺς ἄλλους ἅπαντας ἀμελείας τινὰ ἢ ὀλιγωρίας κοινῷ ἐγκλήματι κατηγορήσων μοι δοκῶ. ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι. His addidi literas Dantiſcum ad Medicum: quas rogo vt cures cito ac tuto, ſi potes: & proximè ſignifices an commodè ad ipſum tranſmittere queas. Semel enim aut iterum fortè in anno ſcriberem. Miſſurus ad me erat cornua Tarandi: ſed excuſat occaſionem mittendi deeſſe. Ad nos ſi mitti poſſent, tuque vecturæ precium meo nomine perſoluere paratus es, id illico cum gratiarum actione reſtituam. Rogo vt ea de re duobus verbis ad ipſum ſcribas: quo mihi gratius facere nihil potes. Hæc ferè in tenebris, ignoſce. Vale. Tiguri. Kalendis Auguſti. 1563.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Craffthcim.*

AD copioſam tuam epiſtolam non vulgaris in me amoris argumentum, Vir ornatiſsime, & amicorum ſynceriſsime, perpaucis reſpondebo, vtriuſque noſtrum occupationibus conſulturus. Ab hoc enim tempore nunc pingendis ſculpendisq; iconibus ſtirpiũ, & hiſtoriæ conſcribendę cùm operam dem, amplius quàm antehac, Typographo vrgente, cogor. Itaq; habebis me excuſatum ad aliud tempus, dum tanto labore fungor, ſi breuius & rarius fortè poſthac ad te ſcripſero, & officio meo tuæque ex-

pectationi non per omnia ſatisfecero: donec aliquando, iuuante Deo, ad officium redire, & reſarcire quæ fuerant neglecta vel potius intermiſſa liceat. Suffurabor tamen, cum opus erit, ſemper mihi tempus aliquod, vbi quid vrgere videbitur: neque tu περὶ τὰ δέοντα mihi parces. Legi rationes tuas cur ab elleboro albo abſtineas. Ego ſi vixero, in ellebori hiſtoria multa proferam, quæ Medici admirentur. Hoc in præſentia breuiſsimè dicam. Rationes tuæ cur eo abſtineas ad purgationem ſolum pertinent, hoc eſt, vomitum ciendum: quem vt efficiat maiori copia opus eſt: quam ego etiam perraro vrgente neceſsitate aliqua præbeo, non infeliciter: ſtibio certè, quod alij tantopere celebrant, præfero. non enim ſupra infráque mouendo nimiùm debilitat, ſed per ſuperiora tantum, & cum ſymptomatis non adeò periculoſis, ſed leuibus plerunque. Creberrimè autem illo vtor non ad purgandum, ſed ad reſerandos meatus & craſſos humores attenuandum, eosqúe à centro & interioribus corporis ad ſuperficiem & vias excretionum variarum educendum: quomodo paratus ex eo ſyrupus in modica doſi, cum alijs (aut etiam ſine illis) aromaticis præſertim, non modò gratus ſit, (imò gratiſsimus, ſi ſine aceto cum muſto per autumnum, aut aliâs cum cretico vino paretur) ſed etiam recreat & roborat & hilariorem facit, & acuit ingenium: quod in me & alijs ſæpiſsimè expertus ſcribo. Sed tenendus eſt modus: ſicut in vino generoſo præſertim; quod modicè potum eadem præſtat: vltra modum verò ſuum, eadem ferè quæ elleborus mala infert. Caput enim petit & inebriat quodammodo elleborus ſimiliter vino: & cum eo inebriatæ aues quædam, vt columbæ, à furibus capiuntur. Ad quem autem vſque modum procedere liceat abſque noxa, abſque purgatione, experiendo diſcendum eſt: incipiendo à minima menſura & paulatim addendo: verbi gratia, vini cretici vncijs ſex, ſi ellebori albi drachmas duas adijcias: eius colati ſi drachmam ſemis capias, nihil mouebit: augebis ſcrupulatim, duo, tres, quatuor; quinque ſcrupuli nihil mouebunt: ſextus fortè teneriorem aliquem mouerit: robuſtiorem ne ſeptimus quidem, ſed octauus aut nonus demum ſcrupulus, maxima admiratione: cum ſex ſeptemue ſcrupuli nihil prorſus moueant, ſed exhilarent, vt dixi, & roborent, phlegmaticos præſertim: vnum alterumue ſolum additum mouere, & quidem vehementer plerunque. Tale vinum, ſi quis parare velit, addere poterit conſeruæ roſarum nonnihil, & aro-

matis vel aliud quippiam, vt citri cortices pro arbitrio: aut ſyrupi de acido citri liquore partem mediam, & mediam vini. Medicamentum reponere, loco tepido ponere, poſt menſem colare. Seruari poteſt ad annum & amplius. Hæc dum ſcriberem, ſumpſi eius circiter drachmam. Medicus induſtrius commodiorem eius vſum fortè inueniet, hinc ſumpta occaſione. Tam multa ſcribere non propoſueram, præſertim cum tu ab elleboro abhorreas, & noſtri ſeculi præſtantium medicorum authoritati plus quàm experimentis tribuas. Pro rariſsimis illis & precioſis terris Lemnia & Melitenſi ad me miſsis, & ex vngula alcis annulo, maximas tibi gratias ago. Lemniam puto eſſe albam, Melitenſem rubere: de quo certior fieri à te velim. In Melite putabam vernaculam eſſe linguam Italicam, quod ſi ita eſt, miror Arabicos characteres impreſſos, quod fortè fit ad augendum precium, vel vt pro Lemnia vendatur. Meum de Anima libellum nimis certè extemporalem, non diſplicere tibi gaudeo. Teſtatus eſt etiam D. Iulius non diſplicuiſſe ſibi, & à Cæſare priuilegium pro libris aliquot meis mihi impetrauit: diploma nondum miſit. Methodum tuam in Galenum vtinam breui videamus. De Phædronis libris à te ſcripta, libenter legi: libellos eius iam vetitos audimus. Contagionis an ſemper cauſa ſit putredo, an verò ea ſecundum ἰδέαν & formam ſuam quandam diſſeminetur, non facilè dixerim. animus tamen in tuam ſententiam inclinat: ſicuti etiam circa rerum omnium formas ἰδιότητας cœleſtes potius eſſe, quàm elementis tribuendas: κρᾶσιν verò ab illis differre, mixtioni elementorum aſcribendam. Quamobrem etiam circa lapides, gemmas & alia, effectus quoſdam eſſe totius ſubſtantiæ, non qualitatis manifeſtæ aut temperamenti concedo. Νοσηρὴν ἀπόκρισιν à ſene noſtro dictam, non video quid prohibeat vaporis ceu communi nomine comprehendere. Calaminthам inodoram tuam, quæ copioſa hic naſcitur, ante viginti annos in catalogo noſtro ſtirpium tetraglotto excuſo, clinopodium feci in Germanica interpretatione συμφορητικῶς: nunc animus magis inclinat ad polycnemon, viribus præſertim conſideratis. nam polycnemon Galeno calfacit & ſiccat in ſecundo ordine, & vulnera glutinat: clinopodium autem in tertio & λεπτομερὴς eſt, vt pro eo rectè calamintha ſubſtitui poſsit. Ea quam mittis, calaminthæ calfaciendo & λεπτομερείᾳ multùm cedit: efficacem tamen eſſe herbam, guſtatus & odor (quo non penitus caret)

indicant. Aconitum Matthioli primum libentiſsimè vidi: ſi modò idipſum eſt, quod ipſe tibi demonſtrauit. Scire autem cupio an radicem recentem & ſplendentem oſtenderit, an ipſe etiam ſiccam: cauſam audies aliâs: cum ſimul etiam quæ mihi hac de herba explorata ſint, addam: nunc feſtino. De ambra conſiderandi ocium neſcio quando mihi ſit futurum: à te potius doceri & præueniri optarim. Matthioli herbarium Germanicum habeo: his diebus cum Sion depingendum curarem, ridiculum & monſtroſum ipſius Sion riſimus. Picturæ noſtræ vt multò minores, ita ἀκριβέστεραι & plerunque veriores erunt, ſpero, magno labore meo ac ſumptu, ſine vllo Mecœnate. Cordi opera edidi bono ſtudio: & certè in Dioſcoridem Annotationes multò meliores & copioſiores ſunt, quàm prius editæ erant. In cæteris etiam ſi ſecunda editio repetatur, multa emendanda curabo. Libri ſunt imperfecti, & ſtylus ſæpe non bonus. Res ipſas verò ſi ſpectes & harum ſtudioſos homines (quorum non pauci iam gratias mihi egerunt) plus ex eis addiſcere licet, quàm multis aliorum viuentium. De cæteris nuper Kalendis Auguſti ad te ſcripſi. Vale. Tiguri 1563. Auguſti nono.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

POſtremæ ad te meæ Octobris die octauo datæ ſunt: eiuſdem menſis vigeſimo ſexto die accepi, Septembris decimo tertio à te datas: quibus nunc reſpondeo breuiter & incomptè, vt vides, quamuis nihil ſit quod reſponſum vrgeat, niſi hoc potiſsimum, vt intelligas me accepiſſe; quæ in epiſtola tua Cordi operibus præfixa emendari iubes: id quod faciam ſedulò. De Perna quid cudat, déque Montanicis tuis nihil audio: ſed dabo operam, vt breui intelligam quid fiat. De radice illa quam miſiſti, ſiue eandem Matthiolus, ſiue aliã pro Aconito ſuo vidit ac pinxit, ne ſis ſolicitus: nihil enim huiuſmodi publicè ſcribam. Eandem quidem etiam ante biennium medicus non indoctus pro τοῦ αὐτοῦ Aconito ad me dederat. Quæ de Aſtere Attico ſcribis, admonent me vt in meis iconibus diligentior ſim: quod ſanè ſtudeo. His diebus χοίνου ἄνθος cum ſuo flore ex Italia accepi: & fictam quod ad flores τοῦ αὐτοῦ picturam miſi. γελοῖα δὲ καὶ ἄλλα παμπολλὰ αὐτοῦ περὶ τὰς εἰκόνας ἐπωφθήκασι τῷ μεγέθει ἱκανάς, Sed & alias tuas accepi in ipſo

æqui-

æquinoctio à te ſcriptas: in quibus primùm mentionem facis nobiliſsimi comitis N. N. quem ab eo tempore tecum fuiſſe puto, reuertentem in patriam: in eo quidem ego doctrinam cum virtute ac pietate ſingulari coniunctã, ſum admiratus. Alcis cornua magna & pulchra habeo: Tarandi valde deſidero. Succini varijs differentijs abundo. Priuilegij Cæſarei inſtrumentum à D. Iulio iampridem mihi promiſſum, nondum accepi, ac valde ſum de illo ſolicitus. Quòd ſi contingat vel ad D. Iulium, vel D. Seldium te ſcribere, vno verbo vt mei mentionem facias, & ſolicitam expectationem meam indices, rogo: quod in Scribas conferendum eſt, diſſoluere paratus ſum. Mea ſtirpiũ hiſtoria nondum eſt inchoata quod ad operis formam. Hæreo adhuc in materia: quam magna ex parte ex veteribus & obſeruationibus proprijs congero. Recentiorum illa quæ præter veteres addiderunt, perpauca ſunt. Quantum in me quidem erit, honori & gloriæ ſingulorum fauebo: ita vt interim labori, optima quæque in meis ſcriptis breuiter comprehendendi, ingenua ſemper per quos profecerim confeſſione non parcam. Guilandinus iamdiu nihil ad me: cauſam ſcio, ni fallor: quam non ſcribo, vt tempori parcam. Quænam ſint illæ XXX. & amplius herbæ, quas D. Ioachimus Camerarius F. habet, in Matthioli libro nullas, nominatim ſcire velim: vt aliquas ex illis fortè petam, procque illis viciſsim quicquid ego poſſum conferam. Tu me illi & parenti quoque commendabis. Quæ de Gratiolæ herbę ſucco ſcripſiſti, libentiſsimè cognoui: & ſtatui æſtate futura ex ea herba ſuccum elicere: abundat enim nobis maxima eius copia. Quod ad nomen, Eupatorium Meſuæ eam eſſe, non concedo: argumenta nunc adſcribere, non vacat. Ego quid medicum mutuò rependam, vix habeo: ſed occurrit epiſtola amici circa peſtis curationem, nuperrimè ad me data, cuius verba attexam. Euphorbij vſum, inquit, in peſte curanda aliqui iactitant. compoſitio noſtratium talis eſt.

℞. Euphorbij, Maſtichis ana ʒ. ſem. croci orient. gran. v. Trita ſingula ſeorſim cum melle roſ. redigantur in maſſam: de qua exhibent forma pilulari à ℈ j. vſque ad ℈ ij. ſem. Florentini Medici Euphorbij capiunt ℈. xvj. Gummi Elenij ℥. j. ſe. Maſtichis ℥. j. & huius drachmam vnam cum aqua ſcabioſæ vel brodio non ſine miraculo exhibent. ſic ille. Ego ab Andr. Lacuna quoque in libello de peſte, Euphorbij bonam copiam antidoto ſuo opiato ad peſtis curationem præcipuè commendato, addit. Audio Vegam (ſi rectè ſcribo) quendam Hiſpanum de morbis curandis librum ab-

ſolutiſsimum edidiſſe, quem nondum vidi. Vale Tiguri 1563. Nouembris die 12. ignoſce feſtinationi multa iam nocte, & lituris.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

BInas literas tuas accepi V. CL. vnas ſexto Decembris: alteras XI. eiuſdem, ad me datas: quibus nunc breuiter reſpondeo, quoniam & crepuſculum inſtat, & aliæ plures mihi literæ exarandæ ſunt. Quod in Aula verſaris, id tibi felix & proſperum vt eueniat opto. ego quidem vel exercitationes corporis, quarum maior in Aula occaſio erit, valetudini tuæ non inſalubres puto futuras. Cum è patria diſcederes nullas ad me literas dediſti: ego ſaltem nihil accepi. Gaudeo te frui familiaritate optimorum & doctiſsimorum virorum D. D. Iulij & Stephani: quorum ego beneuolentiæ ſimul & beneficentiæ in me quantum debeam ſentio, agnoſco, & prædico lubens. Non dubito autem quin illorum doctrina & virtus à ſuauiſsima coniuge & liberis abſentiam tibi reddat leuiorem. Priuilegium nondum ad me peruenit, quod doleo: ad D.D. Iulium & Zaſium ipſe ſcribo. In poſterioribus literis ſcribis te in prioribus ſcripſiſſe quædam ad Petrum Pernam ſpectantia: quorum tamen in illis nihil inuenio: ſed literas tantum tuas ad ipſum, quas primo quoque nuncio curabo. Opuſculum noſtrum περὶ λίθων in alijs rebus occupatiſsimum, cogit me edere patruelis meus Typographus: cui quoniam ſumptus in Icones fecit, & res familiaris ei anguſta eſt, obſequar & emittam qualemcunque ad proximas Francofordienſes nundinas Deo fauente. De herbario noſtro, nihil certi ſcribere poſſum, niſi hoc me in eo adornando verſari perpetuò quantum per alias occupationes licet: & veterum præſertim libros omnes, vnde quoquo modo aliquid ad hoc argumentum decerpere poſſum, peruolutare. Euporiſta Moibani Typographus ſcribit ſe inchoaturum, vbi primum habuerimus priuilegium: & iam ſpecimen ad me miſit, quod ſatis placet. Narratio tua de Moibano talis prodibit ſpero, qualis & ſcripta à te, & poſtea aliquot in locis à te mutata. Geneua ciuitas nuper ferè proditione per exules & alios quoſdam coniuratos occupata fuiſſet, niſi detecta iam iam imminente proditione ſibi cauiſſent: eorum aliqui capti tenentur, vnus & alter iam ſupplicio affectus. Bernardinus Ochinus Senenſis nuper hinc

hinc exulare iuſſus eſt:propter librum eius dialogorum 30. quem nobis inſcijs Baſileæ imprimendum curauit Seb. Caſtalione Interprete Latino,nam ipſe Italicè ſcripſerat. Caſtalio his diebus obijt: eo in libro aiunt contineri multa abſurdarum opinionum ſeminaria, quæ ad Anabaptiſmum puto pleraque inclinant. Quo nam autem proficiſcatur, neſcimus. Ego miſeræ Poloniæ metuo: in quod velut aſylum video multos heteroclitos & παραδόξων authores homines confluere. Peſtis ad Necarum valdè graſſata eſt: nec dum remiſit vt audio. Tuas ad Arctinum noſtrum curabo: qui Profeſſorum ferè ſolus illic remanſit, adhuc vt ſpero incolumis. nuper enim ad me ſcripſit. Aliud in præſentia non habeo. Vale Tiguri 1564. Ianuarij die 8.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Craffitheim.*

LIteræ tuæ Ianuarij 29. ſcriptæ, Februarij die 18. mihi redditæ ſunt, vnà cum excellentiſsimi D. Iulij literis & priuilegij inſtrumento. Quamobrem ſummæ & beneuolentiſsimę in me beneficentiæ ac liberalitati veſtrę gratias ingentes habeo agóque, donec Deus etiam referendi aliqua ex parte aliquando facultatem mihi concedat. agnoſco enim, quanquam ampliſsimi viri D.D. Seldius & Sigmoſerus ſuam operam gratis mihi præſtiterunt, id omne vobis deberi: aliáque veſtra officia viciſsim vos, vt meo nomine ceu fideiuſſores non ſitis ingrati, vel iam ipſis exhibuiſſe, vel in poſterum eſſe exhibituros. Quamobrem iterum atque iterum vobis pro hoc beneficio gratias ago: & vt reipſa me per omnem occaſionem gratum ac memorem futurum vobis polliceamini peto. Quod ſi non fecero, tu pro iure amicitiæ noſtræ ad id faciendum hortator atque adigito. Scharpffius tuus ipſemet heri cum literas tuas ad ipſum miſſurus eſſem, huc appulit. vnà cum adoleſcente Oſtrorogo: vt ipſe ad te ſcribet. Illi, vt hoſpitem commodum hîc inueniant operam dabo. nam ad me recipere in ſummis & perpetuis occupationibus meis commodè non poſſum: præſertim cùm breui in thermis noſtris dies aliquot immorari, bibēdi eas cauſa, decreuerim. Vxor ad rem familiarem καὶ τὰ πρὸς τὸν βίον comparanda prorſus inepta eſt, ancilla vt pleræque ineptiores. mihi verò minimè omniū vacat. Si tamen aliū commodiorē locū non inuenerint, faciā vel in tuam gratiam omnia. Literas neſcio quot (quaternas aut quinas

puto) intra ſeſquimenſem ferè ad te dedi. Video eas tardius quàm vellem ad vos peruenire: aliquæ forſan intercidunt: me quidem ad reſpondendum tardum aut negligentem eſſe, nolim te ſuſpicari. Vnas laceras ad te miſi: in aliis binis inter cætera petii, vt aliquod mihi & familiæ meæ inſigne à Cæſ. Maieſt. impetraretis: idq; ceu colophonem tu & D. Iulius ac D. Lauræus, ſi in Aula eſt, veſtris in me meritis adderetis. Miſi & ſpecimen depictum quale peterem, ſi vobis non diſpliceret. Eas ambas aut certè alterutras, iampridem ſpero te accepiſſe. De vxoris & filioli incolumi ad te aduentu tibi gratulor. Deus Opt. Max. te cum tuis omnibus incolumem ſeruet. Literæ tuæ, poſtquam in Aula es, omnes (ternæ aut quaternæ) mihi redditæ ſunt. Sperabam fieri poſſe, vt libellus meus περὶ λίθων ad has nundinas perficeretur: quamobrem de priuilegio magis eram ſolicitus. ſed neſcio quomodo tardius opinione omnia procedunt. Quandocunque tandem vel hoc vel alia ſcripta mea edita fuerint, faciam te illico participem. Gratiſſima fuit epiſtola tua qua de Bezoardico lapide & alio quodam, brontia fortè appellando, copioſè ad me ſcripſiſti. priorem Aëtitæ cognatum eſſe, nuper argumentis quibuſdam mihi videri, tibi reſpondi. De nuce vomica & canibus duobus, quorum alter dimidio eius ſcrupulo ſumpto, paulò poſt obdormiit, & intra horas quatuor periit: alter Antidoto ex herba paris per os admiſſa euaſit, nuper experimento noſtro: non memini an ad te ſcripſerim. Facit hoc inter alia argumenta ad confirmandam ſententiam meam, Opium aut ei ſimilia facultate, peſtilentiæ veneno efficaciter aduerſari. Nux autem vomica, vt noſti, Electuario ex ouo dicto contra peſtem laudatiſsimo immiſcetur, opium theriacæ & aliis. Solanum Syluarum opio non ignauius, peſtilentiæ vi ſua aduerſatur. Argentinæ nuperrimè prodiit Germanicus liber Guinterii Andernaci de peſte: in quo multa vtilia & noua contineri iudico. De aliis quibuſdam ad D. Iulium ſcripſi: quem puto tecum omnia κοινωνεῖν: & miſi titulos duos librorum nouorum. Iconum noſtrarum ſtirpium nullæ iam ad manũ ſunt: pictor iam aliquandiu intermiſit: aliâs, ſi verbo admonueris, mittam aliquas. D. Matthioli modeſtiam probo: de meo in ipſum animo ad D. Iulium ſcripſi: quod ad eandem me hortaris, bene facis: quanquam mea ſponte neminem ferè illorum, à quo fortè diſſentirem, nominare inſtitueram. Opera mea de Animalibus congeſta potius quàm digeſta, non eſt quod nunc excuſem: neque vacat: interim grata eſt admonitio tua. Eclegma è ſucco ſpinæ ceruinæ (acinorum puto te

voluiſſe

voluiſſe addere) fieri ad aluum ſoluendam iam ante duos aut tres annos in conſilijs Solenandri cum legerem, experiri ipſe volui: & ita rem ſe habere deprehendi. Quis ſit Laur. ille Vuildius remedij ex Euphorbio inuentor: & nunquid ediderit aliquando, ſcribe. Remedium vetus eſſe ais: Vuildij verò nomen recentioris cuiuſdam eſſe conijcio. Circa tuam de Moibano narrationem, ne ſis ſolicitus. eſt ea adhuc mecum: & antequam Typographo mittam, perlegam: atque vt iubes faciam. Sabinam fructiferam, baccis onuſtam, his diebus amicus meus ad duo hinc miliaria vidit, & ramos miſit: vnde ego picturam accuratiſsimè confeci: alij hactenus non rectè expreſſerunt. Si quando ad D. Ioach. Camerariū F. ſcripſeris, eum meis verbis ſaluta. & roga vt mittat tibi vel mihi Catalogum ſaltem XXX. illarum ſtirpium rariorum, quæ in Matthioli libris non reperiuntur, vt ſi quæ ex eis mihi defuerint, ab eo petam, ne aliquæ forſan mittantur, quas prius habeo. Perna ſi quid reſponderit, accipies. Mitto depictum bouem ſylueſtrem: accepi ab amico quodam, qui in Mumpelgardo non procul Baſilea viuum vidit, et pingendum curauit. Boue manſueto noſtro duplo aut amplius maiorem eſſe ait: ex Vngaria adductum & è ſylueſtri omnino cicuratum. Hunc verum bubalum eſſe ait: meam autem bubali picturam reprehendit. Volui autem ad te mittere, vt ſciſcitareris qualenam hoc genus bouis ſylueſtris ſit, & quo nomine Germanico Vngaricoq́ue nominetur, &c. Non dubito enim in aula eſſe qui ſylueſtres Vngariæ boues viderint. Polonia Vros & Biſontes habet: à quorum vtroque hic differre videtur. Optimè puto iudicauerit illuſtris & generoſus Vir D. Sigiſmundus Liber Baro: quem meo nomine officioſiſsimè ſaluere cupio. Bubali nomen recentiores quidam videntur omni ferè boui ſylueſtri tribuere. Veterum Græcorum & Latinorum βούβαλος ἢ βούβαλις Affricæ peculiaris & capreæ cognatus eſt. In Italia verò hodie dictus bubalus, ab his omnibus meo iudicio differt. Aluntur fortè in Aula feræ aliquæ rariores: quarum ſi quam videris cum iconibus quas exhibui non conuenientem, mone obſecro. Vale feliciter Tiguri 1564. Febr. die 21. Feſtinationi ignoſcendum, non ſemper repeto. noſti me ſemper occupatiſsimum eſſe. vix vnquam literas quas ad amicos ſcribo, relegere vacat.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

Literæ tuæ ſcriptæ Viennæ Febr. die 12. Martij 3. mihi redditæ ſunt. In ijs miraris veſtras iamdudum ſcriptas, non eſſe mihi

redditas, aut me nihil reſpondere. Ego verò & veſtras (tuas & D. Iulij) omnes mihi redditas puto: & reſpondi à proximis Kalend. Ianuarijs neſcio quoties, diuerſis temporibus, quinquies aut ſexies, ni fallor. pleraque autem reſponſa mea Lindauium ad D. Sebaſtianum Kurtz miſi, qui D. Dionyſij Roſtij affinis eſt. Et ſpero antequã hæ ad vos perueniant, pleraque ad vos perlata. Nunc quia tardius Lindauio ad vos mittuntur literæ meæ, Auguſtã has mittere placuit. Scharpffius affinis tuus iuuenis bonus & eruditus, meo nunc hoſpitio vtitur cum D. Oſtrorogo & duobus alijs Polonis. Cum locum ſatis commodũ hic nullum inuenirent, etſi iam aliquot annis neminem receperam domi & in menſa mea multas ob cauſas, atque in poſterum quoque eam tranquillitatem ſeruare ſtatueram: non potui tamen propter tot tantaque tua in me merita non hoſpitalis eſſe affini tuo: Is nunc Francofordiam quoque deſcendit: in itinere vt Pernam Baſileæ moneat de mittendo tibi reſponſo hortabor: & vt Francofordia libri aliqui noui ad te mittantur. Priuilegium poſtremò miſſum, Cl. D. Iulio ac tibi iam tertio aut quarto ſcribo: Quot & quantæ ſint occupationes meæ, verbis exprimere non poſſum: nec vllus earum finis apparet. Quamobrem ſi rarius tardiusque in poſterum ſcribam: et tu mihi ignoſces, & excuſabis amicis, donec aliqua ex parte me extricauero: Chriſtophori Vegæ de Re medica liber in folio nuper impreſſus ad me miſſus eſt: ſed pauca in eo legere adhuc licuit. circa morborum curationes (quæ pars eſt tertia è tribus: prima phyſiologiam continet, ſecunda τὰ ὑγιεινὰ) in quibus bona quædam habere mihi videtur: ſed omnino paucisſima, quæ non ab alijs prius perſcripta ſint. Tubingæ editus eſt libellus, qui continet propoſitiones quaſdam de peſtis curatione Leonhardo Fuchſio præſide diſputatas: in quibus aſſerit antidoti exhibitionem venæ ſectioni præmittendam eſſe, &c. nondum perlegi. aiunt autem ipſum Fuchſium hanc ſententiam propugnare: plura nunc non licet. Vagatur apud nos ſpuria quædam pleuritis ſine inflammatione & ſanguinis ſputo, cum febri & dyſpnœa quadam periculoſa. Horum quibuſdã venam non ſecui: oxymeli dedi cum ſaccharo candi: & bene habuerunt. Et rurſus alia, cum ſanguinis ſputo planè maligna: quæ intra quatriduũ iã aliquot homines ſuſtulit, quã mihi curare nondũ contigit. Alioqui ſalubri adhuc hic aêre, Dei gratia fruimur. Molliculis quibuſdã fœminis his dieb. colicę inter alias vni, hęc catapotia pręſcripſi.

Aloës optimæ gran. xv. Rhabarb. gran. ix. diagrydij gran. iij. (vel v.) cum aqua cinnamomi redigãtur in catapotia tria. Eduxerunt.

runt autẽ quod mirabar intra tres horas, nulla moleſtia & copioſè. Hæc ſcribo vt intelligas me meliora libentius ſcripturum, niſi hoc tempore defuiſſent. Colicæ iam deſperatæ (curabatur enim à quibuſdã imperitis) ſudor copioſus à natura motus ſuperueniens ceu criſi quadam eam propemodum liberauit: poſtea ego ſum acceſſitus, &c. Vale Tiguri Martij die 5. 1564.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

ANte dies octo cũ ad thermas noſtras eſſem deſcenſurus (partim vt comitarer Fridericum tuum cum D. Oſtrorogo diſcedentem γνώβαρ: partim valetudinis meæ cauſa, quæ thermarũ vſu, potu in primis iuuatur, literas tuas exoptatiſsimas, vnà cum inſtrumento Inſignium familiæ à S. Cæſ. Maieſt. conceſſorum, accepi. Ad quas breuiſsimè reſpondeo. Et primũ quidem gratias immortales ago tibi, ac D. Iulio (ad quem proximè ſcribam) pro tot tantisq; officijs ac beneficijs in me veſtris: quibus ego quoniam ἀθρόως, hoc eſt ſimul & ſemel re ipſa gratus eſſe non poſſum: paulatim tamen, imò dum viuam perpetuò, ſed per interualla (vt noſtrę rationes poſtulant) exigua ſaltẽ aliqua animi grati ſpecimina exhibere conabor. CL. Virum D. D. Iulium, quomodo potiſsimùm exhilarare poſsim, & quibus libris mittendis, vel etiã aliter, paucis cognoſcere cupio. In ipſo ſcripto ac inſtrumento, in quo tuam potiſsimùm curam operamq; animaduerti, omnia mihi maximopere probantur: & quod deſiderem nihil eſt. De ſumptu quem feciſti, rogo, me vt admoneas, & diſertè exprimas: omnino enim decet ac par eſt, illum à me rependi. Quę de Medicis in Cæſaris aula & reliquis ſcripſiſti, cognoui libenter & gratias habeo. Graſſatur Baſileæ peſtis: & præla Typographorum omnia (ni fallor) quieſcunt: ſpero tamen breui ceſſaturam, Dei gratia: ſicut & pleuritis illa maligna apud nos remiſit. Quę de Bezoardico lapide ſcripſiſti, gratiſsima fuerunt: etſi in meo περὶ λίθων καὶ μετάλλων libro, propter alias occupationes, nihil ferè pergam. Occuparunt me pręter alia Poloni conuictores, qui nunc diſceſſerunt. Thermarũ noſtrarum potus nuper mihi ſalubris fuit: Ventriculo confirmato. pocula quatuor vnciarum primo die bibi v. inde x. tertio xv. quarto xxij. Aluum mihi (vt alijs plerisq;) non mouent, niſi addam medicamenti aliquid. per vrinam verò & ſudorẽ expurgant: appetitũ excitant. Veſicam nonnullis mirè purgant: phlegma & ſanguinis grumos educunt cum arenulis. Vale Tiguri in die Pentecoſtes 1564.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

REdditum eſt diploma S. Cæſ. benignitatis, quo familiam meam, meq; ipſum ampliſsimè honorat: quo nomine, etſi breuiſsimè nuper tibi gratias egi, quod tua in primis opera hoc negocium ſit promotum atq; confectum: quia tamen literæ noſtræ aliquando vel intercidunt fortè, vel tardius redduntur: nunc iterum atq; iterum gratias ſummæ in me beneuolentiæ atq; liberalitati tuæ immortales ago, & memori dum viuam mente recondã. literas tuas omnes hac de re ſcriptas, cum ipſo diplomate reſeruo, vt debitæ tibi gratitudinis ſubinde me admoneant. Iconum animalium noſtrorum libros ſuis coloribus depictos omnes, dono mittam ampliſsimo viro D. Singkmoſero, qui tàm facilem benignum ac liberalem ſe nobis præbuit: item magnifico & erudítiſsimo D. D. Seldio: denique D. D. Iulio Alexandrino meo, hoc eſt, iampridem de me ampliſſimè merito: D. D. Seldio quidem pro priuilegio ad libros noſtros impetrato, obligatus ſum. His omnibus interim, ſalua ad me omnia perueniſſe, & animo aliqua ex parte grato beneficia accepta me agniturum, referes. S. Cæſ. Maieſtatem ſaluam & incolumem D. O. M. nobis & toti orbi Chriſtiano diutiſsimè conſeruet. D. D. Matthiolo me commendabis: & ſalutem dices: nam ad ipſum mihi ſcribere profectò non vacat. Doronicum quo pharmacopolæ vtuntur venenatum vel homini vel beſtiæ cuiquam exiſtimari, planè γνωτὸν apud me eſt. Sæpiſsimè in montibus reperi: herbam & radices copioſè cum voluptate edi. Sunt enim omnino ſuauiſsimę. ſæpè in horto alui, ſuauiſsimi odoris & aromaticus flos eſt. Nos eam herbam à Rupicapris denominamus Gemſen wurtz: Paſcuntur enim ea libentiſsimè. Vſus radicis eſt inter alia contra vertiginem & epilepſiam. calida & ſicca eſt in ſecundo gradu, ſaluberrima modis omnibus, ſi quæ alia radix. Radices Zedoariæ rotundæ iampridem vidi & ſeruo. Mitto exemplar primũ Narrationis de Moibano, collatione poſterioris à me emendatum: in quo ſi quid mutaueris, maturè remittas: nam ad proximum Auguſtum omnino excuſum iri opus totum, Typographus mihi pollicetur. Medicum nihil ferè occurrit. Euphorbij gran. iij. vel iiij. catapotijs interdum addo, vt citius educant, aquas præſertim & pituitam, vltra v. grana vix tutò dari puto. Gratiolę, quam copioſam habemus, ſuccum propediem parabo: cuius vſum ἰσοδύναμον elaterio futurum arbitror. Aeſtas hic

omnino

omnino pluuioſa & frigida hactenus eſt: aer tamen ſatis ſalubris: pleuritis deſijt. Vale. Salutant te communes amici. Salutat etiam te D. Io. Rediger iuuenis nobilis & benè doctus: qui me his diebus conuenit, hac tranſiens in Galliam profecturus: ſperat autem intra tempus non longum ſe tecum fore.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

MItto literas à Friderico tuo, quas ante paucos dies accepi: & filum imprudens, cum meis alligatæ eſſent, diſſecui. Mitto & epiſtolam dedicatoriam, qua Dioſcoridis Euporiſta Græca à me emendata & editioni adornata tibi nuncupo: & ſpero non ingratam tibi hanc animi mei ſignificationem futuram. Græcum opus Græco ſermone tibi dicare volui. cupio autem & rogo, vt circa verba & ſententias pro tua prudentia & doctrina, quæcunque viſum fuerit, liberrimè mutes, & ita correctum exemplar maturè ad me remittas, ne in mora ſim Typographo. CL. V. D. Iulium ſalutabis officioſe: & vt ad emendationem huius epiſtolæ meæ ipſe etiam aliquid conferat, vtriuſque noſtrum, ſi placet, nomine, roga. Nam hic quidem qui id præſtare velit ſimul ac poſsit non inuenio. Tuam in Montani Conſilia Præfationem, niſi iam miſiſti, quàmprimum vt mittas opus eſt: ſicuti etiam proximè ſcripſi. Vale. Tiguri 1564. Iulij die 10.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

LIteræ tuæ 28. Februarij à te ſcriptæ, paulò tardius mihi redditæ ſunt. Nullam picturam ἐπισήμου familiæ à me deſiderari, præter eam quam ad D. Iulium miſi, ad te perueniſſe miror: ſed quoniam tu his in rebus melius iudicare potes, bene erit. voluntatem meam intelligis: cui addas decorum: & ne à recepta conſuetudine nimis recedat, curabis. Ego primùm galeæ non cygnum, ſed ciconiam impoſueram, pietatis ſymbolum, roſtro contra ſerpentem extenſo, impietatis indicium. Serpentem autem clypeo foris circundederam, tum vt conuolutio eius aptior eſſet, tum vt eo tempore, quo Imperatoria Maieſtas hoc inſigne contuliſſet, de ſerpentibus librum nondum à me editum ſignificarem, &c. Verùm vtcunque hæc arbitrio tuo mutentur, placebunt om-

nino. Patrui nomen nuper ſcripſi, Andreas Geſnerus ciuis & Tribunus vrbis noſtræ: filiorum eius nomina & cognatorum, qui familiæ meæ Geſnerorum nomine continentur, non opus videtur vt ſcribam. De Cæſarea erga me benignitate mihi gratulor: & eam à vobis foueri agnoſco. Literas pro imaginibus familiæ meæ, Cæſareo ſigillo tantùm muniri ſat erit. Rami cinnamomi picturam libenter viderem: ſed quia fortè impedit aliquid, ſaltem folium eius vnicum, quale ſit vtcunque depinge aut deſcribe: an tale quale folij ſimpliciter nomine plerique pharmacopolæ oſtendunt? quod Cordus noſter deſcribit lib. 4. cap. 52. Deſcriptionum ſuarum. iconem verò ego addidi in eiuſdem libri fine, folio 212. b. eius quidem etiam ramulum poſtea nactus ſum. E cinnamomo baculum vidi, ſed ſine folijs. Pulueris contra epilepſiam è gemmis, &c. vbi aliam deſcriptionem nactus eris, communica quæſo, & iudicium tuum adde. Poſtremas verò tuas Martij decimo octauo datas maturius accepi. De lapide Bezoardico quæ ſcripſiſti & figuras quaſdam delineatas accepi omnia: iamque in eo ſatisfactum eſt mihi. Foris conuexum: intus cauum arbitror: tale quid enim fragmenta præ ſe ferunt. Ampliſsimum virum D. Seldium mihi fauere, & iam inter intimos S. Cæſ. Maieſt. conſiliarios aſcriptum eſſe, vehementer gaudeo: & Deum oro, vt diutiſsimè eum nobis incolumem conſeruet. Ei & C.L. V. D. Singmoſero officioſam ſalutem dici ex me cupio. Affinis tuus cum D. Io. Oſtrorogo his diebus ad thermas noſtras proximas deſcenderunt, duo hinc miliaria. Scholæ noſtræ lectiones non videntur ipſorum ſtudijs ſatis commodæ, & pleuritis quædam contagioſa hic vagatur. quamobrem de loco alio deliberant. Si quid ſcribet ad te affinis, quod vt faceret hortatus ſum antequam abiret, mittam vel cum his literis, ſi fecerit maturè: ſin minus, proximè. Andernaci de peſte libellum mitto. Chriſtophori à Vega Complutenſis Caroli Hiſpaniarum Principis maximi, Medici à cubiculo, & in Complutenſi Academia publici Profeſſoris liber De arte medendi, hoc titulo excuſſus eſt, Lugduni apud Gui. Rouillium 1564. in folio. Pauca in eo adhuc legi: pars prior θεωρίαν continet: poſterior τὴν κατὰ τόπους θεραπείαν. Thaddeus Dunus Medicus, amicus meus, cui inſpiciendum dedi, ait, vtilia multa contineri: quædam non probat: iudicium in eo deſiderat. Apud nos vagatur potius quàm graſſatur pleuritis quædam maligna & contagioſa, qua multi pereunt. Curandi ratio nondum ſatis conſtat nobis. Vena in brachio nulli ſucceſsit,

quibus

quibus ſecta eſt: nunc ad malleolos ſecamus felicius: & à princi-pio ſudare quoſdam iubemus ab aliqua antidoto. Oleum lini po-tum quibuſdam profuit: quod etiam copioſe aluum deijcit. D. Ioach. Camerarius F. nuper ad me Norimberga ſcripſit peroffi-cioſe: ſed nihil de ſuis plantis: quarum eum ego admonebo cum reſcripſero. Hoc addo pro corollario. Ellebori nigri coliculi ſiue perioli cum ſuis folijs terni in vini hauſtu decoquantur: id vinum collatum bibitur, & alui ſolutione atribiliarios morbos & alios quoſdam pellit. Vale. Tiguri 1564. Aprilis die 17.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

LIteras tuas pridie Kalend. Ianuarij datas nudius tertius acce-pi, ſummæ in me beneuolentiæ tuæ declaratione ſuauiſsimas. Et quoniam nuper admodum bis ad te ſcripſi (imò ter) ad D. Iu-lium quoque bis, ſed harum alteræ perierunt, nunc breuior ero. D. Dionyſio Roſtio multum ſalutis ex me dices. Hodie primùm exemplar vnum librorum De quadrupedibus auibus & piſcibus coloribus illuſtratum habere potui: id indicatur florenis ſeptem, non ſatis verò diligenter factum eſt: colores in multis non pla-cent mihi: & magis fortè in communibus animalibus quàm pe-regrinis. Itaque cum dubitem ne expectationi eius non ſatisfiat, ligandum curare volumen & mittere non audeo. Sed ſi hoc pu-rum alioqui & mediocri diligentia (quantum ego iudico) D. Roſtius ad ſe ligatum à me mitti voluerit, inſeruiam ei libenter ea in re. Etſi videretur mihi ferè commodius non ligatum mit-ti: quòd pelles Gallicæ & politiores nobis deſunt. Quæ de Be-zoardico lapide mira & inuſitata mihi hactenus ad me ſcripſiſti, gratiſsima fuerunt: habebunt ea locum in noſtro περὶ λίθων καὶ μετάλλων: iam enim titulum auxi: quem diu intermiſſum, nunc vrgen-te Typographo in manus reſumpſi. Si quando prodierit, mox vt ad vos perferatur, efficiam. Vtinam verò lapidis iſtius iconem qualemcunque procurare mihi poſſes: quanquam enim deſcri-ptio tua ſatis accuratè eum exprimit: pictura tamen magis ob oculos poneret. Suſpicio nonnulla ex tua deſcriptione mihi ob-orta eſt, aliquid ei cognationis intercedere cum Aetite: nam & hic modò ouali figura & magnitudine, modò fabæ ſimilior reperi-tur, ferrugineus plerunque foris eſt, ſed intus ferè albicat. Materiam quoque friabilem intus continet (cum ſilicis durities foris ſit)

& eam, vt volunt nonnulli, venenis contrariam, neque neceſſe eſt reſonare intus, multi enim Aëtitæ non ſonant. Contra venena verò quid poſsit, nondum reipſa expertus ſum. Cæſ. Maieſt. in omni rerum naturalium cognitione doctrinam incomparabilem iampridem ſum admiratus: & tuum de ea præconium iucundiſſimè legi. Optarim autem etiam dari ſcriptorem aliquem eruditum, qui hac in parte & ab experimentis, vt ita dicam, & à commentarijs eius Maieſtati eſſet: nec aliud ageret: ita enim fieret vt omnium ante ſe Principum, Cæſarum ac Regum gloriam longè ſuperaret, tum ſapientiæ eulogio, tum magnificentiæ, qua non vitæ ſolùm præſenti, ſed etiam poſteris conſultum nouiſſet. Percelebris eſt Salomonis, Mithridatis, Iubæ ob rerum naturæ cognitionem fama. Sed quoniam nihil ferè ab illis ad poſteros tranſmiſſum eſt, ſibi ſolis ſapere voluiſſe videntur: quo nomine magna eorum gloriam caligo ac nebula premit: quam ego in ſapientiſsimo & potentiſsimo Imperatore noſtro illuſtriſsimam ad omnem poſteritatem tranſmitti cuperem. Mitto oxymelitum meorum deſcriptiones & vſus: eaq; vt cum CL. V. D. Iulio communices peto. Si Deus vitam dederit, multa de vtriuſque ellebori varijs & vulgò non cognitis viribus, in noſtra ſtirpium hiſtoria proferam. Nigrum verum (Matthioli icone non rectè expreſſum) florentem his diebus ex Italia vicina accepi & accuratè depinxi. Matri octogenariæ dyſpnoicæ & ſuffocari nuper periclitanti, oxymeli minus dedi (maluiſſem maius, ſed nimis ab amaris abhorret) ita vt cum dimidia ligula (ſcrupulo vno aut ſeſqui) duplum vini cretici miſcerem: vnde illa iam ſecundò à præſentiſsimo mortis periculo liberata eſt: euidens ſanè eius effectus eſt: etiamſi minima doſi detur: modò repetatur per interualla. De noua noui orbis parte ab Hiſpanis reperta, nuper (vt ſcribis) nihil dum hic audieramus: & cupio ſcire num ſcriptum aliquod ea de re extet. Salutat te D. Pompholyngerus noſter. Vale. Tiguri 1564. Febr. die 6.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

HOdie accepi literas à Friderico tuo ad te & ad D. Godefridum: quas ſtatim mittere volui: & ſimul breuiſsimè reſpondere tuis poſtremis ad me binis. Metuit fortè Fridericus bellum N. inferendum, quod & nos metuebamus hactenus, nunc melior

ſpes

ſpes affulget. Rami cinnamomi picturam accepi & gratiam habeo. Diploma inſignium familiæ meæ me accepiſſe, & mittendis iconibus animalium pictis aliquod gratitudinis ſpecimen me declaraturum, ſignificaui iam bis aut ter, ita præſtabo (Deo dante) intra dies non multos. In pleuritidis contagioſæ curatione pauca obſeruaui: pauci enim ea decubuere ad quos ego vocatus ſim, & intra vernum tempus deſijt hoc malum. Tribus ita affectis oleum lini propinaui (quarto die fortè) omnibus feliciter: vena ad malleolum alijs ſecta, alijs nulla. Huius morbi hiſtoriam Italo cuidam Medico apud nos (Thaddeo Duno) deſcribendam commiſi. apographum ſi voles, curabo aliâs. Ex hæmorrhoidibus cęcis laborabat nuper paupercula vicina mea in puerperio: in cuius gratiã, mox folia & acinos herbæ Paris in oleo cũ modico vini decoxi: cuius illitione dolor ſtatim ceſſauit. In laxo illo tumore, qui podagrici hominis genu vtrunque occupat, ratione magis, qua tu tamen excellis, quàm experientia conſulo, vt corpore purgato & victu inſtituto, locus inungatur oleo de hyperico, tum ſulphuris modicũ inſpergatur, & luteo calido aut lanis ſuccidis integatur. Sperarem etiam ceratum è cera & oleo de ligno iuniperi profuturum: vtrunque alternis diebus applicari poterit (ſudor etiam interdum in lecto vel balneo ſicco tum aliâs, tum incenſa aqua ardente calefacta, profuturus videtur) & ſacculos milio cum pauco ſale repletos calidos: ſed hos matutino duntaxat tempore applicatos: & fumo vtendum de ſuccino, thure ac ſtyrace, ſuper latere crudo ignito. item oleum caſtorei in ſtuppa. Experientiam quidem aliquam horum omnium habeo: ſed quanta corporum & accidentium diſcrimina ſint noſti, vt opus ſit interdum fontanellas quas vocant ſub genibus aperire. In herba, Noli me tangere (cuius vires in promouenda vrina aliâs ad me ſcripſiſti) articuli turgiduli viſuntur, ceu demonſtrante eius vſum natura. Hanc quoque in oleo liliorum aut alio decoctam applicari, nõ putarim inutile. Folia eius aliquot nuper viro στραγγουρῶντος vtiliter impoſuimus. CL. & de me optimè merito viro D. Iulio plurimam ex me ſalutem dices: cui ſi qua in re me gratificari poſſe vlla coniectura deprehenderis, indicari mihi cupio: ne diutius ſim ἀγνώμων εἰς τόσον καὶ τοιοῦτον εὐεργέτην. Tuam de Moibano narrationem iampridem accepiſſe te ſpero. Perna an pergat excudendo, dicere non poſſum: hoc ſcio, ſocium eius Henricum Petri nuper peſte vxorem, filias duas & generum vnum, fortè & alterum iam amiſiſſe. Si quid reſciero, ſcribam mox. Ichneumonis ſuo tempore memor eris. Hæc

ad binas tuas literas. Præterea ex poſtremis 24. Iulij datis ſumma cum lætitia intellexi, τὸ κυριακὸν ποτήριον τῇ ἐκκλησίᾳ ἀποδίδοσθαι αὐθεντείᾳ αὐτοκρατορικῇ, ὑπὲρ οὗ εὐαγγελίου χάριν ἔχω Θεῷ· οὐκ ἀπορῶν καὶ διὰ τῆς ἐν σοὶ εὐσεβείας οἷα τινὸς ὀργάνου τὸ εὐκτότατον τοῦτο ἔργον προαχθῆναι. Deũ Opt. Max. oro, vt Cæſ. Maieſt. in ſui nominis gloriam conſeruet. τὴν τῶν Διοσκουρίδου εὐπορίστων προσφώνησιν δι' ἐμοῦ σοὶ γεγραμμένην, ἤδη ἀποδίδοσθαι ἐλπίζω. Vale. Tiguri 1564. Iulij die 24.

CONRADVS GESNERVS, IOANNI *Cratoni à Crafftheim.*

GAudeo tandem literas meas aliquas tibi redditas eſſe, & ſpero ab eo tempore alias quoq; noſtras ad te perueniſſe. Quod operam tuam & CL. V. D. Iulij mihi offers ad impetrandum à Cæſ. Maieſt. familiæ meæ ἐπίσημον, gaudeo, & gratias vobis immortales ago. Mitto aliam picturam emendatam & ita factam vt monuiſti. Alis tamen cygni non flores, ſed ſtellas inſerere volui. Ex hedera enim corona ſtirpium generi à me deſcripto ſignificando ſatis eſt. Serpentis ori non lapillum, ſed annulum cum lapillo ſeu gemma inferendum putaui, vt gemmam eſſe certius appareret: & inde me quoque de gemmis ac lapidibus metalliſq; edidiſſe aliquid indicaretur. Stellæ verò cygni alis inſperſæ cœleſtem philoſophiam ſignificabunt, quæ ſupremum meritò locum occupat, & aliquos in ea etiam libros, ſtellarum inſtar, veterum Theologorum à me editos. Et hoc quidem alijs: mihi verò aliud, me nempe iam ſenem decere, vt tandem ſtudio rerum inferiorum depoſito, vbi ea ſaltem quæ præ manibus ſunt abſoluero. Patrui mei nomen eſt Andreas Geſnerus ſenior (nam & filium eiuſdem nominis habuit) annos nunc octoginta natus, tribunitiæ dignitatis, ſenator, liberorum, nepotum & pronepotum vtriuſque ſexus pater, auus & proauus numero centum & triginta quatuor hoc tempore, quorum maior pars viuit. Creſcit autem ſubinde numerus, Dei gratia, & ipſe ætatem bene fert. Huius præcipuè filijs & poſteritati (vel in genere cognatis & conſanguineis meis, qui Geſnerorum nomine & familia continentur) inſigne & honeſtamentum hoc Cæſ. Maieſt. & peculiaris in me benignitatis communicare mihi licere cuperem. Quod ſi in hac etiam pictura fuerit quod diſpliceat, muta pro arbitrio tuo: tibi enim omnia permitto. Sumptum in pictorem, ſi opus ſit aliter

terpingi, & ſcribam, indica: & mittam maturè. Pergratum autem mihi faceres ſi per hunc ciuem noſtrum virum bonum (quem tibi commendo) reſponderes ſimul ac mitteres: quod peto, ſi fieri tam citò poſſet: nō quòd tam citò mihi opus ſit: ſed quia idem omnino tuto perferret. Poſtremis tuis ad me, quibus nunc reſpondeo, quartum Martij aſcripſiſti: & octo diebus ante ter ad me ſcripſiſſe te ais: quarum ego nullas dum accepi. nam penultimæ tuæ duodecimo Februarij datæ ſunt. D. Roſtio reſpondi & affini quoque eius, qui eſt Lindauij, Sebaſtiano Curtio. Priuilegium Cæſ. Maieſt. ſuper libros quod petieram poſtremum mihi redditum eſſe, iampridem ſignificaui. Pro particulis illis lapidis Bezoardici, quas à S. Cæſ. Maieſt. nactus ad me miſiſti, plurimum tibi debeo. Ex deſcriptione tua lapidi Aëtitæ cognatum eſſe ſuſpicabar: ſed nunc res ipſa longè aliud eſſe oſtendit. Animaduerti colorem & concretionem illam veluti cruſtis inuicem innatis. ſed quod quid contineat etiam ſatis apparere addis, non planè intelligo. Figura quidem eius aliqua ex parte apparet ex ſuperficie ſplendida, nigricante, particularum, quæ in alijs leuiſsimè caua, in alijs conuexa videntur. Lapis ipſe inodorus, inſipidus, friabilis. Nicolaus Epiſcopius Typographus celeberrimus, nuper obijt Baſileæ: is Theatrum Mundellæ imprimendum ſuſceperat: nondum incœperat: nunc quid futurum ſit, dubito. Spero tamen filium eius, qui etiam antehac ſeorſim excudebat, patris vice id recepturum. Quicquid fiet, cognoſces. Moibani Dioſcoridem hac æſtate impreſſum iri ſpero. Tu ipſe experiris quàm nos ſubinde morentur & decipiant Typographi. CL. V. D. D. Seldio ſalutem officioſiſsimam ex me dices: ſicut & D. D. Iulio. Icones animalium an petijſti pictas? ignoſce obliuioni. nam adeò fluxa eſt memoria mea, vt mihi etiam in proprijs rebus magni ſæpe momenti, non conſtet. Pictas coloribus non puto hoc tempore haberi: & Francfordia Typographus noſter vix ante duodecim dies redibit. Negligenter omnino & defunctoriè pinguntur, quæ Typographorum auaritia eſt. Et aliqua nobis incognita non niſi ex coniectura qualicunque pingi poſſunt. Si tamen eiuſmodi velis, mittam. etſi metuo ne nunc aliquanto deterius pingantur quàm proximis annis. Gratiolæ herbæ (quæ nobis copioſiſsima creſcit (vt vel plauſtra onerare liceret) tritæ ℈ j. cum rob. ſiue ſiræo ex acinis ſambuci modico his diebus ſumpſi: vnde poſt horas quinque parum mota eſt aluus. Prandebam: à prandio copioſius

ſolui cœpit: & vomitus omnino copioſiſsimus, ſemel tantùm(etſi parcè pranſus fueram, biberam autem aliquid abſinthiti vini) ſecutus. à vomitu ſtatim multo leuius habui. Pituitam plurimam eo die tum viſcoſam, tum aquoſam deieci. Dedi & mulieri pituitoſæ drachmam ſemis: quæ multo copioſius purgata eſt. Aliàs experiar fortè in pill. cum zinzibere, ſale gemmæ & cinnamomo, vt citius agat & minus offendat ventriculum. Pleuriticæ γρᾳὶ nuper medicamenta contra pleuritim dedi: vnde meliuſculè habuit, & deiecit per aluum cantharum ſiue ſcarabei genus nigrum, viuum, longum, duobus digiti articulis, cornibus longis & articulatis, circumquaque plenum pure: prius autem aliquandiu in ventre motum quendam inquietum & vellicantem ſenſerat. Aliud in præſentia non occurrit. Euphorbio an vtaris interdum aut alio, & quo ſucceſſu, per ocium ſcribe quæſo. Vale. Tiguri 1564. Martij die 26. qui mihi natalis eſt & ætatis meæ 48.

CONRADVS GESNERVS, ACHILLI P. Gaſſero reipub. Auguſtanæ Medico.

PRocopium (quem dedi Froſchouero includendum dolio, ad vos Aprilis die 26.) iampridem accepiſſe te puto. Quod literas meas Pragam & Viennam curaſti, gratias habeo: & nunc alias mitto ad D. Ioannem Cratonem Vratislauiam: quas clariſſimo viro D. Hainzelio commendabis. Moibani noſtri optimi ſanè & doctiſsimi viri mortem, magno cum mœrore accepi: ſed ſic fata ſunt noſtra. Fœtum quem immaturum reliquit, ſi abſoluendum ad me miſeris, faciam quoad eius potero: vt amicitia noſtra à funere etiam alterius ſuperſtes adhuc intelligatur. Faſciculum literarum, quem Rhetobenam acceptũ ad me miſiſti, ad D. Oporinum ſtatim curaui. Soror tua valet, neptis ante triduum enixa eſt filium(ni fallor) & paulò infirmior erat heri, hodie meliuſculè habet, niſi quod lacte caret, propter concretos in mamillis grumos. D. Ioannem Baptiſtam Höchſteterum, ſalutabis meo nomine amanter: miſi ad eum per Lindauium his diebus proximis onus è Gallia à Petro Buttino noſtro miſſum è Lugduno: cuius pondus eſt, libræ noſtrates quinquaginta. Vecturam Lugduno ad nos vſque ego perſolui. petijt autem pharmacopola noſter florenos .ij. cum dimidio, & batzijs tribus cum octaua batzij parte. Cauſa tantæ mercedis vectura eſt, quoniam perpauca (circiter xx. libras)

libras) ad noſtrum pharmacopolam pertinuerunt. Omnia autem ſimul in vno vaſe ligneo graui, & inſuper ſacco cum funibus incluſa fuerant. Vas autem illud ligneum, cum huc aduectum eſſet, iam erat fractum. Hanc igitur ſummam D. Ioan. Baptiſta ad me remittet, & ſi quid in poſterum etiam in eius gratiam facere potero, à me expectabit. Res Gallicæ vehementer ſunt perturbatæ. Toloſam obtinebant noſtræ religionis homines: quos proditione quadam ad internecionem cæſos in ipſa vrbe accepimus his diebus. Hæc habui in præſentia vobis fortè notiora, tu vicisſim ex Vngaria aut aliunde ſi quid noui habes communica. Poſtquam ſuperiori æſtate in Rhæticis alpibus fontem ſalſacidum bibi, miraculum naturæ, ſemper benè valui, & quidem multo melius, quàm ante plurimos annos. Commendabis me D. Mecœnati noſtro Vlrico Fuggero. in ſtirpium hiſtoria promoueo, ſed teſtudineo gradu, inter alia, hæc quoque tempora me remorantur, &c. Saluta amicos. Vale Tiguri 7. die Iunij, Anni 1561.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. *Gaſſero medico Auguſtano.*

PRocopium tibi reſtitutum gaudeo. Pro Schmidlappij ad me literis gratias habeo maximas. Si nunc vacabit, iterum ſcribam ad illum: tuq; vt ei tranſmittas rogo. A Moibano felicis memoriæ relictum Dioſcoridem (qua de re prius etiam diſertè ſcripſi) ſi miſeris ad me, faciam quantum in me erit, quantumq; & ingenij, ocij & facultatis mihi cõceſſum fuerit, vt in publicũ exeat is liber non ſine Moibani honore, quem eſt commeritus, multis in eo conuertendo, illuſtrandoq; laboribus. Etſi perparum aut nihil potius à reliquis lucubrationibus meis ocij mihi ſupereſt, aliquid tamen ex abundantia (vt ſic loquar) faciam: vt aliquid & manibus amici, & tuis precibus dediſſe me appareat. Soror tua mediocriter valet: filia, Vogleri vxor, puerpera adhuc ſuas capitis moleſtias à ſonitu dextræ auris percipit, ſicuti per totam ferè vteri geſtationem: pharmaca, dum geſtaret, fortiora non conueniebant, nunc etiam expectat, donec puerperio ſatis fecerit amplius, inde ſe experiri velle omnia ait. Latus eſt dextrum, ſoni perpetui, cum obtuſo quodam dolore, cauſam eſſe puto vapores craſſos, & ſubfrigidos ea in parte incluſos. Superiore anno cum in thermis noſtris lauiſſet, illic primùm ſentire hoc malum cœpit. prius etiam aliquando grauida ſenſerat, ſed & breuiori tempore, & à partu

mox liberabatur. Nunc quid agendum cenſeas maturè ſcribe, & ſequemur conſilium tuum. An ſi alia nõ iuuent, narcotica in fumo aut aliter adhibebimus? Si nihil profecerit remedijs, iterum thermas noſtras cogitat. Maritus eius abeſt, in ijſdem thermis, propter comitia recens illic habita, in craſtinũ puto, reuerſurus. Ego nuper etiam illic fui, vt lauantem vxorem meam inuiſerem, per quatriduum: & in ipſo balneo ſedens ſpongia magna toti capiti meo impoſita aqua calida è fonte, perfundi me iuſsi, ad horam aut amplius mane, rurſusq́ veſperi, quatuor illis diebus. Hunc modum vtiliorem mihi deprehendi, quàm infuſionem ex alto cum vaſculo repetitam ſubinde: quam ante biennium experiri volui. Paro rurſus edendum meum de thermis Germaniæ librum: ad quem illuſtrandũ, ſi quid conferres quantulumcunq;, gauderem. Plura non vacat. Vale Tiguri. Iunij die 28. Anno 62.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

CVm Froſchouerus hodie dolium libris refertum ad vos miſſurus eſſet, quamuis occupatiſsimus exarare hoc epiſtolium volui, & addere libellũ de vita ac obitu D. Martyris noſtri, ſummi theologi, quem ſi tibi inſpicere libet, ac etiam ſeruare pro munuſculo, bene eſt: ſin minus, D. Mecœnati noſtro meo nomine reuerenter ſalutato, ſi videbitur, legendum dare poteris, temporis fallendi cauſa. Maximè quidem vellem, poſtquam tu & D. Mecœnas inſpexiſſetis, CL. viro D. Hainzelio conſuli dari, vt & ipſe legat, ſi libuerit, & poſtea primo nuncio Vratiſlauiam ad D. Cratonem mittat. Vide quot parietes vna fidelia dealbem. Si alijs dederis, tuq́; deſideres tibi proprium, mittam aliâs vnà cum meo de anima libro, qui nunc ſub prælo eſt. Otfridum tuum, propter occupationes hucuſq; diſtuli. Typographi his diebus Francofordiam deſcendent, & aliquid ocij mihi relinquent: cuius aliquot horas illi dabo: ſi typographum ei inuenero, admonebo te maturè, cum aliâs, tum vt præfationem ac dedicationem pares patriæ tuæ inſcribendam, quod mihi ſatius & te dignius videtur: meo enim in te amori, qui iamdudum ſummus eſt, accedere nihil poteſt. Dioſcoridis Moibani prima aliquot folia Latinè & Græcè, Argentinam iam miſi, vt ſpecimen imprimat Typographus: quod ſi fecerit, ad te mittam: & præfationem quoque breui. ea quidem poſtremò imprimetur. Literæ meæ ad D. Cratonem, & alteræ No-

rimbergam peto vt tibi curæ ſint. His ſcriptis dum nuncium expecto (fefellit autem me Froſchouerus) qui dolium libris refertum Auguſtam miſit, nec indicauit mihi maturè, &c. accipio alias tuas, quibus cum mittis Schnebergeri mei literas, auro onuſtas, continebant enim quinque ducatos geminos: quibus me donauit nobilis quidam Polonus, cui Schnebergerus me commendauit, vt haberem in Polonia patronum, qui aliquando res raras ad hiſtoriam animalium præſertim pertinentes, ad me mitteret: quoniam illuſtris vir D. Bonerus, qui id antehac fecerat, obijt. Mitto exemplar epiſtolæ, quam hodie Baſilea ab amico Rob. Conſtantino viro doctiſsimo accepi. Reſpondeo Schnebergero, & literas per te curari quàm primum peto: iterum Vale. Quicquid in meas literas Cracouiam vel alio mittendas, aut aliunde acceptas ad me pertinentes expenderis, rogo ſignifices in poſterum ſingulatim, ſatis enim ſuperque hactenus ſumptuum in me feciſti. 17. Martij.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

IN Auentini hiſtoria Germanica, carmina Gothica aliqua repertum iri ſperabã, quoniam in Latino volumine et Gothica carmina illa eſſe refert, & ipſe Latino carmine reddit. Conditiones, quibus hiſtoriam illam traditurus eſt D. Illyricus, Baſileam ad N. Epiſcopium Typographum perſcripſi: quam primùm reſponſum habuero, indicabo ac reſpondebo. Interim pro miſſo ad me chartaceo munere D. Illyrici, gratias & tibi & illi maximas ago: ac tibi etiam pro admirandi illius magi Phædronis Theophraſteis libellis. (magos huiuſmodi tolerari miror) in re herbaria cognoſcere quædam videtur, ſuper quibus eum conſulerem, ſi plus ocij ſuppeteret, & reſponſurum ipſum ſperarem, literis ad te miſsis. Si quid aliud eiuſdem authoris exierit, id quoque vt mittas cupio. Nihil apud nos in literis noui eſt. D. Petri Martyris poſthuma quædam ſcripta, & contra Brentium Bullingeri (de Vbiquitate puto) libellus, ſub prælis ſunt: & meus de anima, quem mittam ſpero, etſi non ſeorſim, ſed cum alijs eiuſdem argumenti cuditur. Aſtringam me nunc tandem, ſpero, ad ſtirpium hiſtoriam. Ottfridum tuum accepi, mirabilem ſanè ſcriptorem: ſed quoniam meum de anima librum ad prælum ſcribo, idq́ vix conſequi poſſum, nondũ in illo, vt cupiebam, verſari potui, valde quidẽ timeo,

ne parum vendibilis futurus typographis videatur liber, quòd talis ſit lingua, quam nemo ferè ſit intellecturus. Fuit his diebus hic affinis tuus M. Felix Kererus: qui eo die quo honorificè à Canonicis & Scholarchis ad publicum conuiuium inuitatus erat, vnà cum Achille filio, mea cura, diſceſsit. Achilles ſe venturū promiſit, ſed non venit: ad pagum quendam profectus, vbi iam aliquot dies abeſt. Audieram eum profecturum Tubingam: & cum fortè ſuperuenirent, nobilis quidam Polonus, & alius duci Pruſſiæ à ſacris concionibus, ipſi quoq; Tubingam profecturi, illos in Achillis gratiam inuitaui, in vrbe eum eſſe putans, ſed in pago aberat, itaq; ſine ipſo diſceſſerunt. Mitto remedium, cuius admiranda vis ad ſecundas pellendas celebratur. Rhætus quidam iuxta Curiam, in 50. mulieribus, efficax ſemper et certum comprobauit. Literas ad Ant. Schnebergerum meum, cum poteris cura. nobilis illius nomen cui tradendæ ſint apud vos, iam non ſuccurrit. Reſalutat te ἀρχιτέκτων Friſius noſter, & hoc epitheto abs te decorari ſe gaudet. D. Camerarij carmen Grẹcum in Moibanum, Latinum fecit. Eiuſdem vitam D. Crato ad me perſcripſit: ex cuius literis hoc etiam reſciui, Moibanum noſtrum in manibus habuiſſe conuerſionem vitæ Belliſarij è Græco vulgari, an perfecerit, neſcit. Quod ſi inueniri poſſet, & ad me mitti, illum quoq; librum excudi curarē, & ſi imperfectus fortè eſſet, Græcum exemplar addi oporteret, vt ab amico meo D. Porto Cretenſi, qui Geneuæ nunc habitat, perficeretur. In Gallia nulla prorſus ſpes pacis: obſidetur Aurelia. Vale, 27. Feb. Anno 1563. Raptim, quadrante ante mediam noctem. His diebus bis ad te ſcripſi, & cupio an acceperis reſcire, &c. Mitto ad te ſpecimen noſtri de lapidibus libelli, qui proxima æſtate cudetur hic ſpero, ſed copioſior deſcriptio erit ſingulorum quàm in hoc ſpecimine. Tu ſi quid monere potes in hoc ſpecimine mutandum, adde: ſi quid etiam huius argumenti, mitte maturè, commodato ſaltem. Vbi inſpexeris, mitte quæſo ſtatim vnà cum epiſtolio noſtro, charta inuolue, alliga & obſigna, Eſslingam: aut ſi commodius potes, ad D. Schmidlapium Schondorffij, is enim facilè Eſslingam mittet ad Volmarium amicum ſuum. Vale iterum.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

TAm certum nuncium dimittere ad te ſine epiſtola mea nolui, præſertim ad nos rediturum, & vt ſororem quoq; tuam adiret

ret monui. Epiſtolam tuam de Auentini hiſtoria, neſcio vbi ſepo-
ſui, ſcripſiſti, ni fallor, tribus Tomis contineri, perfectum & pro-
bè ſcriptum ab ipſo authore opus eſſe: indicari à D. Illyrico tale-
ris quinquaginta. Quod ſi ita res habet, velim te ſcribere ad D.
Illyricum, eiq; plurimam meo nomine ſalutem dicere: & experiri
an taleris 35. aut ad ſummum 40. mihi concedere vellet, quod ſi
Typographus aliquis à me redimeret, duo exemplaria impreſſa
inſuper ad ipſum miſſurus eſſem: & curare, vt in præfatione ho-
norifica eius mentio fieret: vel ſi nollet, præfaretur ipſe. Alia quo-
que in re quacunq; gratificari ei ſi poſſem, facerem lubentiſsimè.
Darem fortè patrueli meo Typographo nouo, & pecunijs parum
abundanti. Hac conditione ſi velit ad me mittere, vt exemplar le-
gibile & integrum eſſe videam, & cum Typographo paciſci que-
am: ac ſi placuerit, retineam: ſin minus, ad ipſum remittam qua-
le accepi, non ſine munuſculo aliquo chartaceo: & vecturæ ſum-
ptum ego perſoluam, mittat quàm primum voluerit. Si impetra-
bis, et imprimatur liber, tibi quoq; exemplar vnum donandum cu-
rabo. Sin hoc non placet D. Illyrico, exſcribat mihi ſaltem vnum
& alterum carmen Germanicum, ex antiquiſsimis, quæ eo volu-
mine continentur: pro quo officio non ero ingratus. Cupio au-
tem fieri maturè, vt priuilegium etiam quod & pro alijs quibuſ-
dam libris petet patruelis meus, in tempore petatur ab eo. Aceti
circiter duæ libræ, ſi deſtillentur cum duabus aut tribus drachmis
ellebori albi electi contriti, vaſis poſitis in cinere, & ſeorſim col-
ligatur aqua prima, quæ albidior erit, deinde ſecunda. prima vti-
lis erit ad aperiendas omnes viſcerum obſtructiones. dari poteſt
℥. ſ. vel amplius per ſe, vel cum ſacharo, aut ſyrupo aliquo. nulla
prorſus moleſtia, nulla noxa. efficacem expertus ſum in febribus
longis, à phlegmate, aut atra bile. Vtero etiam aut lienis obſtru-
ctioni, & morbis capitis, à materia craſſa, viſcoſa, frigida vtilem
non dubito. Secunda aqua plus virium aceti, quam ellebori habet,
& in calidis, & à bile ortis malis propinari poteſt cum alijs con-
uenientibus: penetrationem enim promouebit. Vtraque grati
ſaporis eſt. Si cinnamomi aliquid elleboro addatur, & bac-
carum Iuniperi, bene erit. Experire, laudabis. Aliâs a-
lia, ſed tu quoque viciſsim aliquid, quo
me oblectes & doceas. Vale.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

VLtimæ tuæ, Octob. 13. ſcriptæ, ad me peruenerunt: nec aliæ, ni fallor, poſtea: vt de incolumitate tua ſolicitus eſſe cœperim. ſcribe nunc quæſo per cognatum hunc meum vno verbo quî valeas, & quî cum Mecœnate noſtro agatur. Moibanica cras aut perendie (ſpero) abſoluam. Hodie literas Argentina accepi à Ioſia Rihelio Typographo, qui ſe Dioſcoridem Moibani noſtrum impreſſurum promittit Græcè & Latinè: & quod par fuerit numeraturum, in præſentia etiam, ſi liberos indigere intelligat, nempe circiter talerum pro quatuor chartis (Bogen) vt impreſſæ fuerint, tantum enim ab eo poſtulaui. Ergo ſi indigeant, admoneto, vt partem aliquam ſaltem nunc numeret, ſi modò nihil intercidat, quod non ſpero. Mittam ad eum exemplar maturè: & breui ad te dedicatoriam epiſtolam. Hein: Stephanus noſter occupauit me nuper aliquandiu cum ſuo Xenophonte. Noui ex Gallia nihil ferè habemus aliud, niſi quod modò hos, modò illos vincere, aut vinci audimus. Frœlichius qui ſummus erat Heluetiorum dux mortuus eſt. Vale. Deus O. M. nouum hunc ineuntem annum, ac multos deinceps, tibi tuiſq; feliciſsimum largiatur, & nos omnes ſuo ſpiritu per miſeram hanc & ærumnoſam vitam ad meliorem deducat. Vale. Tiguri Anno 1563. Ianuarij 2.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

CVm Froſchouerus noſter dolium ad vos miſſurus eſſet: illico hæc ſcripſi: Faſciculum D. Iulio Alexandrino inſcriptũ, mitto: qui continet tria exemplaria libri de anima ei à me dedicati. eum vt ſerues rogo, donec commodè in aulam, ad ipſum mitti poſsit. dubito tamen an in aulam adhuc redierit. Poſtremas ſuas literas ſub finem Ianuarij Iſnia ad me dedit: quibus ſcribit, ſe Oeniponte paucos dies futurum: inde in patriam (Tridentum puto) progreſſurum. nec addit, quandiu illic ſit moraturus. Multum mea refert, vt tutò accipiat hunc faſciculum, propter priuilegium ſuper libris quibuſdam, per eum mihi impetrandum, & inter alios etiam pro Moibanico opere. alioqui timendum, ne quis omiſsis Græcis Latina ſeorſim edat. Sed ſatis eſt in aulam mitti, adſcripſi enim, vt in eius abſentia D. Seldius aperiat. Dioſcoridis noſtri

ſtri partem Argentinam miſi nuper ad Typographum: & breui mittam plura. Confero enim exemplar Græcum cum ipſius tranſlatione, vt id quoque emendatius fiat, &c. Præfationes noſtræ, vt aliâs etiam ad te ſcripſi, poſtremò imprimentur: mittam tamen proximè ad te dedicationem noſtram ad Senatum. Tui valent, niſi quod Voglerus iunior ex calculo iam triduo ferè decumbit: ad eius curationem vel præſeruationem ſi quid non vulgare habes ſcribe. Vale. Tiguri Aprilis die ſeptimo, Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

ACcepi literas tuas poſtremas, quas nunc ſubitò reſponſurus non inuenio ad manum, & vrgent occupationes, vt perquirere non vacet. Ignoſce, quantum memini reſpondebo, alijs aliâs. Primùm omnium Deo Opt. Max. gratias ago de libertate Mecœnatis noſtri: cuius honor mihi perpetuò, vt virtus ac pietas eius merentur, curæ erit, nec minus nunc quàm cum maioribus diuitijs affluerct. Dabit Deus his meliora, ſi non hac tam miſera & caduca, in futura tamen & æterna vita, cuius guſtum hic percipimus ſacroſancti eius verbi meditatione, quam ei cordi eſſe, ex diſertiſsima eius oratione, quam Badenæ in menſa aliquando me audiente habuit, magna cum voluptate cognoui. Tu quoque illi non deeris, ſed conſtantem & perpetuum ei tum medicum, tum in fœliciſsima religione noſtra fratrem te illi exhibebis, vt tui ſimilis ſemper, hoc eſt, perpetuò vir verè bonus ſit. De cæteris aliâs ad te ſcripſi. Hein. Stephanus his diebus miſit ad me Erotianum Græcum tibi dedicatum, vnà cum Græcolatino dictionariolo medicinali, imperfecto adhuc, vt ſi quid addendum putarem, id facerem, aut monerem ipſum. Reſcripſi placere mihi librum, et vt maturè perficeret hortatus ſum, & de emendandis paucis quibuſdam monui. Doctiſsimo D. Stengelio plurimam ſalutem: illi ac tibi Georgium Sittardum meum, quem filij loco amo, peritum ſuę artis, doctum, pium, modeſtum, & honeſtiſs. iuuenem, ſemper quàm commendatiſsimum eſſe cupio, ita vt meam quoq; in gratiam, ſi quid re aut conſilio illum iuuare aliquando opus fuerit, aliquid vos feciſſe intelligat. Vale Tiguri.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

REmitto ad te Ottfridum tuum, quoniam Typographum ei nullum hic reperio. alibi etiam à nemine ſuſciperetur, niſi inſpectus. Si quæ occaſio dabitur aliâs, memor ero, poſſum enim eius oſtendere ſpecimen, partim è tuo exſcriptum, partim aliunde miſſum ad me, ſed tui codicis collatione emendatū. Interim gratias tibi ago, quòd tuo beneficio hoc tam inſigni antiquæ Germanicæ linguæ ſpecimine, frui mihi licuit. Si quando Mithridates meus πολύγλωττος denuò ædetur, ſpecimen huius libri addam cum honorifica tui mentione. Mitte quæſo etiam Gothicos Characteres tuos, vt conferam cum meis: & quicquid aliud occurret, quod Mithridatem noſtrum circa quamcunq; linguam orbis terrarum, in primis verò veterem Germaniam illuſtrare poſsit. De Auentino nihil amplius ad me ſcribunt Frobenij, à parentis fortè obitu non admodum curantes, præſertim cum non inſpexerint librum. Poſſet Dominus Illyricus partem eius aliquam ſaltem, dimidiam, tertiam aut quartam partem ad me mittere: vt ego primum viderem, deinde Baſileam mitterem, ad fidum aliquem amicum: vbi ſi non placeret Frobenijs, alijs Typographis oſtenderetur. non dubito quin inueniretur qui ſuſciperet ea conditione, quam aliâs ſcripſiſti. Opus omnino eſt librum præſentem inſpici, & inſpiciendum tradi etiam viris, à magiſtratu ad hoc munus, ne quid non approbatum ab eis ædatur, deſtinatis. quamobrem ſi quid ineſſet, quo Reſpub. aliqua offendi poſſet, eius fortè omittendi poteſtatem facere D. Illyricum oporteret, ſi obtineri aliter non poſſet editio. Quod me attinet, D. Illyrico hac in re inſeruiam libentiſsimè & optima fide, ac ſi res mea ageretur, præſertim cum tu, amicorum meorum omnium ſummus, & optimè meritus, intercedas. D. Iulius Alex. nuper reſpondit mihi, literis Iſnam ad D. Cögelium medicum miſsis, impetrauit mihi à Cæſare priuilegium pro libris aliquot meis quod tamen non mihi, ſed Typographis fortè vtile erit. Heri de Cæſaris morte rumor, neſcio an verus, allatus eſt. Mitto literas à ſorore. Ottfridum petes à bibliopoa veſtro, ad quem Froſchouerus libros mittere ſolet. Nihil erat noui quod adderem. Dominus Ioannes Funckius affinis meus archiatros Memmingenſis nunc, (is conſulis illic ex fratre nepos eſt, & alterius conſulis defuncti filiam nunc duxit) aliquos dies hic apud matrem ſuam fuit: per quem has mitto.

mitto. Promittit autem ſe literas noſtras mutuas ſingulis ſeptimanis curare poſſe, & velle. Ge. Sigharttus noſter his diebus ad me ſcripſit, & tua ac Domini Stengelij erga ſe beneficia prædicauit: quamobrem ego quoque benignitati in eum veſtræ gratias ago, & vt porrò etiam eum commendatum habere, ſi fide & diligentia ſua dignus videbitur, vti ſpero, pergatis oro. Vaſculum illud Eſslinga ad me miſſum, ne fortè mireris, continebat binos equi caſtrati teſtes, ſed malè ſiccatos, & iam verminantes, putentesq́; quare ſtatim abieci. petieram ab Eſslingenſi pharmacopola Volmario, amico meo, vt mitteret, quoniam apud nos nō facilè haberi poſſunt; debuerat autem fruſtillatim concidere & ita in fumo ſiccare, non integros. De vſu, ni fallor, aliâs ad te ſcripſi: ſed quia non ſatis, an ſcripſerim, recordor, repetam, vt D. Stengelio etiam affini tuo communices. De polline teſtium ita ſiccatorum, ad ſecundas pellendas è iure bibendum datur, quantum tribus digitis capitur: idq́;, ſi opus ſit, bis aut ter repetitur. præſentiſsimum eſt remedium & plurimis iam deploratis profuit. accepi hoc anno primùm è Rhetia alpina noſtra: vbi ruſticus quidam plus quàm in quinquaginta puerperis feliciter ſemper, vſus eſt: communicauit mihi illic miniſter Eccleſiæ vir doctus & φιλίατρος, qui & ipſe experimentum in vxore conſulis Curiæ iam deplorata vidit. & ego his diebus vxori D. Vuolphij medici apud nos dedi, quę ſtatim, vt ſemel accepit, ſecūdas enixa eſt. An in ipſo etiam fœtu promouendo idem poſsit, nondum expertus ſum. Hoc vos tanquam myſterium habebitis. Vale. Saluta D. Stengelium & amicos. Tiguri Auguſti 11. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

IAm diu chariſsime mi Gaſſere, nihil à te literarum accipio, nihil etiam ipſe ſcribo, nam neque operæpretium vllum habui, & ſcripturum me non amplius ſtatueram, niſi abſolutam Præfationē in Dioſcoridem noſtrū ſimul mitterē. Sed neſcio quomodo hactenus inſtituto huic meo ſatisfacere non potui: ita enim ſum animatus, ſiue vitium tu id appelles, ſiue interdum etiam virtutem, vt ſemper ea quæ maximè vrgent, primùm abſoluam: differri verò quęcunque poſſunt, quàm fieri longiſsimè poteſt, differam. Sunt autem multa ſubinde, quæ me vrgent & noua & vetera. Verbi gratia, heri accepi literas ab Hieronymi Frobenij Baſilienſis Typo-

graphi nuper defuncti filio, qui vt parentis vitam deſcribam aut ſaltem aliqua carmina Græcè, Latineq́ in eum condam, rogat. Horum poſterius negare non poſſum, tot tantaq́ illius in me beneficia extiterunt. Adorno etiam herbarium noſtrum maiore nunc quàm antehac conatu: icones enim fieri curo, & ſingulis ferè faciendis (pingendis, ſculpendis) ſtirpes viuas adfero ipſemet ex continente, pratis, agris, ſemitis, vineis, hortis, collibus, montibus, ſyluis, fluuijs, riuis, ſtagnis, lacubus, ripis, & quibuslibet alijs natalibus ſtirpium locis. Nataui his diebus in lacu, idq́ propter ſtirpes aliquas, licet iam annis aliquot deſuetus. Interim Dioſcoridem non negligo, dimidium iam miſi Argentinam, pecuniam, quam ſcripſi, accepi. ille expectat priuilegium è Gallia. Reliqua breui, Deo dante, perficiam: hoc eſt, Græca cum Latinis collata, mutuo ex alteris altera emendabo. De lapidibus quoque libellum nondum perfeci. Hæc nunc ſcribere volui, cum ſero diei iam audiuiſſem, medicum quendam veſtratem, Höchſtetterum puto nomine, hic eſſe, poſtridie ſummo mane diſceſſurum: nam neque is me inuiſit, nec mihi ipſum de facie ſimul & animo in me, ignotum adire vacauit aut libuit. Soror tua cum nepti & genero ſatis bene valent, Dei gratia, iam pridem mittendas ad te literas ab illis accepi, & neſcio quomodo, vt homines occupati obliuioſi ſolent, eas ad te mittere maturè oblitus ſum. Domum à ſe emptam gener pulchrè ædificauit, obtuli me ad munus feneſtræ. Cætera ex ipſorum literis cognoſces. Plura nunc non licet. His ſcriptis & obſignatis, dum nuncium expecto, tuæ 11. Iunij datæ Iulij ſecundo mihi redditæ ſunt: vnà cum binis ad ſororem, quas illi ſtatim reddidi, & nunc ab ea ſcriptas remitto. Pro raro & mirabili illo hydropicorum remedio, gratias ingentes ago: cum dabitur occaſio, periculum & ego faciam. Mentio eius à me fieri poterit, ſub tuo nomine in hiſtoria ſtirpium, vbi de cineribus diuerſis ſcribam. Ago etiam gratias pro ſcripto illo de motibus Daniæ & Suediæ, &c. Deus Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ pacem reſtituat. Ego viciſsim noui quod ſcribam nihil habeo. Literas meas Eſslingam cum opportunum erit, curabis. De anima librum meum, putaui me miſiſſe, ignoſce homini obliuioſo, qui ſeipſum ferè obliuiſcitur ſubinde. Mittam (ſpero) cum Froſchouerus dolium aliquod mittit: aut citius, ſi fuerit commoditas, nunc patruelis meus qui impreſsit, domo abeſt. Aeſtatem frigidiorem, & magis pluuioſam vix ſumus experti. Clariſs. D. Mecœnatis noſtri in me beneuolentia, tam eſt mihi grata, quàm quæ gratiſsima. Deus

ei per-

ei perpetuò adſit ſuo ſpiritu. Moibani & orphanorum memor ſum. Quæ de veteri Germanica lingua ſcribis, ijs acquieſco. Vale. Tiguri Iunij die 26. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS, ACHILLI P. Gaſſero medico.

QVæ de Phędrone, quem ego peſsimum nebulonem, magum appello, & eius farinæ hominibus, ſcripſiſti, intellexi, & mirari deſino, in tanta rerum & morum omnium corruptela, & ſacroſanctæ religionis noſtræ contemptu. dabit Deus his quoq; finem, ſed fortè non ante mundi finē, interea enim ſuos ſemper vult exerceri ceu in militia quadam hoſtibus tum externis tum inteſtinis. Ottfridum tuum cupio adhuc ad breue tempus retinere, vt de Typographo commodius inquiram. Nunc primum noſter è nundinis redijt, vt fatear tamen ingenuè, nulla mihi ſpes inueniendi vllius Typographi. Magis fortè locum haberet apud Belgas, ſiue inferiores Germanos, ad quorum linguam propius videtur accedere, aut Saxones. Sed hoc tu melius iudicas: & vidiſti fortè quæ in Mithridate noſtro ſcripſi: nempe omnes ferè veteres libros qui Germanicè ſcripti inueniuntur, Belgicè ſcriptos videri. Nudius tertius à Ioanne Vuilhelmo Reyffenſteinio, qui habitat prope Stollbergam, accepi duo folia ſpecimen Ottfridi tui, quæ mihi tranſcripſit ex codice qui illic in Monaſterio quodam puto habetur: eſt autem principium primi capitis Lucæ, idem planè cum tuo, ſed tu nonnihil emendatius deſcripſiſſe videris. Idem Alphabetum Gothicum miſit, & quædam eius linguæ (quæ & ipſa Germanica eſt) ſpecimina, ſicut & Georgius Caſſander vir doctiſsimus è Colonia. Interim laudo tuam induſtriam & virtutem, quòd tantum laboris in deſcribendo hoc codice poſueris: qui quantò minus plauſibilis fortè eſt in vulgus, tantò plus admirationis & laudis apud homines antiquitatis ſimul & pietatis ſtudioſos meretur. Nam ſi externas linguas, & quæ in eis antiquiſsima ſunt in primis, magno ſtudio plerīq; promouent, & id ſibi laudi ducunt: quantò magis laudandi ſunt illi, qui vt patriā linguam illuſtrent, laboris et ſumptus nihil ſubterfugiunt? Magna certè illorum & ſyncera animi liberalitas eſt, cui tum præſentes tum poſteri omnes plurimū debeant. Inter hos verò te vel principe loco numerandū non diſsimulabo; ſi quādo Mithridates noſter recudetur: cui foliū vnum ex tuo Ottfrido addā ſpeciminis cauſa,

ſi vixero. plurima quidem libro illi addenda ſum nactus circa lin‑guas diuerſas, ab eius editione. Teſticulatos illos iocos tuos cum riſu legi, & antiquum te obtinere intellexi. Quod libellum de Martyre Cracouiam potius quàm Vratiſslauiam miſiſti, bene eſt, ſed D. Crato cupidior illius legendi fuiſſet. Ab Heroldo hiſce die‑bus literas accepi: & eum nobis ſuperſtitem eſſe gaudeo. Moibani Dioſcoridem Typographus Argentinenſis hac æſtate ſe impreſ‑ſurum pollicetur: ſeriò, vt ſpero: quoniam pecuniam etiam obtu‑lit, ſicut ſcripſeram, pudet me tamdiu differre mittendam ad te Præfationem: quam quidem delineaui, ſed nondum tranſcripſi. Sed in omnibus penè rebus eiuſmodi ſum, ad differenda omnia, donec differre amplius non queam: non ſanè pigritia, ſed eo ma‑ximè conſilio, ſi quid interea aliud accidat, mutare vt liceat, vel addere, ſi quid ad idem argumentum conueniens legendo vel ali‑ter ſe obtulerit. De vocabulis illis, Altana, Ercker/ Schupfen/ & Stuben, Latinè reddendis, etſi in his parum exercitatus, quæ poſſum ad te mitto. hortatus ſum etiam Friſium vt aliquid inqui‑reret: à quo ſi quid accepero, addam. Sed ille ita ædificat, vt archi‑tecturæ veteris nec leges nec vocabula curet. Libelli de lapidi‑bus nullum amplius ſpecimen habeo. Breui, ſpero, excudetur: etſi non prius ſpecimen, ipſum ad te integrum, cum fuerit primùm abſolutus, mittam. Tui omnes hîc ſatis bene habent, laus Deo. Ex‑torſi à ſorore epiſtolam. Voglerus abeſt, cras puto rediturus. Ex Gallia nihil aliud ferè niſi pacem ſtabilitam audimus, etſi adhuc puto vtrinque in armis ſunt, nec omnes conditionibus eius ac‑quieſcunt. Has literas mitto per Doctorem Io. Funckium Mem‑mingenſem, patricium, affinem meum, iuuenem adhuc, & ſine v‑xore, medicum doctiſsimum, qui aliquandiu nobiſcum egit, nunc verò in patriam vocatur, vt illic medicinam exerceat. Mater e‑ius vidua, cum familia, hic adhuc manet. Quod ſi quando non ſit alia commodior ad nos mittendi literas occaſio, Memmin‑gam ad illum mittere poteris, ipſe enim ſubinde habebit tabel‑larios. His ſcriptis accepi literas à Rihelio, quibus ſcribit ſe ex‑pectare priuilegium è Gallia pro Dioſcoride noſtro, & Græ‑cos characteres nondum omnino abſolutos eſſe: ad pignus ta‑men voluntatis ſuæ miſit quindecim taleros. quos ego ſerua‑bo aut in meum vſum vertam, donec alia quoque pecunia ac‑cedat: vel tu ſignifices pupillos egere. Vale. Aprilis 22. An‑no 1563.

CON‑

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

BInas literas tuas accepi clariſsime D. Gaſſere: quarũ prior data eſt Iulij die 27. poſt quod tempus ad te ſcripſi (ſed literæ tuę, puto, non erant ad manum) & vt aërem mutares aliquantiſper, ac huc ad nos in primis te conferres, hortatus ſum. quod nunc quoque facio. idq; deſidero cum ſorore tua, & tota familia. Offero tibi domum meam, & memet totum, ſicut multa & magna in me beneficia tua, & antiquum amicitiæ noſtræ ius poſtulant. Pauca ſcribo hac de re, ſed ex animo. Salubris apud nos aër eſt Dei gratia, nec in vicinia vſquam, quod ſciam, infectus. Remedia de quibus ſcribis aduerſus hanc luem, vti efficacia mihi videntur, ita efficaciorem eis cenſuerim, aquam vitæ aliquam cum iiſdem ferè ingredientibus, & camphora, (cui multum tribuo) deſtillatam artificioſe: aut, ſi aqua vitæ viniue calidior videtur, quàm vt omnibus conueniat, cum aqua ſimplici aut etiam aceto. poterit autem deſtillari vel in cineribus, velut aqua cĩnamomi. Minus ingratus hic liquor erit, & clarus, & limpidus, & mirè penetrans tùm ad præſeruandum in parua doſi, tum ad curandum (per ſudorem præſertim) vtilis, ſi Deus voluerit, cuius hæc manus eſt, is te nobis & amicis incolumem conſeruet. Amen. Cum alteris tuis D. Adolphi Occonis literas, ad me miſiſti, pro quo officio gratias ago, reſponſurus illi vel nunc, vel proximè. De Boruſſo illo, cui ſuaſi, vt tuo conſilio vteretur, vix ſatis memini: ſi tamen conſilium tuum ei profuerit, cupio aliquando fieri particeps. De ſorore nihil: quoniam ipſa ad te ſcribit. De Hen. Stephani medico, nihil adhuc amplius reſciui. vbi quid cognouero, ſcies. Varia negotia, temporum difficultas, & nimirum etiam nundinæ, quæ nunc Franckfordiæ, vt audio, inauſpicatæ fuerunt, fortè in cauſa erunt, vt (ſi nondum abſoluit) tardius abſoluat: quæ cauſæ, metuo, vt etiam Dioſcoridem noſtrum retardent, quo tardius excudatur Argentinæ, nam illic quoque peſtem graſſari, nunc audimus. Vrgere ego non deſinam. Vale. Tiguri. Septembris die 26. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

NVncium nactus Memmingam, clariſsime & chariſsime mi D. Gaſſere, hæc ſubitò ſcribere volui. Literas tuas nuper ac-

cepi, quæ nunc mihi reſpondenti non ſunt ad manum, & inter mea Sibyllæ folia alicubi latitant. eæ mihi ſolicitudinem aliquam & metum de te iniecerunt, ſed ſeruabit te, ſi voluerit, Dominus, qui pilos capitis noſtri, & omnes noſtræ vitæ dies numerauit. Placet deſcriptio remedij tui deſtillati: quod etſi inſuauius camphora adiecta factum eſt, ſpero tamen efficacius futurum. Ge. Agricola in libro ſuo de peſte, & ipſe camphoram aquæ deſtillandæ addit, & alij multi, multis contra hanc luem probatiſsimis remedijs.

Nunc quæ ad huius flagelli tum præſeruationem, tum curationem pertinere mihi videntur, non tam te vt moneam; hoc eſt, Noctuas Athenas, quàm me vt exerceam, & cenſuras tuas audiam, perſcribam paucis.

1. Victus ratio conueniens, id eſt, minimè excrementitia, ad ſiccum, & in calido ac frigido temperatum tendens, non modò ad præſeruandum vtilis fuerit: ſed vt curatio quoque, ſi peſtis inuaſerit, melius procedat, non pleno, crudo, & malis humoribus abundante corpore. Inter alia laudarim in menſa ſalem medicatum, cum baccis iuniperi, ſemine fœniculi & pauco pipere, &c. Et vinum abſinthite cum ruta, ſaluia, &c. vel aromatite, in prima menſa ſaltem.

2. Ad præſeruandum probo remedia quæ ſiccant, & aperiunt, ita vt non nimis calefaciant: corpore autem iam purgato, & non crudo exiſtente, roborantia & aſtringentia, vt Armeniam & Lemniam glebas, tormentillam, &c. Purgari autem meatibus apertis corpus debet paulatim pillulis Rufi, &c.

3. Phlebotomiam conſulerem ad præſeruandum magis quàm curandum, ſanguine abundantibus, ita vt bis aut ter modica & diuerſis in locis fieret, potius quàm ſemel copioſa vno in loco.

4. Boli Lemnia & Armenia & tormentilla, iunioribus calidis, & ſanguineis, & humidis, præcipuè conueniunt, alijs non item.

5. Ad curandum, phlebotomiam non laudo: niſi in paucis, iiſq; robuſtis iuuenibus, ſanguine abundantibus, quibus eam copioſam conſulo, præſertim ſi ad præſeruandum prius non detraxerint.

6. Probo autem in omnibus ferè medicamentum ſudorificum illico dari (ſoluta tamen prius aluo, ne excrementorum vapor cũ ſudore citatus inficiat corpus) vt theriacam optimam, aut ſimile quid: in quo & opij nonnihil ſit, cuius vi venenoſi vapores humoresq; denſentur & cohibeantur, ne in venas ſe ſpargere, & ad

cor ex-

cor extendere poſsint. Et euphorbij aut alterius ſimilis pharmaci calidiſsimi ſimul ſubtiliſsimiq́;, quod à centro ad ſuperficiem propellat, & habitum totum corporis ſudore valido digerat, ita vt ſi quid vel ante vel inter ſudandum, vt fieri neceſſe eſt, ad cor peruenerit, id ipſum illic colligi & inhærere non poſsit, ſed vehementi in ſudorem reſoluentis ſe in corporis motu diſcutiatur. Inter ſudandum, vt diutius ferre poſsit æger & cor etiam muniatur, aliquid foris cordi applicandum eſt, vt Lemnia cum roſacea, & ſudoris tempore medio iam peracto, aliquid per os dandum, vt ſpecies liberantis cum ſucco citri vel ſyrupo ex eo, vel modico de oleo vitrioli. Cæterum cum Euphorbium fortè pueris, & calidioribus temperaturis non conueniat, pro eo camphoram ſubſtituerem in illis. Opij vſum qui damnare voluerit, is theriacam quoq;, & pleraſq; potentiſsimas laudatiſsimasq; veterū antidotas damnet. Extat And. Lacunæ de peſte libellus Argentorati excuſus 1542. vbi poſt ſanguinis detractionem (hanc enim ille probat, ego cum doctiſsimis ſeculi noſtri viris Fracaſtorio & Ge. Agricola non probo: vt neq; purgationem. vtriſq; enim & vires debilitantur: & tempus prorogatur, quo venenum cordi appropinquare poteſt) mox propinat antidotum, nempe Mithridatium cū bolo Arm. ex aqua rumicis, bugloſsi aut ſcabioſæ. Pueris verò & grauidis mitius remediū ex bolo, corallio, diamar. &c. propinat. Sin febris, inquit, vſq; adeò ardens non ſit, æger verò ætate prouectus, ac tempeſtas etiam brumalis, detracto ſanguine, propinetur illi ex aliqua dictarum aquarum, drachma vna aut dimidia ſequentis antidoti, quæ miram & incredibilem aduerſus peſtilentes affectus obtinet facultatem. Eius autem talis eſt compoſitio.

℞. xylobalſami, carpobalſami, foliorum hyoſcyami, cinnamomi electi, caſsiæ ligneæ, agallochi, doronici, maceris. ana. ʒ. ij. ellebori nigri. ʒ. iij. ſeminis papaueris nigri, opij, gentianæ ana. ʒ. ij. Euphorbij recentis. ℥. j. croci. ʒ. vj. mellis clari ℔. j. fiat liquidum electuarium ſecundum artem, quod ſeruetur in vaſe fictili, illitoq́; atq; detruſo in hordeaceam farinam. Agitari autem ſingulis diebus debet, aut cochleari, aut bacillo, idq́; vnius menſis ſpacio. Poſtea verò vtitor. Mirè enim ſudorem prouocat, ſuccos virulentos diſcutiens. Hæc Lacuna. Scio & amicum meum quendam non indoctum, & Paracelſi ſectatores in huius luis curatione, antidotos opiatos præferre. Quod ad Euphorbium ſi quid obijcias, alterius cuiuſdam amici noſtri (qui doctiſsimos in Gallia & Italia medicos vidit) verba ex eius ad me epiſtola, tibi fortè ſufficient:

Stibium præparatum, inquit, in peſte non probo. Euphorbij ſucceſſum aliqui iactant. Compoſitio noſtratium talis eſt.

℞ Euphorbij maſticis, ana. ℥.ſ. croci orient. gra. v. trita ſingula ſeorſim cum melle roſ. redigantur in maſſam : cuius exhibent forma pillularum à ſcrupulo vno, vſq; ad ij. vel ij.ſ. Florentini medici euphorbij. ℈.xvj. accipiūt. gummi elemi. ℥.j.ſ. maſtiches. ℥.j. & huius drachmam cum aqua ſcabioſæ vel brodio non ſine miraculo exhibent. Hæc ille. Ego in calidioribus, euphorbij loco, camphoram ſubſtituerem, aut partes miſcerem æquales, aut opij aliquid adderem.

7. Proximè, ni fallor, ad te ſcripſi, præferenda mihi videri remedia deſtillata, quòd ea citiùs penetrent. citiſsima autem penetratione opus eſt in hac lue. Verùm ſoporifera, (quod nunc addo) vt opium & ſimilia, alijs deſtillandis non adderem: tum quòd ea nollem ad cor penetrare: tum quòd deſtillata ea deteriora & noſtræ naturæ nocentiora fieri mihi videantur, calida non item, niſi fortè metallica, de quibus hic non loquor.

8. Sudor promoueatur ſi ſit opus, vel lateribus ignitis panno madenti inuolutis, per ſe aut cum chamæmali & meliloti aut artemiſiæ floribus, qui bullire in aqua cœperint additis, ad latera, ad pedes, vel hordeo cocto, feruentiq;, ita vt pedum plantis applicetur in linteo.

9. Locus in quo æger decumbit, foramen apertum habeat ſuperius vt halitus peſtilentes exeant, præſertim eo ſudante, id foramen alternis aperiri poterit & claudi: cum enim ſuffimigia idonea fient, cum aqua roſarũ camphorata, aliaq;, claudetur aliquandiu locus, deinde rurſus aperietur.

10. Poſt ſudorem aluus balano ſolicitetur: & æger omnibus modis recreetur, & caſsiæ cum ſucco berberis aut acetoſitatis citri aliquid ſumat. Et paulò poſt cibum capiat: ad quem etiam cogi debet, ita vt parum & ſæpius ſumat. Et roborantibus varijs intus foriſq; vtendum.

11. In præſeruatione, quod ſupra pręterij, curandũ vt aluus ſemper ſoluta, aut ſaltẽ non dura ſit: vt ſi inuadat peſtis, mox vel glande (longiuſcula & efficaciore) vel leui clyſtere amplius ſolui poſſit, & inde ſtatim ad ſudorem perueniatur. Hæc in præſentia in mentem venerunt: quæ omnia doctiſsimæ cenſuræ tuæ ſubijcio, tuiſq; experimentis, quorum nunc occaſionem habes. Cum alium liquorem deſtillari iubebis, poteris camphoram, (ſi videbitur) omittere: ſed addere antidoto aut theriacæ, quæ liquori illi a d-

mixta

mixta propinabitur. Quæ deſtillationi præparantur, infundi ſatis eſt: coqui ſuperfluum videtur. neq; video id obſeruatum ab artis huius peritis. exhalant enim boni & odorati ſpiritus inter coquendum. Mitto libellum de deſtillatione olei de Karabe ſiue ſuccino, quem Ge. Sigharto noſtro dabis (eum enim aliquando à me petijt, & putabam me iam miſiſſe: nunc fortuitò reperi) & pluri mam ſalutem ei ex me dices. Vale in Domino qui vos omnes conſeruet. Nouemb. die 11. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

IAm obſignatis meis ad te literis, tuas ad me vltimas inueni. Medicamenti tui aduerſus peſtilentiæ venenum ſimplicia perplacent, ſed ſicuti ſcripſi, mallem ea ante deſtillationem non ebullire. Conijcio deſtillationem in balneo factam eſſe, efficacior autem in cineribus fieret. Hodie ſpecimen liquoris ſiue aquæ illius theriacalis à Georgio noſtro accepi, quod ſanè placet: poteritq; eius vſus eſſe etiam ad alios morbos, frigidos et phlegmaticos, vt epilepſiam, vertiginem & ſimiles: item ad colicam; quartanam, ſi ter quater mane dentur ℥.vj. adq; calculos, & vrinam promouendam. Si denuo nobis deſtillanda fuerit, ſuaderem vinum maluaticum ſeorſim deſtillari, in aquam vitæ optimam, in cineribus poſtea ei admiſceri ſpecies reliquas, & cum ad vnum aut alterum diem infuſæ fuerint, iterum deſtillari in cineribus lento igne guttatim, vt artis eſt. De ſurdaſtro autem illo, cui aures tinniunt, nihil planè hactenus à quoquam audiueram. Nihilominus verò gratum eſt, quod me licet neſciente, aliqua ex parte in meam gratiam feciſti: & conſilium hoc tuum, ſi caſus ſimilis fortè ſe mihi obtulerit, non erit mihi inutile. Si oleum ſtibij in curatione peſtis aliquid boni præſtiterit, fac ſciam, potero enim eius pauxillum ad vos mittere, & ſimul præparandi rationem. Scio aliquos etiam magnos medicos ſtibium ita præparatum, vt hyacinthus gemma videatur, laudare, cuius 4. aut 5. ad ſummum grana dantur: ſed id vehementi ſupra infraq; purgatione, vires vehementer proſternit. Nuper D. Aegidium Tſchudum à quartana & aſthmate, in paroxyſmo ei ſemper ſuperueniente, curaui, primum oxymelite noſtro per triduum dato, deinde oleo vitrioli.

Vale. Tiguri 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

ETſi iam diu nihil à te literarum habuimus, chariſsime Gaſſere, ſperamus tamen (ſicut & optamus & Deum oramus) te nobis ſupereſſe incolumem. D. Funckius Memmingenſis, qui aliquot diebus hîc apud matrem fuit, cum hinc abiret, per eum ad te ſcribere volui, & ſororem quoq; tuam monui, ſi quid ad te vellet. Ad meam de peſtis curatione ſententiam, quam pridem ad te miſi, reſponſum tuum expecto. Hali in Commentario Artis paruę ſcribit, poſt Galenum & Dioſcoridem inuenta eſſe remedia efficaciſſima, quæq; celeriter curent: ſicuti Camphoram in febribus peſtilentibus: Moſchum, in iiſdem frigidis. Alexander Benedictus, qui libellum de peſte non ineruditum edidit, à Camphora tanquã ſtomacho ingrata abhorret. Nic. Maſſa in eiuſdem argumenti libro, Venetiis impreſſo, in cap. de prę ſeruatione à peſte, antidotum Iac. Ricij ponit valdè commendatam, cui Euphorbium & Camphora copioſè miſcentur. & eodem in capite aliam antidotum eiuſdem authoris ex cordialibus & purgantibus compoſitam, quam ſexcenties ait expertam eſſe, & ipſum Ricium, dum Venetiis in Lazareto mederetur peſte laborantibus, eius vſu infinitos præſeruaſſe. Nemo (inquit) hanc medicinam ſumpſit, qui à febri peſtilentiali præſeruatus non ſit: multi etiam infecti cum apoſtematibus malignis in emunctoriis & carbunculis, ex eius aſſumptione liberati ſunt. Hunc librum tu fortè habes, aut habere potes. Sin minus & petis, locum tibi tranſcribam. Baſileæ nuperrimè Oporinus impreſsit Iacobi Peletarij libellum de peſte: in quo audio illum primas tribuere, quod ad curationem, Antimonio ritè præparato: & præparationem eius docere meliorem, quàm à pleriſq; obſeruatum ſit hactenus. Vale in Domino Chriſto, qui te ſibi et nobis conſeruet. Tiguri 1563. Decemb. 20.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

VIde infortunium meum, ante 14. dies ad te ſcripſi. nec inueni tum nuncium, quem ſperabam. Ante octo dies acceſsit quidam, qui ſe pollicitus mox ad me reuerſurum, decepit. Tum tertius ſuperuenit, ad matrem D. Funckij noſtri, quæ illi epiſtolam meã commiſit, tamquàm Lindauiũ ituro. ſed is neſcio quo ſpiritu, aliam ingreſſus eſt viam, & cum ad miliare hinc diſceſsiſſet, lite-

rarum

rarum faſciculos duos meos quos acceperat (nam ad D. D. Iulium & Cratonem in Aulam quoq; ſcripſeram) aperuit, ſemilaceros abiecit. Horum fragmenta reperta ad concionatorem proximi pagi delata ſunt, qui manum meam agnouit, & ad me remiſit proprio nuncio. Epiſtolæ tres mihi prorſus periere: aliæ peſsimè tractatæ rediêre, vt vides in hac ad te ſcripta, quam idcirco ad te mitto, vt & ignoſcas tarditati meæ, & nonnihil condoleas. Legere quidem adhuc poteris, lacera expleui in margine. Gaudeo ſaltem articulos illos prolixè ſcriptos de Bernardino Ochino non eſſe amiſſos: quos adhuc ſatis legere poteris. Amiſſa tamē eſt ſcheda quædam adiuncta, in qua non bene memini quid ſcripſerim. Rihelius ad Dioſcoridem pertinentia iam à me omnia accepit. ſi contingat me hinc te præire ad meliorem vitam, tu ſolus præfaberis. tuam ſeruo adhuc præfationem, & addam meam quando primùm licebit. Cogit me patruelis, de lapidibus & metallis librum vt abſoluam: quæ res rurſus moram mihi iniicit, ſed vt ſpero breuem. Auentini Tomum his diebus Baſileam miſi, reſponſum expecto: quod vbi habebo, primo nuncio ſcies. Georgij Sighardi noſtri literas hodie accepi: cui propter occupationes non reſcribo: cupio autem eum ſalutari peramanter, Petri Figuli, Ge. Clauſeri, & meo nomine. In ſcheda, quam dixi amiſſam, memini nunc me reſpondiſſe poſtremis tuis, quarto Ianuarij datis: nempe curaturum me tibi Icones animalium depictas, vt petis. Sed Froſchoueri pictor iam in magnis voluminibus pingendis occupatus eſt: & Icones pictas omnes Froſchouerus Franckfordiæ habet: vnde commodè forſan ex proximis nundinis ad te mitti poterunt, niſi aliud interim ſignifices. Quod ad Erotianum, ſcribam ad Hen. Stephanum Geneuam. Argentinæ peſtis occeperat (nunc penè euanuiſſe audio) vnde Magiſtratus medicis omnibus præcepit, vt ſuum quiſq; conſilium conferant: & confectum ex omnibus libellum D. Andernacus, maximus natu, conſcribat. Eius exemplar ſpero me breui habiturum, quod ſi petieris mittam. Vale, Tiguri Ianuarij die 21. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. *Gaſſero medico.*

SCribo iam hęc multa iam nocte incœnatus adhuc, vt vides, ſubitò. Ignoſce: Quæ de peſtis curatione, non ſanè tui docendi, ſed mei exercitandi ac tuum audiendi iudicium gratia ſcripſi, ea

tibi non diſplicuiſſe gaudeo: & video nobis in pleriſq; conuenire. Opium non niſi calidiſsimis antidotis addendum, ego etiam ſentio: ſed tales ferè ſunt, quæ in peſtis curatione dantur. nam vt alia omittam quę opium diſertè recipiunt, nobilis ille Saxonicus contra venena puluis (de quo fortè à Moibano noſtro audiuiſti, ego Moibanicæ antidoti nomine in Euporiſtis Dioſcoridis deſcribo, &c.) herbę paris (id eſt Aconiti primi Fuchſij) folia & fructus recipit: quæ non minus ferè ſtrenuè quàm opium refrigerant. Summè autem antidotus illa etiam in peſte facit, vt audio ab expertis: ita vt ſubitò interdum liberet, per aluum, vrinam et vomitum purgando, vſu longè tutiore quàm antimonij præparati, aut præcipitati, aut aliorum quorundam. Sed & electuarium de ouo, recipit vomicam nucem: cui vim refrigerandi in quarto attribui video. dubito tamen adhuc. Modum tuum procedendi libenter legi, ſicuti & ea quæ de Guaiaco deſtillato ſcribis: cuius & ipſe faciam periculum. A D. Cratone & Iulio literas hodie Vienna accepi. Sighardum noſtrũ ſaluta, à quo diu nullas literas habui. ego tuo nomine D. Tſchudum. Ochini dimiſsionis cauſam, vt voluiſti prolixè ad te mitto, vt Senatui ab Eccleſiæ miniſtris hic eſt exhibita. Si tu de illo vbi ſit, aut quo abierit (in Poloniam fortè, aſylum heteroclitorum) reſciuiſti: ſignifica. Epiſtolas illas Loiolanorum (pro quibus etiam gratias habeo) libenter legi. Continent enim lectu iucunda quædam. ſed ſuperſtitionem Papiſticam ab illis tantopere ſpargi, doleo. Ieſuitarum nomine, vt recte mones, abſtinebimus poſthac. Moibani Dioſcoridem (Dei gratia) perfeci, ſupereſt tantum, quam vrges, dedicatio: quam curabo, vt accipias breui omnino. Typographus Argentinæ promittit ſe iam inſtante vere incepturum, & miſit operis ſpecimen, quod placet. Pupillorum memor ſum, & ero. Annalium Boicorum Tomum primum integrum accepi. D. Bullingero heri dedi inſpiciendum: cui ſummopere placet. Certius autẽ aliquid de eo, quàm poſſum primùm ſcribã. Sorori literas miſi cum ſtrena, & reſponſum eius hîc mitto. Vale in Domino Chriſto qui te nobis perpetuò conſeruet, donec in meliore, quam ſperamus vita, nos aliquando coniungat. Tiguri Ianuarij die 8. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

CVm certus nuncius ad affinem tuum M. Felicem Lindauium mihi daretur, ſalutare te volui: & ſimul mittere Nicolai Epiſcopij

Epiſcopij Baſilienſis Typographi ad me epiſtolam: vt inde intelligas promouendam Auentini editionem mihi curæ eſſe. Eam epiſtolam ſtatim vt accepi, reſpondi, me cupere cum quouis alio Typographo illic agat, qui editionem ſuſcipiat iiſdem, quas ad eum ſcripſi conditionibus. id quod eum rectè (prudenter ac fideliter) facturũ ſpero. amat enim me, quicquid efficietur ſcies aliâs. Literas Ge. Sigharto noſtro curabis diligenter reddi: ineſt enim aliud nuptiale munuſculum. Nucem vomicam narcoticam eſſe, de quo dubitabam, iam certius cognoui. curaui enim his diebus vt ℈.ſ. eius daretur cani cum carne cruda: is deuorauit, poſt horam mediam obdormijt, & intra horas quatuor perijt, cum inter dormiendum modò capite, modò cruribus ipſum conuelli apparuiſſet. Tum alteri etiam cani tantundem huius nucis ſimiliter dedimus, & poſt horas ferè tres cum grauia ſymptomata ipſum iam inuaſiſſent, Antidoti Saxonicæ ex herba paride, &c. de qua audiuiſti fortè (nam ego illam primùm à D. Moibano accepi) ʒ. ſ. cum carne dedimus, quod remedium cum deuoraſſet (& ſi non ſtatim id admittebat, ſed ſæpius oblatum tandem vorauit,) ſanatus & nihil mali paſſus eſt, etſi non euomuit, fortè quòd tardius antidotus data fuerit. Hæc quidem antidotus mirificè etiam contra peſtem valet. Ergo quod de Opio ſcripſi, ſui peſtilentiâ ipſum reſiſtere antidotis mixtum: id Electuarij etiam de ouo dicti argumento comprobatur, quod nõ opium quidem, ſed nucem vomicam, opio fortè vehementiorem vi refrigerandi, recipit. Mirum autem hæc vtcunque peramara, ſummè tamen frigida eſſe: ſicut & coccalos Leuanticos. Hoc etiam mirum, frigidiſsima hæc ſudorem mouere, quod cùm aliâs obſeruaui, tum ante paucos dies, cum mulieri ſuffocatione vteri ſimul & ventris fluxu periculoſo laboranti, hoc medicamentum præſcripſi.

℞. Theriacæ nouæ ʒ. ſ. philonij ℈. j. Terræ ſigillatæ, medullę monocerotis, ana ℈. ſ. Tormentillæ grana vij. miſce cum pauco ſyrupi de limonibus. Hoc totum accepit à cœna, hora nona, hoc eſt tribus ante mediam noctem, & paulò poſt ſudare & dormire cœpit, inde paulatim ad meliorem ſtatum redijt. Hoc ipſum verò medicamentum peſte etiam correpto vtiliſsimè propinari nõ dubitarim. Sed quid ego noctuas Athenas? D. Funckius affinis meus propoſitiones 18. Io. à Suchten cum antitheſibus D. Stengelij et cenſura tua, grauibus ſanè argutijs & eruditis, nuper ad me miſit, quarum exemplar deſcribi mihi curaui. D. Funckij autem manum in Poloniã ad ipſum Ioh. de Suchten miſi, incluſam epiſtolio meo,

quo ipſum ne ſalutatione quidem dignatus, moneo vt reſipiſcat, & poſtea, ſi voluerit, vobis reſpondeat, literis Norimbergam miſsis, quo ego etiam ad amicum miſi: ſin minus, nō eſſe, quod ad vos ſcribat quicquam. neq; enim reſponſo vos eum dignaturos. Lucubrationem meam de metallis & lapidibus iterum præ manibus habeo, diu intermiſſam, proinde ſi quid tu, aut D. D. Stengelius habetis, quod librum hunc meum quoquomodo, aut pictura aliqua, aut deſcriptione ſeu facultate aliqua inſigniore, ornare queat, communicate. tu quidem aliâs quædam ad me miſiſti: ſed vellem D. Stengelium quoq; ad idem faciendum hortareris. Mira de lapide bezoar D. Crato nuper ad me ſcripſit: quem ego lapidē nunquam vidi: Cæſar ex Hiſpania accepit. Non dubito, quin ex Fuggeris aliquis habeat, quod ſi reperiri apud vos poſſet, nihil gratius quàm eum videre, illico optima fide remiſſurus, aut ſaltem picturam, & deſcriptionem eius accipere, hoc tempore mihi ſatis foret. ego lapidem illum vtcunque precioſum, magnam cum Aëtite cognationem habere ſuſpicor. Siue autem hunc ipſum lapidē, ſiue aliud quidpiam circa quoſuis lapides aut metalla rarum & cognitione dignum, videndum ad me, aut deſcriptum miſeritis, tu aut D. Stengelius è rebus veſtris aut aliorum, apud quos fidem veſtram interponatis, gaudebo vehementer, et honorificam in ſingulis illis, quę vobis debuero, mentionem faciam. Non dubito autem quin etiam doctiſsimi viri D. D. Adolphi Occones pater et F. ſi quid haberent huiuſmodi, vtendum fruendumq; aliquantiſper concedere vellent: aut (ſi quis alius) apud vos me nouit. Vale & ignoſce homini importuno, ſed (ſi quis alius) naturæ ſtudioſo. Tui hîc valent. Deus te quoque conſeruet. Saluta amicos, D. D. Stengelium in primis, qui cum in Antitheſibus ſuis inter coryphęos rei medicæ noſtri ſeculi me adnumerat, meritò pudorem tenuitatis meæ conſcio, mihi excitauit: agnoſco tamen ipſius in me beneuolentiam non vulgarem, ipſius quoq; honori (ſi quæ naſcetur occaſio) fauturus. Vale raptim, Feb. die 12. 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

SCribis te poſt vltimas meas ter ad me ſcripſiſſe. Ego verò tuis omnibus reſpondi maturè, & metuo ne quæ de meis reſponſis interciderint fortè. Tuas nono Februarij datas heri accepi vnà cum faſciculo literarum D. Illyrici, quem craſtino Baſileam me mittere

mittere poſſe ſpero. Literæ Vienna miſſæ, D. Cratonis & D. Iulij ad me ſunt, vnà cum priuilegio Cæſareo, quod ſuper aliquot libris meis petieram, clementer mihi conceſſo, & ſine vllo ſumptu meo: hoc tamen operam dabo, vt D.D. Iulio & Cratoni, quibus hoc beneficium præcipuè debeo, chartaceis ſaltem munuſculis mittendis, non ſim ingratus. Auentini exemplar iam pridem accepi, id quod nunc tertio tibi ſcribo. nuper id Baſileam miſi & expecto reſponſum. Epiſcopius quidem, cuius ad me epiſtolam ante paucos dies ad te miſi, non voluit recipere, ſed promiſit ſe diligenter cum alijs acturum, &c. quicquid fiet, ſignificabo maturè. Priuilegio iam, vt ſcripſi, in aliquot libros, à me edendos mihi conceſſo, & inter alios in Moibani Dioſcoridem quoque, ſpero Typographum Argentinenſem id citius, ſi nondum incepit, incepturum abſoluturumq́ opus. De nata tibi nepte Catharina gratulor, & Deum oro, qui eam tibi ac parentibus, iucundiſsimum ſenectutis tuæ ſolatium diutiſsimè futuram, conſeruet. Nunciaui hoc euangelium etiam Euphemiæ tuæ: & ſi quid ad te vellet, curaturum me, addidi. Peſtis Baſileæ nonnihil augetur. Apud nos multi pleuritide et angina pereunt. Euangelium in Gallia creſcit. D. Andernaci de peſte librum Germanicum Argentinæ editum ſi deſideras (mihi quidem lectu dignus videtur) nec breuius aliunde habere potes: mittam hinc ad te. etſi vnum tantum exemplar habeo. De nucis vomicæ veneno & remedio, in canibus tentato, nuper ad te ſcripſi. Nunc addo, Opij vim contra peſtem præcipuam eſſe, teſtatur etiam Solanum ſyluaticum (Sollwurtz) quod in peſtilentia porcorum efficaciſsimum eſt remedium, vt Tragus ſcribit. Vim autem habet opij. D. Crato edidit Periochen Therapeuticam, quæ Baſileæ nuper impreſſa eſt, in cuius præfatione Theophraſteam ſectam grauiter reprehendit. Saluta D. Strengelium: cuius Antitheſes laudo, ſicut & tuam Cenſuram, vt nuper ſcripſi. Vale. Februarij die 20. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

Poſtremę tuę V. CL. nono Martij datę, eiuſdē die 16. mihi redditę ſunt. In ijs quæ de Guaiaci ligni ſtillatitio liquore ſcribis, libenter cognoui, tum aliâs, tum quòd ad hiſtoriā ſtirpiū meā hoc quoq́ faciat. Typographus noſter nūc Francfordię abeſt: à quo reuerſo intelligā, an Icones animaliū om̄e genus pictas, ꝑ te habere

poſsim. Icones enim ni fallor (vide quàm ſim obliuioſus) ſolas petis. Ab eodem ſpero me accepturū à Rihelio Argentinenſi reſponſum, quando tandem Dioſcoridem noſtrū ſit abſoluturus. Vbi primùm cepiſſe intellexero, præfatio tam diu dilata, à me abſoluetur, & mittetur ad te maturè. Quæ de peſtis curatione ex coniecturis meis ad te ſcripſi, omnia iudicio tuo, & experientiæ rerum (quæ mihi hac in parte perexigua & penè nulla contigit) ſubijcio. Narcoticorum curam cùm peſtis curatione non confundo. ſed nucem vomicam narcoticam eſſe, tibi probare volui; hoc eſt, opij vim habere, & tamen antidoto contra peſtilentiam celebri admiſceri: ſicut & alia narcotica alijs contra peſtem antidotis. Vnde ſequitur, ſi narcotica peſti aduerſantur, vt contraria ipſorum quam peſtis ratio ſit. peſti enim medentur. contraria autem contrarijs medentur. Facetiam tuam de ſuibus & vicinis veſtris riſi. Multa certè in homine & brutis quibuſdam contra eoſdem morbos, ex æquo opitulantur: vt cum aliunde, tum Veterinarijs libris Græcis atq; Latinis aſtruere poſſem. In primis verò porcis noſtri, quod ad corporis partes interiores, plurimum cum homine conuenire. Sed hæc ſinamus. De ipſo verò Solano ſyluatico (ſi prius non ſcripſi: ſum enim obliuioſus nimis) hoc à me accipe, & cæla omnino tanquam myſterium: ſuccum ex eius fructibus (acinis, qui ceraſa referunt) expreſſum & ad ſyrupi conſiſtentiam cum pauco ſacchato decoctum, ita efficacem eſſe, vt vel ligulæ, aut cochlearij parui menſura ſomnum inferat, fluxiones ſiſtat, dolores tollat, dyſenteriam curet. gratus eſt planè, ſed cauendum ne amplius detur. ego cum laude vſus ſum. Eiuſdem radicis particula, dimidiæ drachmæ fortè pondere, ſi in poculum vini inijciatur: & de illo vino alicui propinetur (id quod per iocum & ad illuſionem aliquos feciſſe ſcio) per horam aut dimidiam ante cœnam, eum qui guſtarit, in cœna ab omni cibo alienum futurum, & cum non ægrotet, nec doleat, edere tamen non poſſe: quod ſi cochleare aceti aut ſucci limonis biberit, ſtatim liberatur & edit. Hoc argumento contra alia etiam eiuſmodi venena, maximam aceti, aut limonis citriue ſucci vim eſſe conieceris. Hæc ne cui hominum dixeris, ne quis abutatur, niſi fortè Domino Stengelio noſtro, quem ſalutabis peramanter, amo enim ipſum: primùm quia benè meritus eſt de me, deinde propter eruditionem, tertiò quia tuus eſt amicus: poſtremò propter Sighardum meum, vt ei faueat: Sighardum quoq; ſaluto: cuius literas nudius tertius accepi. Si quid D. Stengelius haberet, vt non dubito, quod vel ſtirpium hiſtoriam meam

meam aliquo modo ornaret, vel librum de metallis, & lapidibus, quem nunc ſub manibus habeo, circa picturas, res ipſas, nomina, facultates, quantulumcunque, perſuade vt mihi communicet. Peſtem apud vos remiſiſſe gaudeo, & vobis gratulor. Monocerotis cornu verum ego vidi, & particulas quoque, ſiue ſegmenta, ſi ſuperficies eis adſit. Ceruinum autem cornu pro eo poni, non improbo. Cenſuram tuam & D. Stengelij in propoſitiones nebulonis illius à Suchten, cum D. Funckius ad me mitteret, quantum recordor, petebat, veluti veſtro nomine, vt in Poloniam mitterem: id quod faciendum exiſtimaui. Certum eſt illum ipſum eſſe authorem: nam ſub eius nomine etiam D. Crato prius ad me miſerat. Quod ſi ille auſus eſt contra publicam veritatem calumnias ſuas ſpargere, imò publicare, nos pro veritate artis illius quam profitemur, & publica mortalium ſalute, illi reſpondere dubitabimus? Perge Achillem in illos impoſtores, et peſtilentes homines agere, ego me lubens tibi Patroclum adiungam. Malo nodo malus quærendus eſt cuneus. Preſtantiſsimo viro D. Adolpho ſeniori, plurimum ſalutis ex me dicito. nam filium adhuc Memmingæ hærere puto. Scribam ad F. breui, nunc hæc multa nocte præcipito. Bezoardici lapidis ſpecimen videre geſtio. Adolphum verò III. quo de ſcribis, nondũ agnoui. Super Auentini opere, doleo me certum adhuc nihil poſſe reſpondere. expecto autem his diebus nuncium, & ab Epiſcopio literas. Hæc ad literas tuas. Vale. Tiguri 19. die Martij. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

SAlus & pax à Deo patre per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Septembris die 28. circa mediam noctem Euphemia ſoror tua, pia & honeſta matrona, piè in Domino obdormiuit. Tota ferè æſtate proxima ſatis commodè habuit: articulares humeri dolores minus quàm antea ſenſit. Cupiebat tamen tecum eſſe, tum vt filiæ moroſitatem vitaret, tum vt breuiſsimum ſibi reliquum ætatis tecum tranſigeret. plurimi enim ſemper te fecit, & amauit maximoperè. Hoc inſtituto, thermas noſtras adire propoſuerat, vt eo prætextu commodius à filia diuelleretur, & Auguſtam ad te ceu in portum ſe conferret. Sed aliter viſum eſt Domino. Iam iam abitura, in morbum incidit, febriculam lentam, & maraſmum: qua ferè per mẽſem decubuit, & paulatim defecit, magna quidem

Dei clementia. dolores enim magnos nunquam ſenſit : ſed ſiccitatem duntaxat, & virium defectionem. Semel atque iterum mihi mandauit, vt ad te ſcriberem, ſe corpore quidem ægram eſſe, animo autem valere, & ſpiritu firmam eſſe : ſeque tuis precibus commendari cupere. Id mihi ad te ſcripturo tabellarius nullus contigit. Nunc per D. Funckium affinem meum ſcribo, qui huc ad matrem venit. Maria neptis tua, cum primùm mater ægrotare cœpit, à febri ſua leuata eſt, & matri, vt par erat, benignè inſeruiuit. In morbo quidem antea, eius fortè vi & magnitudine, moroſior fuerat. Bene actum eſt cum ſorore, quæ ad hanc ætatem progreſſa, à qua omnia indies infirmiora erant expectanda, placidè ac piè in ſacroſanctæ fidei noſtræ confeſsione ſyncera, obdormiuit. Poſtridie funus elatum eſt ſatis magna frequentia hominum comitante : cui ego etiam veluti vicarius tuus pileo lugubri tectus, adfui vnà cum Ioanne Voglero & patre eius. Hi duo hodie manè in Alſatiam diſceſſerunt. Hæc de ſorore tua, mihi chariſsima, & quæ me etiam propter te amabat, paucis ſcribere volui, vtcunque feſtinanter, ſub noctem inter plurimas curas. Spero autem te chariſsimæ ſororis obitum, pio & æquo animo laturum, præſertim cum illa piè ſanctéque vt vixit, quàm diu hîc fuit, ita etiam ſuum diem clauſerit : & eam ante nos ingreſſa ſit viam, quam nos duce & auſpice Deo breui ſequemur. Is te ſpiritu ſuo conſoletur, & ad piam ſimiliter mortem præparet, quod idem nobis, vt largiatur, orabis. Peſtis enim hic magis magisqúe nos exercet, & multos ſubinde aufert. Bullingerus ea correptus, per octo dies valdè periclitatus eſt : nunc Dei gratia, conualeſcit amiſſa vxore. Bibliander obijt his diebus, &c. Nulli ferè medicum accerſunt, niſi ſerò : ita fit, vt rectè experiri remedia, quæ vellemus, non liceat. Baſileæ Platterus medicus, cui Antidotum Saxonicam communicaram, in multis eam feliciter expertus eſt. D. Bullingerus primùm ſudauit ab electuario de ouo : inde poſt aliquas horas ſumpſit decoctum commune ſolutiuum cum diluto infuſo rhabarbaro & ſyrupo roſarum ſolutiuo, & guttis quatuor olei vitrioli : vnde ſolutus eſt ſatis copioſe. Carbunculi duo apparuerũt, quorum vnus vſtus eſt ferro candente, alter remedio quodam cauſtico. & ex eis plurima ſanies viroſa fluit. De arſenico in ſacculo geſtando, circa cor, quid nam tibi videtur ? corallium aliqui addunt, alij alias ſpecies cordiales : aliqui etiam ſublimatum. Plura nunc non licet. Vas enim includere feſtinat Froſchouerus. Icones animalium

addam

addam ſi poſſum & Illyrici librum. Vale. Tiguri. Octobris vigeſimo 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

VLtimæ tuæ Octobris decimo quinto datę, nudius tertius mihi redditæ ſunt. A quo tempore etiam alias meas, quas de ſororis obitu ſcripſi, ad te perueniſſe ſpero. Quas vltimas ad ſororem iam in Domino defunctam ſcripſiſti, eas Mariæ eius filiæ tradidi: quæ ſatis bene valet cum ſuis. Maritus puto Curiæ abeſt. Peſtis noſtra moderatè ſatis nobiſcum & clementer agit, Dei gratia, in ſeptimanam circiter quinquaginta tolluntur. Icones iam accepiſſe te puto Quadrupedum & Auium: reliquas ſpero propediem cum proximo vaſe Froſchoueri mittam: & cum illis etiam Illyrici Tomum primum remiſi. In controuerſia de Tryphera Perſica, ad doctiſsimi D. Adolphi noſtri iudicium prouoco. Veteres certè myrobalanorum non quinq;, ſed tria genera ſtatuebant. emblicos enim & belliricos ab hoc genere excludebant, &c. Legat D. Adolphus ea quæ ad te ſcripſeram argumenta, & iudicet. de nomine non multum contenderim, & ſi pro impropriis & corruptis, vetera propriaq; reuocanda ſuaſerim. Triphylon autem (per L. ſimplex: alias triphalon per A non probo) paruam, recipere quinq; genera myrobalanorum, cum ſcribat Actuarius lib. v. Methodi, in eius deſcriptione poſtea tria tantùm receſet, nempe Cepula (vel pro eis, Indaica) empeliz. (id eſt, bellirica & emplitzi. Circa pondus verò Myrobalanorum, quod mutandum puto, non ex mea coniectura eſt, ſed vetuſtiſsimorum codicum Meſuæi conſenſu comprobatur. Quod ſi ex triphylo parua veterum, compoſitio hæc recentior nata eſt, illa autem tota ferè myrobalanis conſtabat, non eſt timendum, ne nimium earum addamus. Apud Auicennam inuenio trypheram minorem dictam, conſtare ex myrobalani tribus generibus, butyro & melle, vt omnino à tribus dicta ſit hæc cõpoſitio; ſiue tria illa de tribus myrobalani generibus accipias, ſiue de myrobalano butyro & melle. Actuarius pro butyro, oleum roſaceum accipit, & melius triphylon, quàm trypheram vocat, cognomento minorem. Nam maior dicitur, cum myrobalanis alia quædam adiiciuntur aromatica, aut coitum mouentia, aut purgantia, aut aſtringentia. multæ enim & diuerſiſsimæ compoſitiones trypherarum extant, &c. Interim video aliam eſſe trypheram magnam Nicolai: quæ myrobalanos

nullos recipit, ſed opium : & τρυφεροῖς, id eſt, delicatis ac dolorum impatientibus hominibus conuenit. Porrò vt Actuarij triphylos tria genera myrobalani recipit, ſic triophyllos Myrepſi, tria genera piperum. De ſolano nihil dicam: & puto illius commodum vſum eſſe poſſe. quod tamen Campegius ſcripſit, celare vos nolui. De D. Lucæ Stengelij & D. Adolphi aphoriſticis concluſionibus circa peſtis cauſas, differentias & curationem ad D. Adolphũ ſcribam: imprimendas non dabo, niſi ipſi conceſſerint. Vale. Tiguri. Nouemb. die 6. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS, ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

Literæ tuæ 2. Septembris datæ, eiuſdem die 16. à D. Funccio affine meo, qui Memminga huc ad matrem venit, redditæ ſunt. Neptis tua, vt primùm à febri melius haberi cœpit, mater eius Euphemia in febriculam incidit cum catharro quidem, ex qua iam dies aliquot decumbit. Dominus illam ſeruet, id quod facturum ſpero. parata erat, vt iam iam ad thermas deſcenderet: ſed febriculæ ſuperuentu retenta eſt. Conſulam ei quantum potero. Occupatior nunc quidem ſolito ſum: nam cum peſtis, quæ præluſerat aliquantiſper, ſeriò iam agat nobiſcum: admoneor vt ad migrationem, ſi Deo placuerit fortè me cum alijs vocare, maturè præparem, & diſponam domui meæ. Baſileæ ſupra quinque millenos extincti ſunt. Argentinæ etiam & Heydelbergæ alibiq; vel recruduit, vel orta nunc primùm eſt. Antidoti Saxonicæ deſcriptionem ad te aliâs miſi. quam ſi haberes confectam, periculum eius ſumere te iuberem. Medicus Baſilienſis amicus meus, ſepties nuper illam dedit totidem infectis : ex quibus ſeruati ſunt quinq; duo mortui: quorum alter tamen in dies nouem vixit, præter aliorum morem illic. Decumbit etiam D. Bullingerus noſter iam tertio die, cui valde metuo. Sumpſit is primùm neſcio quid per ſe, me ſerò vocauit. ab alio quidem vocatus adhuc nemine ſum. domi verò pro conſilio interpellant me multi. Deus ſi voluerit, me ſeruabit. Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus: cui ſit laus & gloria in æternum. D. Illyrico remittam primum Tomum cum potero primùm : ſaltem cum Froſchouerus Franckfordia reuerſus, dolium aliquod cum libris ad vos deſtinabit. Vale & ſaluta amicos: in primis D. Hainzelium. V. CL. cui meas ad D. Cratonem committes : ad quem literas alias Lindauium miſi, vt rectà ad

ipſum

ipſum Viennam perferrentur. Vale. Septembris die decimo ſexto. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. *Gaſſero medico.*

SCripſi nuper ad D. Adolphum Occonem F. & indicaui, D. Illyrici Auentino nullum Typographum inuenire me poſſe: intellexiſſe autem (ex correctore Epiſcopiorum, ni fallor) Illyricũ ipſum ad nundinas Francofortum nunc aduenturum & cum Epiſcopijs de eo acturum, quod ſi omnino ita futurum putaſſem, Tomum primum qui apud me eſt, Franckfordiam miſiſſem. nunc illum ſeruabo, donec quò ſit mittendus, indicatum mihi fuerit. Miſi eidem D. Adolpho etiam ſpecimen Euporiſt. n Dioſcoridis impreſſum: Typographum pergere puto, ego quidem ſedulò vrgeo. Incipit hic peſtis, & iam viciniam meam inuaſit. Commendo me precibus tuis. Icones animalium iamdudum à te deſideratas nondum mittere poſſum, decepit me Typographus: qui intra menſem ferè primum, hoc eſt, in reditu ſuo Franckfordia: ſe habere poſſe ait à pictore, quem interim in alijs occupauit: & duobus iam terminis mihi impoſuit: quod ne amplius fiat cauebo. Soror tua ſatis bene valet: ſed morbo & moroſitate filiæ, & nimijs omnino occupationibus domeſticis ita moleſtatur, vt non ſit ferendo. ſtatuit ſe ad aliquod tempus thermas conferre: inde forſan Lindauium petitura, ſi nihil impediat. Dominos Adolphos ſaluta. De Mithridatio iam bis ad F. ſcripſi: heri Froſchouero dedi librum manu ſcriptum commodato mihi miſſum ab Adolpho F. quem is vaſi ſuo ad Bibliopolam veſtrum Vuillerum incluſit. In tryphera Perſica deſcriptio veſtra myrobalanorum ana. ʒ. ij. accipit: ſed omnino legendum eſt ana. ℥. ij. ſicuti habet Fuchſius imitatus in eo & alijs plerîſque locis à ſe emendatis, monachos Romanos: qui in vetuſtiſsimis codicibus ſic legi oſtendunt. Accedit ratio, quod trypheram hanc natam appareat ex triphylo Actuarij parua ſeu minore: quæ tria ſimplicia, nempe myrobalanos diuerſos, oleum roſaceum & mel recipit, vt inde triphyli nomen inditum ſit, à tribus generibus medicamentorum, aut forte à tribus generibus myrobalanorum, ſicut & antidotus tria piperis genera accipiens triphylon. melius quàm triophyllon à Myrepſo vocatur. Alibi quidem idem Actuarius tryphalum (triphylon emendo) paruam ex tribus myrobalanorum generibus, & inſu-

per belliricis, & emblicis conſtituit. Ad diuerſos autem humores purgandos, alia atque alia ei miſcebantur, ſed myrobalanorum pondus, ſemper excedebat reliqua. Ex triphylo autem homines indoctos trypherum feciſſe puto; hoc eſt, nomen corrupiſſe. Interim non nego alijs quibuſdam compoſitionibus trypheræ, hoc eſt, mollis & delicatæ nomenclaturam rectè attribui. In eadem tryphera Perſica, quia ſuccus ſolani recipitur, libræ pondere, Symphorianus Campegius Gallus medicus, Lugduni cum eſſet, huius trypheræ vſu, aliquos inſanos & amentes factos ſcribit, & culpam in ſolanũ reijcit. quare ego pharmacopolis noſtris conſului, vt quoniam pharmacum hoc ad aluum ſoluendam inſtitutum eſt (qui ſcopus etiam à ſolano valdè impeditur, præſertim cũ ſoluentia minimè fortia ingrediãtur) pro libra ſucci ſolani, addant ſucci (aut ſyrupi, ſi is deſit) ℥. nouem & ſucci berberis ℥. iij. Sic enim & aluus ſoluetur melius, & refrigerandi ſcopus non admodum impedietur, & gratius erit ſumenti pharmacum. Vos quo ſucceſſu tryphera Perſica communi modo parata hactenus vſi ſitis, ſignificate. Hæc cum Adolpho noſtro communicabis. Saluta amicos. in primis verò optimum virum generũ tuum: cui equidem libentiſſimè hoſpitalitatem meam declaraſſem, ſi per ipſum fieri potuiſſet. Vale. Tiguri. Auguſti die 29. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

QVæ de pleritidis curatione ad me ſcripſiſti, doctiſſ. Gaſſere, pro ijs gratias ago. Ceſſauit id malũ apud nos, Dei gratia; fuit autem nõ ſolita: ſed contagioſa quædam peſtilens & cruda pleuritis illa: in qua obſeruauimus, ſanguinem vel detrahendum nõ eſſe, vel parcius, & in pedibus magis, quàm brachijs. D. Bullingerus te reſalutat, & pro curatis literis gratias agit. Proximè ad te ſcripſi Auentini Tomũ ab Illyrico miſſum, Baſilea mihi remiſſum eſſe. Scribam nunc Argentinam ad Rihelium Typographum de eo, qui ſi non acceptet, remittam. De excuſatione Illyrici, quòd contra Oleuianum ſcripſerit, nihil addam, ne moueam quod immotum eſſe præſtat, & quod tum à noſtris, tum alijs intactum hoc tempore manere mallem. Ego nec vos, nec veſtram ſententiam condemno: ſed pro fratribus colo, ſi modò hoc admittitis. Vos verò, ſi nos ac noſtram ſententiam tanquam impiam damnatis & excluditis, iam propter hoc ipſum fratres agnoſcere nõ poſſum: ſed nec ſic quidem damno, & Deum pro vobis oro. Quæ de

glebis

glebis è ſepulchro S. Vlrici ſcripſiſti, libenter legi, & gratias ago. Vtar illis ſuo loco in libris meis. Pro diſpenſatorio etiam veſtro obligatus ſum tibi. placet id mihi ſummopere. per ocium diligentius inſpiciam; & ſi quid occurret, de quo monendi mihi videamini, candidè ſcribam. Oxymelitis noſtri deſcriptionem, in eo non reperi: ſed Iuliani, non eandem tamen puto Iulianico veteri. conferre nunc non vacat. De Mithridatio miror tam diuerſas eius deſcriptiones apud veteres ſimul atque recentiores extare. Aliud Fuchſius, aliud Cordus, aliud Syluius, aliud Actuarius, aliud Aegineta ponit. A vobis poſitum Andromachi nomine, non eſt Andromachi, ſed apud Galenum lib. 2. de antidotis inter Antidotos ab Andromacho deſcriptas tantùm legitur, & plurimum differt à theriaca Mithridatis eodem in libro deſcripta, qua & Mithridatem ipſum & Andromachum vſos aiunt. Ea autem theriaca noſtræ διὰ κόδυων olim dictæ, id eſt, è viperarum carnibus paratę, perſimilis eſt, & opij plurimum recipit, vt theriacæ noſtræ loco rectè poni poſsit. Aliæ Mithridatij deſcriptiones Scincum recipiunt, opij verò perparum, ſicut & noſtra deſcriptio, quæ à theriaca Galeni ſiue Andromachi, vt plurimum differt, ita rectè pro ea ſubſtitui non poteſt: quod hactenus tamen nemo monuit, quod ſciam. Aliud in præſentia mihi in mentem non venit, niſi quod in plurimis Orthographiam fortè curioſulus Lector deſiderabit, vt vbi ſcripta inueniet hæc, ocymum, chariophyllos, ſaphyrum, pillulas, camepetyn, peoniam, azarum, chamedryn, baſiliconem, hypericonem, &c. pro ocimo, caryophyllis, ſapphiro, &c. Rob. de cornib. riſi. pro trochiſcis bechijs, bechicos ego ſcripſiſſem. Gratiolam eſſe Eupatorium Meſuæ negarim. Camphoram noſtram non habere vim vllam quam ei tribuunt Arabes, & aliud pro ea ſubſtituendum doctiſsimi plerique iudicant. Been album & rubrum officinæ omnes vbique ſpurium & inutile habent; ſicut & doronicum, vt omnino de eorum antiballomenis ſit cogitandum. Interea veſter conatus maximoperè eſt laudandus: in quo & ego iam multa vtilia ac noua mihi animaduerti, & pleriſque Germaniæ medicis, præſertim ac pharmacopolis, pergratum hoc opus futurum, cum aliud commodius non extet (opinor) hactenus, non dubito. In Iuſtino exponitur petroſelinum Macedonicum, addendum autem, vulgo dictum. In Moibani Dioſcoridem epiſtolam dedicatoriam ad Senatum, nunc tandem mitto: eamq́ totam tuo iudicio arbitrioq́ ſubmitto: ita vt liberè addas, detrahas, aut quoquo modo mutes, circa res ipſas & ſententias: circa vocabula

verò & ſtylum, cui certè excolendo vacare mihi non licet, percuperem clariſsimũ, & doctiſsimum virum D. Hieronymum Vuolphium (quem amantiſsimè ſaluto) cenſuram ſuam addere & emendare quæ vellet communi noſtrûm nomine. Remitterem etiam tuam ad me epiſtolam iampridem de Moibano ad me ſcriptam quæ incipit, Eximius medicinarum doctor Ioan. Moibanus, &c. niſi exemplar eius te tibi ſeruaſſe perſuaſus eſſem, in qua ſi quid mutare volueris, facito quàm primum. ſin minus, ita vt accepi, excudetur, mox poſt Dedicationem noſtram. Ego paucisſima quædã in ea mutare volui, vt vbi ſcribis de me, quod libros iſtos parabilium non genuinos eſſe Dioſcoridis dixerim, ſuſpicatũ me, poſui, non dixiſſe. Suſpicio enim mea non affirmatio fuit, &c. In Dedicationis titulo, ſi pro Auguſta Augſpurgum ponere malis, eſto: mihi Auguſtæ nomen placet, & in totius Dedicationis fine conuenientem quandam Auguſtæ nomini alluſionem poſui. Peto autem vt Dedicatoriam epiſtolam primo quoque tempore à te emendatam remittas, ne typographo ſim in mora. Cum liber abſolutus fuerit, curabo, vt pupillis numeret typographus quod promiſit, &c. pro miſsis ad me Cratonis literis gratias ago. Cæſaris valetudini, imò vitæ, valde metuo. Vale. Tiguri Iunij die 24. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. *Gaſſero medico.*

LIteras tuas nepti tuæ miſi: quam equidem perraro inuiſo, ob ſummas & perpetuas occupationes meas. ſed nota eſt ei voluntas mea: accerſenti ſemper paratus ero. pergit hîc peſtis, non nihil etiam validius. Nix prima heri cecidit, hodie liqueſcit. tepidior & inæqualiſsima cœli cõſtitutio eſt. Piſces breui accipies. Rihelius Argentina miſit mihi alphabetum primum Dioſcoridis noſtri impreſſum: & ad Calend. Ianuarij ſperat totum fore impreſſum. Vix tamen dabit exemplaria ante nundinarum tempus. Cum primùm habere potero, ad te mittam: aut ſi Argentina commodius ad te mitti poſſent, curabo vt inde mittantur, ſi vixero. Nam peſtis vicinior mihi nunquam fuit, quàm nunc. Circa Trypheram nihil amplius dicam: niſi triphyli nomen extare apud Actuarium, qui tanto melior eſt author quàm Mauritani, quanto deterior eſt Galeno, & vetuſtioribus Græcis. Solanum, vt rectè ſcribis, in maioribus & æſtuoſis morbis locum habere non nego: & in pe-

In peſtilenti etiam febri fieri poteſt, vt aliqui maius ſolanum, quod manicum eſt, iniecerint, & inde ad inſaniam aliqui redacti. D. D. Strengelij propoſitiones recognitas libenter videbo: etſi Typographus recipiat, nondum enim certum aliquid reſpondit, euulgãdas dabo, vnà cum D. Occonis propoſitionibus, cui etiã hac de re ſcribo. Libellum de peſte noſtrum gaudeo tibi non diſplicere: illum quidem D. Cellarius noſter magna ex parte confecit: accepit autem à me tabulam ſiue ſchedam tuam, & alia quædam, vt quæ viderentur excerperet. Nunc ſecundam editionem mitto, in qua de phlebotomia præſertim fuſius agitur: quæ vt perpendas, & vt ſoles ſuper his quoq;, pro tuo candore, nos admoneas, petimus. Laqueationem illam cum veratro nigro, nos certè experti nondum ſumus, excerpſimus autem ex Theodori Tabernomontani de peſte libro: cuius verba quia Cellarius noſter nonnihil mutarat circa principium eius auxilij: ego nunc ita, vt apud authorem extant, reponi curaui. Oxymelitis mei minoris iam ſemel & iterum periculum feci non infeliciter. Dedi. ℥. ij. cum decocto purgante non ingrato: & poſtea ℥. j. duntaxat bis aut ter cum ſapa, vt primum euacuarentur ſuperflui humores: deinde à centro ad cutim & ad apoſtemata protruderentur: quod certè oxymeli hoc peculiare habet, ſi vllum aliud auxilium. Vale. Tiguri. Reſaluto generũ. Decemb. die 17. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS, ACHILLI P. *Gaſſero medico.*

LIteras binas ex te, vir fortiſsime, Hippocratis & Galeni propugnatorum optime, accepi vnà cum alijs ad me miſsis, pro quibus gratias ago ſummas. Nos hic pleuritide maligna & contagioſa vagante, periclitamur. inter remedia nihil dum melius reperi oleo lini poto ad ℥. j. ſ. aut amplius: quod & anhelitum mox facilitat, & aluum probè euacuat. Quod ad remedia cõtra peſtem, non diſſentio à te, curam nempe præcipuam, non deberi narcoticis, ſed ea alijs rectè mixta plurimum momenti conferre. Solanũ ſyluaticum voco, quod noſtri vulgò ſchlaaffbery. id circa ſyluas naſcitur, & acinos ceraſi magnitudine profert: quorum vſus eſt ad coria tingenda. Itali Belladonam nominant, &c. Scribo hæc ſumma feſtinatione, da veniam. Aliàs pluribus. Salutat te D. Bullingerus noſter, & rogat, vt haſce literas hic incluſas in Bauariam cures. Tui omnes bene valẽt. Cauſam monetarij noſtri, cuius Vog

rus tuus ſocius eſt, nuper D. Cratoni, & D. Seldio, qui nunc in intimo Cæſaris conſilio eſt, diligenter commendaui. Vale. Tiguri 1564. Aprilis die 28. Icones animalium ſuis coloribus depictas, typographus noſter nullas iam habet. Vbi primùm habuerit, tui memor ero.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

MItto tandem Icones aquatilium quoque: quas miſiſſem maturius, ſi vectura non defuiſſet. Et quoniam non permittis, vt hęc volumina tibi donem, etſi multo maiora tuis beneficijs debeã, precium indico ſicuti iubes: nempe florenos ſex. tanti autem vendere ſe ait bibliopolis, cæteris maiori precio. Ad Georg. Vuillerũ bibliopolam veſtrũ in Froſchoueri dolio, has Icones reperies. In quo etiam incluſi idem exemplar, abſque coloribus ad D. Cratonẽ, qui id à me petijt, eſt aũt nunc Vratiſlauiæ. Id percupio, Cl. V. D. Hainzelio, vt curet ad eum tranſmitti, maturè & tutò. Addidi etiam faſciculum magnũ, qui libros meos magnos de animalibus omnes continet, quem cupio Viennam ad D. D. Sinckmoſerum Cancellarium mitti. illum cõmendabis Vuillero, vt curet diligentiſsimè: aut ſi alia via melius potes, tibi permitto, & oro valde des operam, vt Viennam tutò perueniat. Dioſcoridem noſtrum ſpero iam abſolutum eſſe Argentinæ. ſcribe quot exemplaribus tibi opus ſit: & an commodius putes Argentina ad te mitti poſſe, vel hinc à nobis. Si literas poſthac Lindauium mittam pro te, quis illic tuo nomine curabit, cũ Kererus affinis tuus iam nobiſcum ſit? Raro eum video: occupatur ſua arte chirurgica: & ſæpe abeſt ab vrbe. Sororem etiam nondum vidi. nam & propter peſtem (quæ nunc Dei gratia remiſit) & frigus & glaciem, qua viæ, præſertim decliues, quales hic multæ ſunt, difficiles redduntur, non admodũ, niſi vrgente neceſsitate, hactenus aliquandiu exiui. Audio tamen & illam, & Voglerum cum ſuis benè valere. Vale tu quoque in Domino. Generum & familiã totam ſaluto & D. Hieronymum Vuolphium noſtrũ amiciſsimũ. Vale iterum. Ianuarij die 15. An. 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

TVas 12. Februarij datas accepi hodie, hoc eſt Martij 4. ex quibus intellexi, te aureos 30. ab Abrahamo Felſio Conſtantia miſ-

tia miſſos accepiſſe. Scripſeram equidē ad te iampridem, cupere me, vt ſummam hanc pecuniæ ad te mittēdam ſeruares, poſtquam accepiſſes, donec à D. D. Ge. Sig. Seldio literas acciperes, aut ſaltem diploma priuilegij cuiuſdam Inſignium pro amico quodam meo, qui eam pecuniā numerat: tantum enim Cancell. Cæſ. Maieſt. petit pro illo diplomate perficiendo. Literas illas ad te meas incluſi, vel potius includendas dedi, ni fallor, dolio per Froſchouerum ad bibliopolam Vuillerum veſtrum miſſo iam pridem, apud quem, ſi nondum accepiſti, inquires de literis ſimul & Iconibus piſcium, in eodem dolio incluſis. Precium etiam trium librorum Iconum perſcripſeram, florenos VI. tanti enim vendit bibliopolis. Ab eo tempore, ſi accepiſti, bene eſt, nec eſt quod mittas pecuniam. Detraham enim eam ſummam pecuniæ Moibani liberis debitæ. Iam relego impreſſa, & librariorum errata maioris momenti, in Græcis ſaltem, & alia quædam ad calcem operis cudenda, ſcribo: quæ his diebus Argentinam mittam: & vrgebo, vt exemplaria, cum primùm abſoluta fuerint, antequam ad nundinas diſcedat, ſtatim ad me: vel aliqua etiam rectà ad te mittantur. Tui omnes rectè valent. Cum in Kererum incidero, monebo vt ſcribat. Catarrhi epidemij, & pleuritides hic præludunt. Vale. Tiguri, Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI
P. Gaſſero medico.

VAleo Dei gratia ſi tu vales, vt ſpero, Gaſſere clariſsime. Peſtis nos etiam (Dei gratia) prorſus reliquit, ſucceſsit ei tamen minor quædam epidemia. Die houptſucht / qua pauciſsimi moriuntur: multi tamen ſparſim decumbunt, ad menſem ferè, & vltra. Nix diu ad cubiti altitudinem hic fuit, hodie primùm auſtri afflatu minui cœpit cum leui pluuia. Pro nouo anno, quem mihi proſperum optas, ego tibi viciſsim, & hunc ipſum, & alios longa ſerie ſubſequentes multos, feliciſsimos diuinitus dari opto. Rihelius Dioſcoridem, vt primùm abſoluerit, & pecuniam miſerit; quid pupillis debeatur, memor ero; & bona fide mittam. Si tamen aliqua mora interueniat priuſquam ille ad me mittat, & ego ad vos, patienter feres. Propoſitiones D. D. Stengelij & Occonis ſeruo, donec ſe occaſio offerat typographo alicui tradendi. Duo ſunt tantùm apud nos: vnus patruelis meus, qui iamdiu nihil impreſsit, nec habet domi vllum operarium. alter Froſchouerus,

qui tantillos libellos ſuis prælis non dignatur, præſertim nunc cum peſtis deſierit. Epiſtolam ad ſe tuam, Maria neptis accepit, & bene valet. Monueram ſi quid vellet reſpondere, vt hodie mitteret, ſed nihil miſit. Audio & Anaſtaſiam tuam bene habere, quam nondum vidi, ſemper domi chartis patellæ inſtar affixus. Vale. Tiguri die Feb. 25. Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

VAleo Dei gratia & laboro, vt ſoleo. Nuper ad te ſcripſi, literis Argentinam Rihelio miſsis, vt ea occaſione Exemplaria Euporiſtωn adderet, & ante nundinas ad te tranſmitteret: ſed metuo ne id non fecerit: cum neq; ego adhuc exemplar integrum habeam. Sed poſt illas literas etiam ad te ſcripſi per D. Funccium, ni fallor. Nunc quia ciuis meus, qui has tibi reddit, ad vos proficiſcitur, breuiſsime hæc ad te dare volui. Tuas quarto Aprilis datas, eiuſdem 12. per Scaphuſiam accepi. Aureolos illos 30. ſeruabis, donec diploma inſignium aliquod à D. Seldio acceperis: is quidē poſtea ad me ſcripſit, aureos quinq; adhuc addendos eſſe: quos ipſos etiam aliâs ad te mitti curabo, vbi comitia apud vos incepiſſe intellexero. Pro iȷs, quæ de ſoda ſubethica ſcripſiſti, gratias habeo. Mira mihi fuerunt, quę de D. Ge. Fuggeri filiȷ cerebro à vobis diſſecto ſcripſiſti: quanquam inflammationem aliquam & pus in hac lue cerebrum infeſtare, poſtquam ego met ante annos 9. ferè eadem ex contagione laboraui, & declinante morbo ſaniem multam per nares reddidi, ſemper exiſtimaui. Breuius ad te ſcribo, quòd ad D. Occonem quoque ſubinde ſcribere ſoleam: quem tecum omnia facere communia gaudeo. Si contingeret comitia apud vos fieri, & D. D. Seldium ad vos venire, valde peto, vt ſi in eum incidas, aut per ſchedam, ſi in vrbe eſſe intellexeris, horteris vt diploma inſignium amici mei perficiendum curet: te enim habere ad eam rem florenos 30. & inſuper 5. additurum, ſi opus ſit, quos ſi addideris, ego ſtatim ad te remittam, &c. Vale. Tiguri, Aprilis die 19. Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

SCripſi ad te his diebus, literis Argentinam ad Rihelium typographum miſsis, vt exemplaria 10. Dioſcoridis noſtri adderet, &

ret, & Argentinã ſtatim ad te mitteret, quod & facturum ſpero, ſi literas maturè acceperit: ſin minus, Franckfordia ſaltem mittet. tu æquo animo expectabis. Ante dies 5. alias tuas accepi, in quibus remedium tibi vſitatum contra cephalalgias epidemicas cognoui: & gratias ago maximas, per occaſionem periculum eius facturus in corpore aliquo robuſto. Etſi nunc (Dei gratia) nulli ferè amplius hoc morbo, neq; pleuritide, laborent. In vicinis quibuſdam oppidis adhuc reliquiæ peſtis ſunt exiguæ. Propoſitiones D. D. Stengelij & Occonis, cum redierint typographi noſtri (iam enim diſcedebant eo die quo tuas accepi) pro vno atque altero aureolo, vt petis, excudi curabo hîc aut Baſileæ. Exemplar Dioſcoridis noſtri perfectum nondum habeo, nec poſſum computare quantum pupillis Moibani debeatur, cum primum habuero integrum, ſatis faciam ipſe. Pro literis Viennam miſsis, gratias habeo, eas ſcripſit D. D. Seldius: cui dandi ſunt 30. illi floreni, quos à mercatore Conſtantienſi accepiſti: vbi inſtrumentum inſignium ab eo acceperis. Scripſerat prius D. Seldius 30. florenos ſatis fore, nunc verò quinque addendos ait, qui ad te mittentur aliâs, vbi intellexerim, quando comitia apud vos futura ſint. Pro miſſo Gobelij libello de ſuccino, gratias ago ingentes: in eo quidem fortuitò ſtatim incidi in locum, vbi ſcribit, ſe apud Pontanum medicum vidiſſe glebam ſuccini, in qua melanteria & & Chalcitis apparuerint: qualem & ego habeo ab eodem Pontano olim mihi dono miſſam. Libellum hũc ſuum ad me etiam Gobelius miſit: ſed neſcio quomodo eo priuatus ſim: & cum breui omnino (Deo iuuãte) collectanea mea de Lapidibus & metallis daturus ſim cudenda, cupio exemplar tuum ad paucos menſes ſeruare, ni prius accepero aliud. amicum enim quendam, vt Franckfordiæ mihi compareт, rogaui, nunc in nundinis. Si tamen iuſſeris, ſtatim remittam tuum. Vale. Tui etiam omnes hic valent. Vale. Tiguri 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. *Gaſſero medico.*

HAnc epiſtolam D. Gaſſere Argentinã mitto ad D. Rihelium typographum, vt admoneatur illinc ad te mittere exemplaria 10. Dioſcoridis noſtri, totidem enim tibi opus fore ſcripſiſti in vltimis ad me tuis, Feb. die 22. datis: & ſtatueram iam prius totidem ad te mittenda curare, dimidium ſcilicet eius ſummæ, quam à typographo ſtipulatus fui ab initio. ita tu decem Moibani libe-

torum nomine habebis: ego pro me totidem, ſi ita tibi videbitur. Diſtribues autem ea pro arbitrio tuo, ijs nimirum, quibus Moibanus ipſe viuus diſtribuiſſet, & ea occaſione, vt pupillis relictis faueant hortaberis. Peruelim autem vt exemplar vnum D. Occoni F. alterum D. Stengelio, tertium D. Funckio Memmingenſi donares, communibus amicis noſtris, Moibani liberorum tuoq́ nomine. Sin minus, ego aliâs ad ipſos mittam, ſi vixero. Mihi in diuerſis regionibus tot ſunt amici medici, & bene de me meriti, quorum ſinguli exemplar expetũt, & expectant, vt circiter xxx. dono mihi danda ſint: quare pro xx. adhuc Typographo ſatis facere cogar. Feci præterea ſumptum in priuilegium pro paucis aliquot libris, inter quos etiam Dioſcorides hic eſt, vt Typographi facilius admittant: neſciebam autem iam prius Rihelium vniuerſale quoddam priuilegium habere, vt nouo hoc illi opus non fuiſſet. Sed parum hoc eſt, maiora etiam facturus tuo & Moibani noſtri nomine. Pecuniam debitam Rihelius nunc non mittet: accepi enim iam prius taleros xv. numero, vt ſcripſi: vnde debitam vobis partem ego mittam vbi exemplar integrum accepero, & computauero: manebo autẽ ego in ære Rihelij propter exemplaria quæ ſupra numerũ promiſſum accipio. Quod ad operis dedicationẽ, ſi pupilli indigẽt, quicquid Senatus illuſtris contulerit, illis cedo & permitto. Sin non vſq; adeò egent, non detrectabo, ſi tibi videatur, ſicuti à principio ſpem mihi faciebas, partem aliquotam honorarij accipere: præſertim cum mihi etiam pauperum nepotum aliorumq́ iuuandorum neceſsitas non deſit. Laboraui certè multum in hoc opere, facile eſt libros non corruptos, & quorum ſingulæ ſententiæ, & penè verba apud alios authores inquirenda, conferenda, & emendanda, aut eorum teſtimonijs confirmanda ſint, transferre: quod mihi non in illis modo quæ ego tranſtuli faciundum fuit, ſed in plurimis etiam à Moibano tranſlatis, quæ magna ex parte recognoſcere volui: ſicut & ipſe feciſſet, procul dubio, ſi vixiſſet. Intermiſi multis menſibus hiſtoriam ſtirpium meam, quæ tardiſsimè procedit, & fortè nunquam abſoluetur, tum propter iſtam, tum alias impedimentorum cauſas. Sed feci hæc omnia lubens, nec pœnitet aut pœnitebit me facti. Prudentiæ tuæ, aut moderationi omnia permitto. Pro literis meis, quas ſubinde tam ſeduló curas, plurimum tibi debeo. Si faſciculus pro D. Cratone tibi redditus fuerit, vt ſpero, illum quoq; curabis, aut D. Hainzelio trades, cui me commendabis. Vrgeo typographum, vt ex Argentina ſtatim ad te mittat, ad Pflauinios veſtrates, &c.

ſicuti

ſicuti admones. Ex literis quas miſiſti, alteras Baſileam rectè curaui ad Oporinum: alteras Anaſtaſiæ ſorori reddidi, quæ bene valet cum tota familia. heri primùm domi meæ fuit per horas aliquot apud vxorem meam cum duabus filiabus iunioribus ſanè lepidis. Maritus adhuc apud Rhætos abeſt: ſicut & Voglerus affinis tuus in Alſatia puto. Neſcio an aliquando petierim à te, vt herbam aliquam in tuum nomen adoptes, quam vel Achilleam nouam ad diſcrimen veteris, vel Gaſſeriam, vel tali aliquo nomine in herbario meo nominare mihi liceat: cogita an herba aliqua chirurgica, vt ita loquar, tibi aut parenti quem Maximiliani Cæſaris chirurgum aliquando fuiſſe, aut ſaltem chirurgi operam ei præſtitiſſe audio, in vſu fuerit, cuius vim aliquam egregiam commendare poſsis. Achilli enim chirurgica herba conuenit. Oporteret autem herbam eſſe nullo antiquo nomine cognitam. nam vetera obliterare, religio mihi foret. Nouis autem herbis, quia nomina noua ſunt ponenda, malo ab amicis medicis, illis præſertim qui ad hoc opus me iuuerint, aut contulerint quantulumcunque, quàm aliunde denominare. quanquam ego non ſoleo herbas oſtendere, quas ſibi quiſq; ſumat, ſed potius petere vt quiſq; aliquam ſibi deligat, cuius præſertim vires aliquas ſit expertus, aut experiri adhuc poſsit: vt ita etiam opus meum illuſtretur. Sed cum tu aliјs rebus occupatiſsimus ſis, iuuabit te hac in re D. Adolphus Occo noſter, à quo ipſo etiam Adelpham aut Adolphiam aliquam expecto. Quod ſi nulla vobis apta occurrerit, ego fortè offeram: etſi vt dixi, non ſoleo aliјs. Cuperem enim vos & nomina veſtra non in libris ſolùm meis, ſed in ipſis etiam herbis & herbarum nominibus viuere apud omnem poſteritatem, vt in gentiana ſua Gentilis: in Eupatorio, Eupatoris: in Mithridatio, herba Mithridatis: in aliјs verò aliorum nomina viuunt. Sed plura nunc nō vacat. Vale in Domino. Tiguri, Martiј vltimo, Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

ANte pauculos dies ſcripſi ad D. Occonem F. (clariſsime Gaſſere) & propoſitiones de peſte remiſi. Heri verò tuas 20. Iuliј datas accepi: in quibus magna cum lætitia intellexi: primùm, quòd ampliſs. ſenatus veſter in Moibani pupillos liberalem ſe præſtiterit: deinde quòd pecuniam typographi nomine illis adhuc debitam retinere me iubeas. Quo nomine duplici plurimū gaudeo.

Iam quidem intra dies 8. ferè, taleros 10. mittere ſtatueram, & dolio librorum per Froſchou. ad vos mittendo includere. Nunc cum Dei gratia præter opinionē felicius ſucceſſerit, video me tibi quoque nonnihil huius rei cauſa debere. Interea verò ſemper me offero pupillis, quotieſcunque me viuente indiguerint, pro hac ſum̄a, aut etiam paulo maiore obligatū. Quod ad aureos 30. apud te depoſitos, video moram nobis iniectam eſſe D. Seldij morte. Scripſi atū nuperrimè ad D. Io. Bapt. Vueberum procancellarium in aula Cæſaris, vt quoniā D. Seldius obijt, diploma Cæſareū pro amico ipſe mittat Auguſtam ad quemuis ſibi notum, qui diploma tibi tradat, & pecuniam à te accipiat: opus eſt tamen adhuc quinq; aureos addi: quos tu meo nomine cōmodato dabis. ſi diploma acceperis anteà vel ego, in Froſchoueri dolio eos adhuc ad te perferri curabo proximè. Vale. Tiguri. Iulij die 19. Anno 1565. Peſtis ad vrbem noſtram iterum appropinquat. Ego Dei voluntatem tranquillus expecto.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI *P. Gaſſero medico.*

ETſi nihil ferè habeam cognitione tua dignum, clariſs. D. Gaſſere, nolui tamē hanc literas ad te dandi cōmoditatem omittere, cum Froſchouerus dolium ad vos mitteret: prǽſertim cum iam longo tēpore propter perpetuas occupationes meas, partim etiā, ne reſcribendi moleſtiam tibi parerē, nihil literarū ad te dederim. Vltimæ ad me tuæ Auguſti 7. datæ ſunt. Aureolos 35. vt ſerues donec diploma tandem illud mittatur (quod ego vrgere non deſino) iterū à te peto: Chererus tuus mihi charus eſt, & fuit à puero ſemper: nunc propter ſororem tuam charior. Dictaui nuper filiæ eius maiori natu remedium in febri, quo ſtatim liberata eſt Dei gratia: & paulò poſt aliud (nempe oxymeli meum) cuius vſu menſes ſuppreſsi, mox eruperūt. Vos in officinis veſtris, non meum, ſed Iulianicū oxymeli habetis, cui Mandragoræ radix additur, arthriticis doloribus fortè cōmodius: in cæteris meū prǽfero. Peſtis paſsim, maximè in vicinia Chereri graſſatur. obtuli ei & familiæ omnem operam meam: Valet & Vogleri familia: ſed ipſe nondum redijt domum. Quod ad tabulam illam excuſam Stimmiſtarum, vt tu nominas, iniuria mihi facta eſt: ſicuti ad D. Occonem noſtrum ſcripſi. Non eſt, quod metuatis ne ad ſectam illam Theophraſtorum, quæ vetitas & impias artes probat, deficiam &

Ander-

Andernaci profectò deliria miror. Audio nuper practicam eius & de balneis librum prodiiſſe: quæ nondum vidi. De D. Occonis noſtri valetudine, non parùm anxius ſum: & te, vt ipſi in commune conſulas, & diligenter adſis, oro & hortor. Vale feliciter. Tiguri. Octobris die 25. Anno 1565.

ACHILLES P. GASSERVS L. CLARISſimo viro D. Conrado Geſnero.

EPiſtolam tuam Conrade optime, tertio Decemb. ad me exaratam, hic ego decimo quinto eiuſdem menſis accepi. Ex qua bellam tuam excuſationem vel ex Grammatica petitam, lubens admitto, ea tamen lege, ne eius rei in futura editione, mentionem amplius facias, nedum tantum Elogium addas, quale in epiſtola iſta tua poſuiſti, ſcio enim candorem & amorem tuum, nec geſtio ita titulis onerari, & quæ ſcripſi, æquè ac tu tua, in meliorem partem interpretari volo. Putabam autem, vel ex bonæ memoriæ ſororis meæ Euphemiæ cottidianis colloquiis, te cauillationem & dicendi ineptias (ſi iocos non vis vocare) noſtras dudum didiciſſe, & ſic amici vitia nouiſſe, neque odiſſe. Sed vtut ſit, tu pro tua humanitate nugas meas boni conſule, & quæ miſi, nō remitte, ſed dono à me habe, ſiue globulus ſit Magnetis, ſiue Malachites ipſe, aut fruſtulum lazuli lapidis. Caue tamen ne poſthac primarium medicum me voces, ſunt multi doctiores, multi in practica feliciores, demum ipſe Adolphus ſenior, me ætate præcedit hic, nonnulli etiam ditiores. Quare ſi amicum vocaueris, ſatis poſthac fuerit, & in inſcriptione literarum & aliàs, nam ἄριστον quoque in græca tua ad iuniorem Adolphum, me neſcio qua fronte vocas, &c. In Moibani carmine per Lymphatas vndas Galateę ſerum lactis intellige. D. Martius te reſalutat, & aliquando ſe copioſius ad te ſcripturum ait. Cæterum dum viperas domi alas, memento te colubrem in ſinu fouere, nec hoſti fidas confidentius. Peſtem apud vos remittere gaudeo, faxit Chriſtus ſeruator noſter, ne comitia eam hic reſuſcitent, magis autem Cęſaris & principum animos regat, ne atrocius quippiam in religione edant parturiantq́ue. Papam Romæ 9. huius, ex improuiſo mortuum, te iam dudum ſcire opinor. Iam cum nihil ardui habeam, quod te concernat, iubeo te bene valere, & meam iſthic familiam commendo. Ex Augſtburgo 23. Decemb. anno labente adhuc 1563.

CONRADVS GESNERVS ACHILLI P. Gaſſero medico.

Literas binas aut ternas tuas accepi, chariſsime Gaſſere, & prioribus quidem citò reſpondere non videbatur neceſſarium, poſtremis verò perlectis reſcribere ſtatim volui. Ecce verò quod volui, præſto: nec eſt quod quiſquam hæc mea verba, reſcribere volui, ita interpretetur, quaſi voluerim tantùm, non autem præſtiterim. Certè quia volui & inſtitui ad te ſcribere, idcirco ſcribo. Non igitur voluntas à facto neceſſariò ſeparatur, ſicuti tu in verbis meis in libello de lapidibus interpretaris. Mala autem interpretatio eſt, Gaſſerus Geſnerum ſuum Molochite lapide donare voluit, hoc eſt, non donauit, ſed voluit ſolùm. Ego verò hac loquutione & ipſe frequentiſsimè vtor aliàs, & in hoc loco (non irridendi te cauſa, vt tu tibi fingis, ſed gratitudinis ergò, conſcientiam mille teſtes appello) ita vſus ſum, vt & voluiſſe te & feciſſe ſignificarem. An ſi dicamus Chriſtum cum videret nos in peccatis noſtris morituros, mortem ipſum pro nobis ſubire voluiſſe, hæc eius voluntas, & hic loquendi modus, factum eius tollunt, non potius confirmant? Quod ſi etiam amphibologia quædam in meis verbis ineſſet, & duobus modis cauillator aliquis interpretari poſſet, te tamen par erat ſummum amicum amiciſſimè, id eſt, meliorem in partem duntaxat interpretari. Vtcunque eſt, ego profectò ita bene de te ſentio, vt hoc etiam ex amore in me tuo factum exiſtimem, quòd clarius & ſplendidius Geſnerum de Gaſſero ſuo loqui oportuiſſe cenſeas. Quamobrem in codice meo ad aliam æditionem hunc locum ita mutabo, quo Achilles Pyrminius Gaſſerus clariſsimus & primarius inclytę Auguſtanæ Reipub. medicus, pro ſummo & liberaliſsimo in me amore ſuo ſicut & alijs pluribus minimè vulgaris, vel precij, vel notitiæ, rebus me donare dignatus eſt. Bene cecidit autem hic tuus error, quòd eius occaſione maiorē & pulchriorem Molochiten ad me miſeris, talem enim tantumq́ nondum videram. quare depingendum dedi. nam cum cerebrum ferè & papillas quaſdam repræſentet, rectè pingi poteſt: & fortè etiam color ſiue pigmentum ex eo fieri pro pictoribus, ſicuti è chryſocolla natiua, & armenio cœruleoq́ cognatis ei, ni fallor, metallicis corporibus fit: cuius rei periculum facere ſtatui: ſicuti etiam medicæ eius in purgando facultatis: non tantùm in me ipſo: ſed in melancholicis

ficis aliquibus, incipiendo à paucis granis. Si volueris vt tibi remittam, exprime: mittere enim ſolùm te ſcribis, non donare: quod in Talco expreſsiſti: ſed puto te non deſiderare, cum ſcribas magnum te domi fruſtum habere. Talcum etiam illud prius miſeras: ſicut & carmina tua de præcipuis Germaniæ thermis: quæ iamdudum ad te miſſa, ad collectanea mea de fontibus medicatis repoſui. De purgantibus quoque medicamentis Elegos Moibani, iam olim (ſi bene memini) miſiſti. Vide quam obliuioſos nos reddat ætas. In ijs quidem verſus Lymphatas vndas & Galatea ferens, quod medicamentum ſignificet, non aſſequor. Magnetem etiam ſphericum à te miſſum vidi, & (ſi iubes) remittam: ſicut & cyanei lapidis fruſtula, cum aureis micis. Talcum tuum quem Magnetem vel Magnetidem vocant, ſpeculari lapidi cognatum iudico. Faceta illa narratio de Falckenſtein Maximiliani Cæſaris, non parum me oblectauit, & magis etiam ea, quæ de ſuccini differentijs ſcripſiſti. A guſtandis & guſtu dijudicandis plantis non poſſum omnino abſtinere, vt plenius, certius, fideliuſque pleraque poſteris tradam. Cauebo mihi tamen vt mones. Aliud nunc quod addam non habeo. Literas tuas ad ſororem & neptim curaui. Ioann. Voglerus ante biduum Vienna rediit rectè valent omnes Dei gratia. Viperas quadrupedes ridiculi ſenis Andernaci, affatim riſi: ego veras viperas viuentes duas, depedes, è media Gallia miſſas, domi nunc dormientes habeo: quas cum reconderem nuper in dolium, & vna euaſiſſet, in aliquo periculo fui. Si vixerint, vt ſpero, ſobolem ex eis alam (eſt enim ſexus vterque) pro theriaca. Peſtis moderatiſs. pergit Dei gratia. D. Hieremiam Martium ſaluta meo nomine amanter. Scio eum collegiſſe multa rara ſimplicia: & vellem eum ad me dare Catalogum rariora quæ habet, ita vt quibus ſua ſemina, fructus, flores aut radices etiam adſint, ſimul cuique adſcriberet modò, ſi quæ paucula fortè petiero, commodato ad breue tempus dare paratus ſit: quod vel in tuam gratiam facturum non dubito. Vale. Tiguri, Decembris die tertio.

Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Culmanno, illuſtriſſ. Ducis Vuirtembergenſis archiatro.*

CVm iuuenes hi Friſij, qui per annum apud nos fuerunt, Tubingam illuſtrem Academiam veſtram ſtudiorum gratia peterent, per ipſos ſcribere volui. Eos, ſi in te fortè inciderint, commendatos habebis, & conſilio tuo iuuabis. maior natu pædagogus eſt alterius, & probè literatus, vterque mihi percharus. Hodie manè D. Vergerius hinc diſceſsit, cum mihi dixiſſet ſe diem vnum adhuc immoraturum: aditurus autem fueram, vt officij ſimul amoriſq; mei in ipſum gratia, valetudini eius quantum in me eſſet conſulerem: in primis verò, vt oxymelitis noſtri minoris vſum ei commendarem: quod tu iam meo nomine facere poteris, ſi videbitur. Profuturum ſperarem, ſi bis aut ter in ſeptimana ſumeret, ad duas drachmas ſolùm pro vice, cum pauca aqua cinnamomi aliáue conueniente, et ſyrupo de ſtichade, in potu: aut per ſe etiam vel ſaccharo adiecto, aut cum ſapa modica lamberet. Aquam etiam illam ex hirundinibus & caſtoreo, cuius meminiſti, ſaluberrimam ei fore ſperarim. Cætera tu addes, diætam, remedia. Hæc ampliſsimo viro ex me indicabis, & plurimam ſalutem dices. Promiſerat ſe miſſurum libellum quendam Scalichij, quem cuperem vel à vobis huc ad me mitti, remiſſurus ſi vellet: & inſuper Lucubrationum ipſius catalogum, quem aliâs etiam ab eo petij. Denique me excuſabis, quòd partim propter occupationes, partim verò tempeſtatem pridie quàm diſcederet ad eum non acceſſerim, quod tamen omnibus poſthabitis feciſſem (ita me Deus amet) niſi diem vnum ſaltem adhuc ipſum permanſurum ex verbis ipſius ſperaſſem. Cum penultimis tuis Stibium pulcherrimè præparatum & hyacinthi ferè æmulum ad me dediſti: pro quo ſummas tibi gratias ago & habeo: etſi ſimile prius quoque ab amicis acceperim. De eo iudicium meum quæris, ſuper quo in vltimis meis præ feſtinatione, ni fallor, nihil ad te ſcripſi. Ioannes Crato medicus Cæſareus, vir ſanè doctiſsimus & amicus meus, vſum eius in peſte præſertim (vbi id vel maximè alij commendant) minimè probat, quòd inter alia ſymptomata vires proſternat, & magnam cordi anguſtiam inducat: quod ita ſe habere, ego quoque ante aliquot menſes experiundo didici. dedi enim iuueni cuidam melancholico grana quatuor vel quinque cum pauca roſarum conſerua: vnde is mirum in modum debilitatus, tantiſq; in capite

& cir-

& circa cor doloribus eſt affectus, vt illius exhibiti vehementer me pœniteret. Vomitu quidem perſæpe, aluo parcius euacuatus eſt inde, & poſtridie melius habuit. ego oxymeli meum multò tutius expertus ſum: dandæ ſunt autem ȝ. viij. vel x. cum decocto aliquo, vt corticum raphani alióue, ad vomitum promouendum, &c. ſicuti aliâs ad te ſcripſi. Tu viciſsim quæ tua vel ſententia vel experientia circa hoc pharmacum ſit, ad me perſcribas velim. Nuper quidem ab Anglo quodam audiui meliorem, vt ipſe aiebat, ipſius pręparandi modum, ſed ſcheda non eſt in promptu. Puerum qui annum duodecimum aut decimum tertium non excedat, qualem in vltimis tuis requiris, nullum tibi inuenio, qui ſaltem idoneus ſit manum tuam legere & tranſcribere. Si tamen contigerit, ſignificabo tibi aliâs. malim tamen apud vos te tibi proſpicere: cũ nullus mihi ſatis ſit notus, & aliorum commendationibus credere non ſatis tutum. Vinetum nouum tibi gratulor, & optârim ſanè in eo me tecum oblectare, & ſuauiſsimis tuis colloquijs conſpectuq́; frui: ſed tot tantæq́; occupationes totum me ſibi vendicant, vt hîc etiam paululum ab vrbe digredi ruſticandi gratia, non liceat. Interim pro liberaliſsima illa benignitate tua, qua equum & famulum offers, immortales tibi gratias ago. Tu potius qui iuuenis es, animo & corpore vegetus, qui plurimos hîc amantiſſimos tui amicos habes, huc ad nos aliquando aduola, vt mutuò nos amplexi, varijs de rebus conferamus. quod ſi feceris, efficiam ſpero ne collocati in eam rem temporis pœnitere te poſsit. His diebus Rob. Conſtantinus, incomparabilis doctrinę vir, medicus & philoſophus, mei cauſa Baſilea huc venit, bidui aut amplius iactura, à nobis rectà Lugdunum. is ait in Gallia ſubinde meliora ſperari. Nos hîc meſſem, Dei gratia, lætam & amplam habemus. ſerenitas aliquot dierum fuit. heri pluuioſa tempeſtas redijt. Vina auſtera metuo. Schedam de ſuccino & aquarum aciditate, vbi legeris, cupio te meis ad Volmarũ literis inſerere, & Eſslingam ad ipſum mittere: ſed ita vt tu quoq́; hac de re nobis inquiras. diligẽs & doctus is pharmacopola eſt, & meam de fontium aciditate ſententiam expetiuit. D. Cellarium noſtrum ad te vt ſcriberet ſum hortatus, cuius literas mitto. Vale. Tiguri. 1563. Iunij die 25. Subitò, non relegi. His diebus dum ſuccinum lingo, (magnam enim eius glebam habeo) aciditatem manifeſtam percepi lingua lambendo: & circa rimas videbatur puluiſculus quidam ſubluteus, chalcanthi ferè ſapore, ſed mitiore & acidulo, inſidere. Album aliquoties mandendo guſtare volui, & præ cæteris aciditatis

aliquid in eo ſemper deprehendi. Eſt autem electrum ſiue ſuccinum, vt inter eruditos iam conſtat, bitumini cognatum: & in bituminis aut gagatis glebis quibuſdam, acidum quid & chalcanthi ſapore effloreſcit. Audio autem gagates multos inueniri in Vuirtembergenſi tractu. Quærendum igitur an ab his etiam aciditas aquis nonnullis concilietur. Qua de re vt omni diligentia inquiras cupio.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Culmano Illuſtriſſ. Ducis Wirteb. archiatro.*

POſtremas tuas, mi D. Culmane, hodie accepi: & cũ ad D. Funckium meum (qui in literis noſtris tranſmittendis operã ſuam benignè pollicetur) ſcriberem, mox tuis etiam reſpondere volui, vtcunq; breuiter & incondite. D. Cellario reddidi tuas ad ipſum ſcriptas: qui ſe aliâs reſponſurum ait. Vegæ Hiſpani librum audio Lugduni impreſſum eſſe. ſed habere nondum potui. hinc etiam ad vos mittere difficile foret. Ex proximis nundinis commodius petes Francfordia, ſicut & Solerij Conſilia: quæ tamen D. Cellarius putat ſe mittere ad te poſſe: is quidẽ liber paruus eſt: Vegæ, ni fallor, ſatis magnus, cum accepero, ſcribam rurſus. Gagatem nõ mittes, niſi pulchrum aliquem aut fruſtum ita integrum, vt tornari ex eo aliquid poſsit. interea portiunculam aliquam minimam, ſi ad manum, vt cum alijs huius generis, quos habeo, conferam. Fontium aciditatis cauſam inquirere ne deſinas rogo: donec tandem pulcherrimum illud philoſophicũ exclamare tibi liceat, εὕρηκα, εὕρηκα. Quod conſultationes tuas augere cogitas, probè & liberaliter facis: ſed interim quoniam bona plurima habes, adorna & perfice, vt ſi quid humanitus tibi contingat, nominis tui gloria poſteritati, cui prodeſſe volueris, innoteſcat. operi ſemel perfecto, non difficile erit plura inſerere vel addere. Diſtinctio tua diſertior circa ſanguinis detractionem in peſte, probatur mihi, modò in tempore fiat, & ante augmentum morbi, dum vires adhuc cõſtant. Sed diligentius mecum hac de re cogitabo. nam & D. Adolphus Occo F. vir ſanè eruditus (cuius literas vnà cum tuis D. Funckius nunc mihi miſit) eadem de re mecum egit: & Montani locos & argumenta, ſanguinem in prima inuaſione detrahendum eſſe, ſed non copioſum, aſſerentis, oſtendit. Opium antidotis vt alijs multis contra alia venena diuerſa, & maximos quoſq; morbos rectè miſceri puto. Primùm quoniam theriaca, cuius vis ad peſtem maxima eſt, plurimum habet opij: non quidem opinor vt feruorem aut

acrimo-

acrimoniam aliorum mitiget corrigátue, ſed propter vim ſuam peculiarem, qua tollit dolores, & ſubtiles ac penetrātes humores vaporesq́ venenoſos coërcet ac ſiſtit, vt alia prius via euacuentur, quàm ad cor pertingant. Habent & aliæ veterum antidoti innumeræ. Et laudatum contra peſtem Andreæ Lacunę remediū, euphorbium ſimul atque opium recipit. Times tu, ne parum, nihil faciat: nimium verò perimat: mediocre profuturum ſperato: non ſolum neque per ſe, ſed cum alijs multis conuenientibus mixtum. Audiuiſti forte de noua antidoto Saxonica, contra venena omnia & peſtem mirè efficaci: ea non quidem opium, ſed eiuſdem facultatis herbæ, quam pro aconito primo D. Fuchſius pinxit, folia fructuſq́ue recipit. Electuarij de ouo compoſitionem noſti: id nucem vomicam, cui frigiditatem in quarto tribuunt, requirit. His antidotis opium aut ſimilia aufer, animam abſtuleris, hoc eſt baſim & vim præcipuam earum. Hæc tamen ego exercitandi nos cauſa profero, non vt pertinaciter defendam. Examinare enim in tanto morbo omnia multum diúque oportet, & experientiæ ferè quàm rationi amplius tribuere. Tu ſi quid experiendo certius cognoueris, facias me certiorem. Scribo hęc multa iam nocte, vt literas adhuc ante ſomnum committam tabellario. Ignoſce. Conferam cum D. Cellario alijsq́: & ſi quid aliud operæprecium quod ad te ſcribā videbitur, ſcribam aliàs. Vale. Tiguri, Anno 1564. Ianuarij die 21.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Culmanno medico.*

Literas tuas, mi D. Culmanne Conſtantia ad me miſſas, nuper accepi, quibus nunc reſpōdeo, miſſa ad D. Funckium noſtrum epiſtola. Remedia certa aduerſus peſtem nulla habemus: fortè & nō placet Deo, vt cōtra flagellum ſuum peccatis noſtris debitum, vllum certum præſidiū habeamus. Libellum hic editum Conſilij noſtri de peſte ex ſecunda editione, Eſslingam ad Volmarium noſtrum mitto: & rogo, vt cum perlegerit, tibi tranſmittat. Mihi ſanè experiri aliquid toto hoc iam ſex menſiū peſtilentiæ tempore non licuit: adeò nulli maturè me conſuluerunt. Scio tamen multis profuiſſe ſudorem: & pluribus non ſecta vena, quàm ſecta. Sudorem autem alijs cum theriaca recentiore & bolo, alijs verò alijs

antidotis, admixto aceto deſtillato & aqua theriacali, in multis promouimus. Acetum deſtillari iubemus in cineribus, vaſis vitreis, additis ſuccis herbarum, ſcabioſæ, calendulæ, ſemperuiui, verbenæ, ſolani, corticibus nucum iuglandium viridibus, aut earum loco cortice interiore fraxini, qui per totũ annum haberi poteſt, & bolo interdum: nulla certa deſcriptione: hoc obſeruato tantum, vt aceto acerrimo herbę, earúmue ſucci potius, tũ calidæ quędam peſti reſiſtentes, tum frigidæ vt ſemperuiuũ & ſolanũ addantur. Hic liquor deſtillatus, nihil ferè quàm acetum ſapit, & gratus eſt ſumentibus: confortat, ſitim & calorẽ extinguit; ſudorẽ protrudit: Poteſt & per ſe dari cum ſyrupo aliquo roborãte, vt de citriis, inter ſudandum, & poſtea. Vſum eius multi valdè laudarunt, conſilio noſtro vſi: nam alia medicamenta, dulcia præſertim ſpernunt pleriq;. Aquæ theriacalis etiam nullam certam compoſitionem habeo: ſed cum ſuccis quibuſdam, vt berberorum & calendulæ, & vini deſtillati liquore, qui medius fluit & dulcior eſt, (non qui primus, aut vltimus.) in balneo Mariæ, aliquid theriacæ addo: & in cineribus deſtillari iubeo. De aliis, ni fallor, nuper ad te ſcripſi: vt de ſuccis rutæ, & allii cum aceto & aqua vitæ. D. Bullingero (qui te ſalutat) primum dedi leue ſolutiuum: nam ſudarat modicè antequã me vocaret, deinde ex carbũculis duobus, alterũ ferro ignito, alterum cauſtico potentiali aperuimus: & ita melius habere cœpit. Remedio ex euphorbio, ego non vterer, niſi opio pauco addito: tum vt euphorbii ignem extingueret, tum vt ſudores (quod facit) extruderet. Oxymelite elleborato noſtro etiam feliciter vſus ſum ſemel & iterum: ad præſeruandum certè neceſſarium exiſtimo, & incomparabile: adeò reſiſtit putredini & obſtructionibus: meatusq́ corporis omnes aperit. Andernacus Argentinæ iam Latinè etiam de peſte librum Dialogis quatuor edidit: quem nondũ inſpicere mihi licuit. De libello noſtro iudicium tuum, quæſo ſcribas candidè. Vale. Tiguri. 1565. Ianuarii die 25.

EPISTO-

EPISTOLARVM ME-
DICINALIVM CONRADI GESNERI MEDICI ET PHILOSOPHI Tigurini, Liber ſecundus.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. philoſopho, & inclytæ Reipub. Auguſtanæ medico ordinario.*

ACCEPI binas literas tuas mihi gratiſsimas, quibus λακωνικῶς reſpondeo. Redditos & curatos eſſe libros, quos miſeram, gaudeo. Pro Pſilothro gratiā ago. De Aſpalathi radicis cortice, certi quod ſcribam, nihil dum reperi. In ijs omnibus, quę Matthiolus contra me ſcripſit, facilè illi reſponderem, ac meas ſententias confirmarem: idq; facturus eram, ſed D. Crato & alij ſe interpoſuerunt. Quamobrem volui differre ad hiſtoriam meam ſtirpium, in qua tamen ſimpliciter de rebus ipſis agam, non contra hominem quenquam nominatim contendam, ſi vixero & ocium fuerit: quod nunc adeò mihi deeſt, vt nulli omnino lucubrationi noſtræ vacare, neque ad amicos, vt cuperem, ſcribere liceat. De lapidibus & metallis neſcio quando tandem aliquid noſtrum inconditum & imperfectum ſit proditurum, tam multa ſubindè μεταξὺ κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Pro cannæ indicæ pictura debere me tibi meminero. Eius inter alia, ſemen expectabo: gratum autem foret, id in ſuo fructu, aut ſiliqua incluſum mitti, vt pictura integrior fieri poſſet. Pro vera endiuia, ſonchum ſylueſtrem paſsim ſubſtitui ſcribis: puto autem non ſonchum, ſed lactucam ſcribere te voluiſſe. In diamargariton calido, thapſiam pro caſsia malè poni animaduertiſtis ex Valeſco: atqui poteratis maiori authoritate è melioribus libris. Nic. Myrepſus antidoto 38. Caſiam ligneam nominat: in alijs diuerſis deſcriptionibus huius antidoti nulla caſiæ mentio. Non dubito, quin videris Antonij Foeſij pharmacopoeiam excuſam Baſileæ ab Oporino: in qua author diligenter Myrepſum, Auicennam, Actuarium, & alios confert: citat is & Auicennæ diamargariton, quod cum in Auicenna nūc quærerem,

non inueni. In Triphera Saracenica etiam caſia lignea ponitur in veſtra deſcriptione, & Seitaragi Indum, pro quo ſubſtituitur Merrẽtich / neſcio quàm rectè. Actuarius in triphylo minore, capſicum Indum nominat, vbi Auicennæ vetus interpres (in Tryphera parua) caſiam Indam vertit, Bellunenſis autem Sythragi Indum legit. Tu hæc conſidera, ego neceſſariò feſtino. Plura de Tryphera, &c. ad D. Achillem noſtrum ſcribo: quorum te iudicem ſtatuo, ab aliis quidem antè me animaduerſa, nondum vidi. In Antidotario veſtro paucula fortè adhuc occurrent quæ moneam, ſi res moram patitur. In altera epiſtola non putas peccari, ſi quis pro been albo, paſtinacam ſylueſtrem ponat: pro rubro, tormentillam: ego verò puto, & argumenta mea nuper ſcripſi. toto enim genere, & viribus inſuper, planè differunt paſtinaca & tormentilla: been album verò & rubrum colore ſolùm, &c. Theriacæ Chalcitin addendam cenſeo: quoniam & Andromachus antè Galenum addidit; & magnam eius vim eſſe conſtat, vt imperitiſsimè fecerint, ſi qui coloris tantum cauſa addiderint: tale enim ἄποιον & nulla inſigni facultate præditum eſſe oportebat. Peſtis hic moderatè pergit, paulò maior quàm apud vos. Heri niuem, hodie diem ſereniſsimum habemus. Deus ſua gratia nobis omnibus adſit. Poſitiones veſtras de peſte libentiſsimè legi, próque iis ad me miſsis gratias maximas vobis ago: nec habeo quod in illis repræhendam, candidè alioqui id facturus. Dominus Achilles ſuadet vt excudantur, quod tamen fieri nolim, niſi permittentibus vobis, præſertim cum ſcribas te aliqua mutata velle in tuis, propter Ephemeram peſtilentem. Heri Lugduno accepi à Io. Bauhino Medico (qui in tota hac peſte illic Medicum publicum egit) libellum vtiliſsimum de remediis & obſeruationibus ſuis: quem ad Dominum Ioannem Funckium noſtrum ſcribit, qui tibi facilè, ſi ab eo petas, communicabit. Is venæ ſectione vſus quidem interdum eſt, ſed rariſsimè & perparca, &c. Et ego quoque malim hac in parte peccare εἰς ἔλλειψιν, quàm εἰς ὑπερβολήν. Mitto libellum noſtrum his diebus hîc excuſum, de quo veſtrum viciſsim iudicium expeto & expecto. Circa Ephemeram febrem cogitate, an duplex ea eſſe, vel dici, poſsit. Vna quidem leuis, & qua correpti ſtatim ſanantur, nec vllo graui ſymptomate laborant: hoc enim fieri in multis obſeruamus, in quibus certè nec putrida, nec hectica dici poteſt. Aliam verò grauiorem, quę intra paucas horas tollit. Nihil enim vetat duobus contrariis vnum commune nomen tribui, quod alteri κατὰ σύγκοπιν ἢ ἔλλειψιν, al-

teri

teri καθ' ὑπερβολὴν conueniat: ſicut ἀόρατον dicimus, tum minimum aliquid, & præ paruitate ſua, aut luminis paucitate, μόλις ὁρατὸν: tum quod luce & fulgore excellens, viſum noſtrum vix admittit, vt Sol. An Ephemeram pernicioſam fieri dicemus, ſi venenum ad cor ſtatim peruenerit, vt ſi anhelitus ægri calidus & copioſus trahatur: putridam, ſi ex aêre minus malo, vel cauſa interna minore, fiat: hecticam ex aëre deteriore, vel cauſa interna maiore: vel ſi anhelitus ægri non calidus, & parcior, vt per aliquod ſpacium, trahatur. Aut tale quid. An cum vrina ſimilis ſanæ eſt, indicium id eſt, magis in ſpiritibus quàm humoribus (& fortè arterijs potius quàm venis, vt in ephemera pernicioſa) eſſe malum? quod ſi eſt, venæ ſectio tum non conuenit. Humores quidem tingunt vrinam, non ſpiritus, vt in alijs quoque ephemeris. Vtcunque eſt, omnino multas & magnas differentias eſſe puto, nec omnes notas mortalibus. In quæſtione D. Stengelij, An peſtem neceſſario ſequatur febris peſtilens, concluſione 25. non ſatis diſtingui videtur cor, vel cordis corpus, & ſolida eiuſdem ſubſtantia. Putridam & hecticam puto etiam coincidere poſſe, vt ſi quis malis, & ad putredinem aptis humoribus plenus, contagium patiatur. Cor cum primum putret, non viuere animal, ſicuti tu ſcribis, an verum ſit dubitabit qui legerit hiſtorias duas à Matthia Cornace, Cæſaris medico ſcriptas, pagina 204. & deinceps, voluminis impreſsi ab Oporino, cui titulus Medicæ conſultationis, &c. Concluſione 23. vbi ſcribis, tantum non autem putrefacto, an tantum non, accipis pro ferè? ſin minus, clarius aliter exprime. Peſti aliqua reſiſtere tota ſubſtantia credibile quidem eſt, ſed tale medicamentum & alexipharmacũ, ſeu bezoar verum, nondum inuentum puto. Nam Lemnia & Armenia bolus, Theriaca, aliæque antidoti, ſi quid iuuant, manifeſtis qualitatibus id facere mihi videntur. Trochiſci de viperis, in theriaca ſi deeſſent, aut ſuſpecti eſſent, quid pro eis rectè poni poſſe cenſeres? quid ſi ſulfur? id enim ſimiliter exiccat, venenis reſiſtit, à centro ad ſuperficiem pellit, ſudores mouet, aſthmaticis prodeſt, &c. Nec referret odorẽ fortè antidoti mutari, modò vis maneret. Vnciã theriacæ pro 12. cruciatis vendit noſter pharmacopola, propter nimiũ preciũ trochiſcorũ. Hęc mihi occupatiſsimo in pręſentia ſcribere vix licuit. Ignoſce feſtinationi. Percupio autẽ concluſiones has veſtras, ſiue recognitas, ſi viſum fuerit, ſiue quales ſunt, permitti à nobis in publicum exire. Continent enim plurima vtiliter & ſubtiliter dicta, & vnde plura cogitandi occaſio bonis & induſtrijs medicis detur. Theophr. de peſte.

libellum nondum vidi: ſi poteris, ad me mitte. Coſti Luſitanici, qui iridem ferè olet, portionem, ſi deſyderas, mittam: niſi iam miſi. Vide quàm ſum obliuioſus. Vale cum CL. V. D. parente tuo, & amicis omnibus, præſertim Domino Stengelio, & Sigharto noſtro. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. philoſopho, & inclytæ reipub. Auguſtanæ medico ordinario.*

HIs diebus epiſtola tua, cum pauló antè D. Funckius noſter diſceſsiſſet, mihi reddita eſt: cui nunc breuiſsimè reſpondeo. Quod me dehortaris, ſuauiſsime mi D. Adolphe, ab intempeſtiuis ſtudijs, & aliquam tuendæ valetudinis curam, id tanquam ex abundantia tui in me amoris profectum conſilium, vt accipio libentiſsimè & exoſculor: ita aliqua ex parte ſaltem parebo. Omnino enim id ſequi & negociorum multitudo, quæ deſerere mihi non facile eſt, & conſuetudo ſtudiorum, facit: quæ quidem tanta eſt, & tàm familiaris mihi, vt quandocunque ferè aliquid mali & doloris ſentio, circa libros & lectionem melius habere incipiam: ocianti contrà, malum ingraueſcit. Hoc tempore ſatis benè, Dei gratia, habeo: & tibi quoque τὴν ἐν τῷ παρόντι τῆς ἕξεως σου μετριότητα ἀποδεχομένῳ καὶ στέργοντι ex animo gratulor. Oxymelitis noſtri compoſitionem & vſum audiuiſti fortè: ſin minus, à Domino Funckio accipere potes. Ἔστι δὲ θαυμάσιον πάνυ καὶ ἐπιτετευγμένον φάρμακον, ἐν ἄλλοις τε παμπόλλοις νοσήμασι, καὶ μάλιστά γε τῷ ἄσθματι, ἰδίως μὲν τῷ σὺν φλεγματικοῖς γλίσχροις τε καὶ παχέσι χυμοῖς συνισταμένῳ, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἄλλων τινῶν αἰτιῶν. τούτου δὲ σοι ἀποπειρᾶσθαι συμβουλεύω, ἐν ἑτέροις πρῶτον, οἷς εἴπερ ὠφέλιμον τοῦτο κατανοοίης, εἶτα καὶ ἐν σαυτῷ. γενήσεται δὲ τοῦτο ἀκίνδυνον πάντη καὶ ἀβλαβές, εἴπερ δραχμὴν μίαν ἢ δύο τῆς δόσεως μὴ ὑπερβαίνοις, καὶ μετ᾽ ἄλλου τινὸς εὐστόμου καὶ ἡδέως μιγνύοις. Δεῖ δὲ πολλάκις μᾶλλον καὶ ὀλίγον, ἢ πολὺ καὶ ὀλιγάκις, ἢ ἅπαξ λαβεῖν. τοῦτο δὲ σοι, ὡς μυστήριον, ἀνδρὶ ἀρίστῳ καὶ φιλτάτῳ γράψαι, καὶ κοινωνεῖν ἠβουλόμην. Κελεύω δὲ καὶ πάλιν σε χρῆσθαι αὐτῷ εὐθαρσῶς, καὶ πιστεύειν

ἐμοὶ

ἐμοὶ τῷ διεγείροντί τε αὐτὸ καὶ πολλοῖς ἤδη ἐνιαυτοῖς τὴν περὶ αὐτὸ πεῖραν βεβαιώσαντι. τῷ μείζονι (ἔστι γὰρ διττὴ ἡ σύνθεσις) ὡς φαρμακώδει μᾶλλον, πάλαι μὲν σπανιώτερον ἐχρώμην: νῦν δὲ καὶ τούτῳ οὐ σπανίως. πρὸ μηνὸς σχεδὸν τῇ μητρί μου πάνυ προβεβηκυίᾳ τὴν ἡλικίαν, διὰ δύσπνοιαν κινδυνευούσῃ σφόδρα, τὸ ἧττονος ὀλίγιστον πεντάκις ἢ ἑξάκις μετ' οἴνου κρητικοῦ ἔδωκα: ὅθεν αὐτίκα κρεῖττον ἔσχε καὶ οἱονεὶ ἀπὸ θανάτου ἀναβιοῦν ἔδοξε. Ἀλλὰ καὶ τεταρταϊκοὺς δύο, πρὸ μηνῶν δύο, τὸν μὲν, νεανίαν τοῦ ἧττονος: τὸν δὲ ὠμογέροντα τοῦ μείζονος χρήσει, μετὰ θεοῦ ὑγίασα. Sed hæc pluribus quàm ſtatuerã propter occupationes: eaq́ꝫ Græcè τῇ μὲν διὰ τὸ τοῦ βοηθήματος μυστικόν, τῇ δὲ διὰ τὸ καὶ σε οἱονεὶ προκαλοῦντά με ἐν τοῖς πρὸς ἐμὲ γράμμασιν ἑλληνίζειν, ἢ ἀττικίζειν μᾶλλον. Quod ad Cotinum, non ſentio illi ſemina cauſtica innaſci: ſed quod ad magnitudinem & figuram vitis ſylueſtris, cauſticæ ſeminibus ea ſimilia eſſe puto: ad manum autem nunc non habeo. Eam arbuſculam tu quidem è ſeminibus ſtyracis tibi proueniſſe conijcis: mihi veriſimilius videretur ex terebinthi ſeminibus exiuiſſe. Terebintho enim affinis & cognatus videtur Cotinus multò magis, quàm ſtyraci. Aut vnũ, alterúmue Cotini ſemen fortuitò illis admixtum fuiſſe poteſt, & propter paruitatem latuiſſe. Grata fuerunt quæ ex Io. Agricolæ de peſte libro ad me ſcripſiſti. Faxit Deus vt ad tuos, & Bibliothecam tuam breui commodè tibi redire liceat. Sententiam meam de peſtis curatione examinari à vobis cupio, & veſtra audire iudicia: quamuis experimentis magis in huius veneni curatione, quàm ratione nitendum videatur, ita vt illis incipiatur, ratio autem & vtendi Methodus quæratur poſtea: contra quàm in alijs morbis curandis. Montani ſententiam nondum vidi: tu, vbi opportunum erit, communicabis. Nuper cogitaui ἀρτηριοτομίαν magis quàm φλεβοτομίαν in hac lue iuuare poſſe: id quod multis argumentis probarem, ſed feſtino. Mirabilem quandã ciuis cuiuſdam apud nos hiſtoriam, cui in temporibus arteriã amputari ante annos aliquot feliciſsimè cõſului, D. Funckius fortè tibi narrare poterit. τῶν τοῦ λοιμοῦ θεραπευτικῶν βίβλων mihi quoq́ꝫ nullus ſatis facit: & optarim extare accuratè ſcriptum aliquem. Tu qui nunc ocio abundas, doctrina iudicio et eloquentia vales, laborem hunc ſubire debebas: quod vt facias, vrgente etiam horum temporum & patriæ

tuæ neceſsitate; hortor & oro. Si voles experiri, de noſtris libellis huius argumenti aliquos; quibus tu fortè cares, libenter communicabo. Arthriticæ multę ſunt ſpecies: vna hyeme, altera veris initio, tertia adulto iam vere floret, omnes floribus luteis: Aliæ ſunt in montibus, vt quam Saniculæ montanæ nomine, puto deſcripſit Matthiol⁹: (de qua tu fortè ſentis, κομᾶσθαι ἀπ' αὐτῆς τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον) diſtinguere te velim aliás, et per ocium quaſcunq; ſimplicium medicamentorũ vires non vulgares, & apparandi modos circa nonnulla, (vt ſuccos, aquas, aut aliter) obſeruaueris, pro ornamento operis mei, in quo tantoperè laboro, mihi communicare. Poſtremò quod petis vt numiſmata aliqua, præſertim aurea, tibi procurem, facerem profectò quàm libentiſsimè, ſi fieri poſſet. E Gallijs milites noſtros aliqua fortè retuliſſe putas. Sed nulli ferè ex agro Tigurino milites diſceſſerunt, edicto prohibiti, præter pauciſsimos & pauperrimos; ex vrbe duo tantum. Nulli etiam hic ciues ſunt, qui huiuſmodi curent. Nobiles enim quos ferè habemus, & mercatores, ſenatores itẽ & ditiores, plerię; cum illiterati, tũ antiquitatis haud ſtudioſi, vt etiam ferè docti. Mea quidem fortuna hactenus tenuior fuit, quàm vt aurea vel argentea vlla conquirerem: nunc Dei gratia mediocris eſt, ſed alijs occupationibus totus conſumor. Ignoſces igitur mihi clariſs. mi Adolphe. Habui olim vnum & alterum aureum numiſma, ſed ea mihi abſtulerunt amici. pauciſsima ærea mihi ſuperſunt. Habitat hinc ad duo miliaria vir diues nec illiteratus, cuius ego quartanam, cum aſthmate iunctam, fœliciſsimè nuper curaui: is veterum numiſmatum maximum numerum poſsidet: ſed homo auarus eſt, & colligere potius, quàm largiri vult. Baronem quendam de Zimmern, qui habitat in caſtro propè Rotuuyl ſitum, vnum omnium plurima poſſidere creditur. Puto & ludimagiſtrum noſtrum M. Ioh: Friſium nomine, aurea quędam habere; quo cum agam per occaſionem. Si huc aliquando venires, quod opto, viſeremus illum de quo ſcripſi, qui ad duo miliaria hinc ad lacum habitat. Liceret autem nauigare, & inde intra duas ferè horas ad celeberrimã illam Eremum Virginis, iuxta altiſsimos montes ſitam, tranſire: & montem aliquem rei herbarię cauſa, & tractum illum alpinũ longè lateq; circumſpiciendi gratia, cõſcendere, partim pedibus, partim equitando, ſi liberet. Sed media ęſtas ad hoc tantùm opportuna eſt. Hoc etiam, puto, aſthmati tuo non inutile eſſet. Delibera igitur. Comitaretur te nimirum D. Funckius: cui inter alia librorum nomina proximè non potui plenum titulum dicere libri Gallici, quẽ nunc

reperi.

reperi. Is talis eſt: Diſcours de la religion des anciens Romains, eſcript par le noble ſeigneur Guillaume du Choul, etc. Illuſtré d'un grand nombre des medailles, et de plusieurs belles figures retirees des marbres antiques, qui ſe treuuent à Rome et par noſtre Gaule. Opus eſt ſanè pulcherrimū, impreſſum Lugduni apud Rouillium 1556. in folio. Huic accedit etiam liber de caſtrametatione & diſciplina militari Romanorum: Item de balneis & antiquis exercitationibus Græcorum & Romanorum. Plura non licet. Vale. Subitò, nec relegi, multa iam nocte. D. D. Funckium, affinem meū ſaluere cupio: Illi ac tibi ineuntem hunc annum nouum 1564. quàm proſperrimum ex animo opto. Poſtridie natalis. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

OXymelitis noſtri deſcriptionem accipies proximè. Quæ de venæ ſectione in prima inuaſione peſtis ſcribis, libēter legi, et conſiderabo plenius: ac Montani loca à te demonſtrata perlegā, etiāſi adeò ſum occupatus in lucubrationibus meis, et profeſſione, vt aliud vix cogitare liceat. De lapidibus & metallis nunc quædā præ manibus habeo: ſi quid edidero, mittā. Tu interim ſi quid huius etiā argumenti quantulumcunq;, quò in eo etiam libro tui nominandi non deſit occaſio, ad me per occaſionem dederis, gratiſſimum erit: ſiue rem aliquā non vulgarem, ſiue vulgaris alicuius lapidis, gemmæ, metalli, facultatē nō omnibus notam. Quod argumentum ſcriptionis de peſte detrectas, nimis modeſtè facis: etſi enim tu per ætatē non adeò multa obſeruare potuiſti, vt natu maiores: habes tamen artem noſtrā ceu hæreditariā, doctrina, ingenio, iudicio & eloquentia polles. Aliquid ſanè eſſet, ex tàm multis aliorum ſcriptis, quę optima viderentur, cum iudicio ſeligere. Numiſmata Friſius noſter argētea ſolùm habet, quod me ſcripſiſſe putabam, & vnciā, ſi bene memini, duobus taleris aut florenis indicat. Ego ænea paucisſima habeo, plęraq; ita obſoleta, attrita, aut ærugine obducta, vt legere nō poſsim: quia tamen petis, experiar, expurgabo, et ſcribā ad te aliàs. Caſsiæ Aegyptiæ flores & foliū graphicè depicta ſumma cum voluptate inſpexi: Attulerat quidē ante menſes aliquot ex Italia Io. Bauhinus iuuenis medicus mihi famiſiarisſimus, & D. Funckio notus, vnum atq; alterum florem: quem tum pingendū curaui in libro Matthioli editionis Germanicę, quę Pragæ hoc anno prodijt, ad iconem caſsiæ ab ipſo exhibitā, quę & ipſa flores aliquot habet, ſed non ita bene pictos, neq; in ſua ſerie

tàm multos, vt veſtra pictura, habet. Quamobrē infinitas tibi gratias ago. Patris epiſtolam remitto, & breui epiſtolio ipſi etiã gratias ago. Faciam, vt par eſt, honorificã veſtrûm mentionē in opere meo. Si hoc exemplar, quod mittis, Memphi depictum eſt, idq́ ceu archetypum ad te cupis redire, faciã mihi depingi & remittã. Vtinam verò & balſami veram picturã, & aliarum rariorũ illic ſtirpium, impetrare liceret: ego ſumptus partē, vel etiã totum libentiſsimè darē, & ſingula veſtris nominibus accepta referrē in mea ſtirpium hiſtoria. Vrge igitur, vir optime & amicorũ chariſs. per occaſionem, & inſta, vt aliquid perficiatur. Xylobalſami legitimi ſpecimē aliquod exiguũ; ſi ad me miſeris, et preciũ indicaris, multum etiã eo nomine tibi debebo. Quæ de deſtillationibus quibuſdã minimè vulgaria ad me pſcripſiſti, iucũdiſsimè legi: & gratias maximas pro hac tua in me beneuolentia ſimul & beneficentia ago. Multa ſanè illorũ antehac me latuerũt: diſtribuã ſingula ad ſua mei herbarij loca. Aquę deſtillatę, vt à pleriſq́ pharmacopolis parantur, fortè omnes frigidæ ſunt: vt ex amaris etiam herbis, dulces: & ex ſapidiſsimis, inſipidæ. Si verò rectè deſtillentur, ita vt odorem ac ſaporem ſuum ſeruent, et ab aquoſo humore ſeparentur, vt cum per veſicam deſtillantur, aut aliter ritè: tum certè ſuarũ herbarum primitiuas ſeruant vires. Leonardi Florentini Itali liber, quem citas, vbi ſit impreſſus, qualis & quantus, p occaſionē ſignifica. Alexij Pedemontani ſecreta nõ dubito te vidiſſe: in illis legitur, & inde excerptũ apparet Solenãdri illud remediũ, quo plurimos à præſentiſsima morte liberatos ſcribit. Coniicio autem hoc ipſum eſſe illud, cuius in Italica ſua præfatione meminit Alexius. Nã Latinus interpres, ni fallor, omiſit: qui & alia multa nõ benè tranſtulit. Ex rubi Idęi fructu, ego etiam ſyrupũ parare ſoleo: colore pulcherrimum, ſuauiſsimũ guſtu; odoreq́ gratiſsimũ: quem vel Sapphiris, & Smaragdis ad cor roborandum anteferre non dubitarim. Liber tuus antiquus manuſcriptus, in mellis deſtillatione meminit aquę, quę primùm egrediatur & acida fit. Ego cum aliquando deſtillarem, prima ſubdulcis erat, ſecunda ſubacida, poſtrema acidiſsima. E baccis ebuli et ſambuci liquorem aquę vitę ſimilē deſtillari poſſe credo: Nam & è iuniperi baccis aquam vitę præſtantiſsimã habeo. Tuum illum librũ manuſcriptũ, ſi commodè poſſes aliquando ad me mittere, (coniicio enim multa ineſſe bona) viciſsim à me manuſcriptũ aliquid nõ vulgare acciperes. D. Funckius facilè tranſmitteret, aut D. Achilles, qui ſubinde aliqua ad me mittit. Ad D. Guilandinum magnæ doctrinæ & diligentiæ virum, ſi quando

ſcribes,

ſcribes, velim te eius ſententiā interrogare de Coccalis dictis, quibus ad piſces capiendos vtuntur: cuius vel qualis plantæ ei videantur, & an vim narcoticam eis ineſſe putet. Et ſimiliter de nuce vomica vulgò dicta, cuius plantæ, & an narcotica. Roſa Hierichuntis qualis ſit planta, quibus folijs, &c. nondum cognoſcere potui. Ipſum autem ſcire puto. De Doronico etiam fortè certius aliquid, poſtquam in Oriente fuit, docere nos poſſet. Diſsimulabis autem, ſi placet, hæc in meam gratiam te inquirere. Scriberem ipſe ad eum, ſed tibi facilius, quàm mihi, reſponſurum, certas ob cauſas, ſcio. Audio & peregrinationum ſuarum librum ab eo editum: de quo certior fieri valdè cupio. Quære etiam, Holcus herba quonam in loco nunc pingatur à Matthiolo, quam prius malè pro oryza ab eo poſitam ait. Et Matthioli in Dioſcoridem commentarij Latini, (quos ducentis figuris nouis auctos audio: fortè autem non aliæ ſunt, quàm quæ in Germanica editione nuper accesserunt) quando ſint imprimendi Venetijs. Perſeam arborem noſti vernaculam eſſe Aegypto: ſed quo illis nomine vocetur neſcio: audiui tamen Amygdalam vocari. Fructus dicitur pyro ſimilis, & os habere intus vt prunum. Papyrum etiam Nili plantam: & ex animalibus ichneumonem aſpidis & crocodili hoſtem, Muſtelæ puto ſimilem, nobis depingi, &c. Poſſem adſcribere nomina quædam Arabica, in officinis pharmacopolarum Damaſci vſitata, quæ etiam in Aegypto eadem eſſe non dubito, vt calami aromatici veri, & aliorum quorundam, quibus nos caremus: quod faciam aliâs, ſi tibi ſpes aliqua ſit acquiri inde poſſe. Hæc paucula feſtinanter. Ne verò inanes literas mitterem, addidi radiculas antoræ (vel antitoræ potius) vt hodie Lugduno accepi. Creſcit antitora in altiſsimis montibus, aconitis, ſeu napellis cognata, floribus cucullatis, luteis, radicem bulbis exiguis, binis, vt napellus etiam: ſed albis, & guſtatu amaris: non vt napelli erodentibus. E bulbis illis vnus ſemper iunior & ſolidus eſt, alter marceſcit. Vis ei mirifica aduerſus venena omnia ferè, non toram ſolum, & peſtem, & calculos rerum. ἡ ἀττική σου καλλιέπεια οὐ μετρίως με τέρπει, ἐμοὶ δὲ ἐν τῷ παρόντι σπεύδοντι, καὶ μυρία ἄλλα ἐνθυμουμένῳ, ἕξεις συγγνώμην, οἶδα. Vale; & D. Funccium, cui nudiuſtertius ſcripſi, ex me ſaluta. Tiguri, Ianuarij die 22. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO
Occoni, A. F. medico.

LIteræ tuæ quarto Idus Maij datæ, in ipſa pentecoſte mihi redditæ ſunt: quibus nunc demum reſpondeo λακωνικῶς propter occupationes plurimas atque maximas. Diſpenſarium veſtrum nondum vidi, in quo ſi etiam oxymelitis noſtri deſcriptio continetur nõnihil varians ab illa quam ad vos miſi, pro tuo arbitrio addi vel detrahi aliqua poterunt. Velim autem duplicem deſcriptionem poni: vnam maioris, quod amarius & validius eſt, cum elleborum vtrunque accipiat: alteram minoris, quod leuiter amarum eſt, & album ſolum elleborum recipit: cuius tu aliquando, ſi nondum feciſti, periculum in teipſo facere poteris, vna eius drachma, cum triplo ſyrupi de liquiritia, & exigua ſapa, permiſta. Animaduerſionem tuam, qua hecticam à Ventriculo incipere obſeruaſti, libenter cognoui. Ante paucos dies thermas noſtras bibi copioſe: quæ etſi ſulphur, alumen & ſalem contineant, quæ exiccant omnia, me tamen humectant potu: quoniam aquę vis humectans multo maior eſt in illa mixtione naturæ. Ex illis ſulfur à natura ſublimatum, ſi nondum vidiſti, mittam. Valetudinem tibi opto. Ego etiam plerunque in alio aëre, etſi ſatis bono hîc fruimur, melius valere mihi videor. Ab ampliſsimo Senatu veſtro conductum te eſſe, vt pharmacopolijs inſtituendis ac cenſendis præſis, gaudeo & gratulor tibi: ac ſpero ea occaſione fructum aliquem ad me quoque manaturum. Camphoram & ambram cupio te conſiderare, an ſuis, quas Arabes eis tribuunt, viribus reſpondeant, & quæ pro eis ſubſtitui poſsint: & cuius ſint generis, hoc eſt, an τοῦ φυτικοῦ γένους, an è terra mariue, an aliunde originem habeant. Ambram quidem fungum quendam marinum eſſe, eruditi quidam iudicãt: cui opinioni foramina illa exigua, quibus ſcatet, fauere videntur. Quod ſi ita eſſet, inter fungos, de ea quoque agerem. Pro ſyrupo de hyſſopo, an veſtri etiam herbam ſiccam accipiunt? minus certè placet è ſicca: nec ita ſenſit author: ſed ab oeſypo, id eſt, hyſſopo humida malè dicta, diſtinguere voluit. Quæ de gemmis aliquot ſcripſiſti, & quæ miſiſti expreſſa in cera, omnia mihi longè gratiſsima fuerunt, & gratias ago maximas pro ijs: quæ Doricis literis indicentur, non ſatis aſſequor. In primis quidem me delectauit hieroglyphica pictura; quæ Ibidem, Aegyptiam auem (ciconię ſimillimam, excepto roſtro falcato) & cancrum graphicè exprimit: cætera in eadem non aſſequor. Gratias etiam ago pro obſeruationibus illis Plinianis à Tanſtetero collectis: etiamſi nihil in illis videam non Plinianum. Methodus placet. Remittam cum libro veſtro ligato. Friſius noſter nuper omnino totus adeò

mutatus

mutatus eſt, & ita melancholicus factus, ac penè ſtupidus, vt nihil certi vlla de re cum eo agere liceat. Mercatoris veſtratis in Aegypto caſus mihi dolet: ſed ita ſunt res humanæ. De Solerij experimentis, ſi quid ſucceſſerit, ſcribe. Illud contra vomitum cum fermento, &c. ego iam ſemel & iterū feliciter vſurpaui. Hæc ſubitò. Ignoſce, & vale cum Cl. V. domino parente tuo, & amicis. Tiguri. Iunij die 19. Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. Medico & Philoſopho.*

DE Antiballomenis quibuſdam ſententiam meā ad te ſcriberem, ſi vacaret. Sed & alię occupationes multę magnæque, & pergens peſtilentia, me impediunt. Nolui tamen D. Funccium affinem meum, ſine meis ad te literis dimittere. Pro ambra Pharmacopolæ veſtri Fiſcheri (quem ſaluto amanter) & ſulphure illo raro abs te miſsis, gratias ago. Ambram maxima parte iridis conſtare, factitiam, odor & ſapor illico arguunt. Puto autem iridi mixtam ſarcocollam: nam in ſchedis meis compoſitionem hanc reperio: Pomum odoriferum, ℞. Sarcocollæ ℥. iȷ. hinc ℞. ℥. ȷ. diſſol. in aqua roſ. cui addes Ireos tritæ ℥. ȷ: Tum diſſolues alteram partem ſarcocollæ in aqua roſacea & addes ℥. ȷ. pumicis. Fiat paſtillus paruus cum puluere carbonum, inungendus zibeto. A te quidem miſſa ambra, eadem videtur, ſed abſq; carbonibus. Habebam & aliam compoſitionem, quæ nunc non eſt ad manum. Sed pharmacopolæ noſtri, alibique aliam ambram, prorſus fere inodoram habent. Pro been albo & rubro, vnius generis radicibus, colore duntaxat diuerſis, vt vinum, vt beta, vt alia quędam coloribus hiſce ſolùm diſtincta: miror vos res toto genere differentes ponere. Pro rubro, ſi tormentillam ponitis, cur non relinquitis, quod ex maritimis tractibus adfertur been rubri nomine? id enim à tormentilla colore, odore, ſapore nihil differt. à paſtinacę autem ſylueſtris radice, quam been albo ſubſtituitis, toto genere differt tum forma, tum viribus. Ego pharmacopolis noſtris, polemonij ſatiui (quod caryophyllos flores vulgò vocāt) vt vel radices, vel flores albos & rubros ſaccharo præſertim conditos, pro been ſubſtituant conſulo. Verum quidem vtrunque facilè haberetur è Syria. eſt enim quod Allabe Barbariæ vocat Auicenna. quæ radix, inquit Bellunenſis, ſimilis eſt raphano paruo, oblongo, nota Damaſci: aliqui hermodactylorum ſpeciem quandam eſſe dicunt, & appellari apud Arabes etiam Buzeiden. Sic ille. Actuarius etiam pro been, modò hermodactylum album & ru-

brum: modò helenium album & rubrum ſcribit. Tu ſi potes per mercatores, accerſe ſpecimen. quòd ſi occaſio accerſendi daretur, alia etiam pauca vſitata pharmacopolis Turcarum nomina, quibus res quædam nobis deſideratæ indicantur, ipſis vſitatæ, ſuggererem, vt calam.arom.ſtruthij, alyſsi, &c. Librum tuum commodatum mihi, iampridem recepiſſe te puto, è vaſe hinc ad Vuillerum veſtrum miſſo ſub finem Auguſti. Quod ad Mithridation, vt prius etiam ſcripſi, parum refert Damocratis vel Andromachi deſcriptionem aliquis ſequatur. Ab omnibus differt compoſitio, quam Plinius ſcribit rebus LIIII. conſtare, & inter pondera, grana etiam poni. Ipſe ſexageſimas denarij vocat. Pro doronico quæ ſubſtituiſtis, placent. De Camphora, ἰδέμ. Sulphur à te miſſum conſiderabo maiore ocio: interim gratias ago. Circa Sagapenum & Panaces aſclepium memor eris mei, ſi vixerimus. Ex illis, quos ſecundò iam ſcribis numiſmata apud nos habere, ne vnus quidem apud nos eſt: nec vbi terrarum ſint, ſcio: vt prius etiam ſcripſi. Quod ad cætera, ſatisfactum ferè tibi puto vltimis literis meis, ſi modò ad te peruenerunt. D. Fiſcherum cupio etiam Camphoræ ſuæ, ſi ipſe compoſuit, portiunculam minimam ad me dare. quod ſi fecerit, cogitabo, vt viciſsim rarum aliquid ad eum mittam. Scripſiſſem ad ipſummet, ſi vacaſſet. Icterus feliciter curatur vino in quo ſtomoma ter extinctum relictumque eſt: in id vinum impoſitis prius carbonibus quernis tritis & limatura chalybis. qua de re plenius à D. Gaſſero cognoſcere poteris. Venio ad poſtremas tuas, quibus cum Cannæ Indicæ maximam & elegantiſsimam picturam miſiſti: pro qua tibi & Sighardo noſtro gratias immortales ago: & peto vt proximè ſumptum in picturam factum indices. ſatis eſt mihi beneuolentia veſtra: ſumptum ego feram æquum eſt. itaque volo & impero, vt proximè de eo ſcribas. Ego tibi imperanti viciſsim, vbicunque æquum fuerit, parebo. Iudicium meum ſcribere non poſſum ex ſola pictura, fructum & ſemen ſi viderem, aliquid fortè iudicarem. quod ſi fieri poteſt, vt fructum vnum cum ſemine mittas, gratiſsimum feceris. Commenda me D. Ioan. Steckhin, vt hac in re mihi gratificetur: & ſi quæ alia ſemina rara habet: quamuis vel nomina rariorum cognoſcere mihi ſat fuerit, vt poſtea petam paucißima fortè aliqua quibus careo. Sic erit occaſio amplior, vt etiam in noſtro opere nomen eius legatur: & rara quædam viciſsim à me accipiet. Gladiolum Indicum iamdiu in horto habeo, ijſdem ferè quibus Canna veſtra floribus, nempe croceis, lilij ſpecie. ſed ij ſine ſemine decidunt.

cidunt. Si vixero in alium annum, caulem cum floribus amputa-tam ſuſpendam. ſic enim lilium album noſtrum etiam ſemen pro-fert, & croceum montanum, vt hac æſtate expertus ſum. Caſsiæ nigræ, id eſt, præſtantiſsimæ mentionem fieri apud Dioſcoridem iam ad te ſcripſi. De Aſpalathi corticis radice, non poſſum nunc inquirere: ſi quid occurret aliâs, ſcribam. In hedychrois paſtillis, pro amomo caryophyllos te ponere non improbo. Autumnus a-pud nos primùm cal. & ſiccus fuit: ſed ſubitò in frigidum & humi-dum mutatus eſt. Cœli quidē conſtitutio hîc valdè inconſtans eſt. Peſtilentia in eodem ferè conſiſtit: & parum augetur Dei gratia. Amiſimus Bibliandrum ſenem doctiſsimum: & Samuelem Pel-licanum, Conradi filium. Decumbit adhuc Bullingerus: ſed benè ſpero de eo. Heri literas accepi ab amico, medico diligentiſsimo, Argentina, inter remedia ſudorifica contra peſtem nihil ſe feli-cius adhuc comperiſſe Antidoto Saxonica, cuius ℨ.j. datur cum a-qua theriacali, vel aceto, aliòue liquore conueniente. Idem & Baſilienſis ad me ſcripſit medicus. Vterq; à me accepit. Tu ſi non habes, à D. Gaſſero noſtro facilè habebis. Ego his diebus cum ven triculo & ſtomacho dolerem ex frigidis flatibus, vt puto: antidoti huius ℨ.j. ſumpſi cum vino & aceto, tertia ferè hora à meridie: & in Laconico (quod domi habeo) ſudaui ad duos trientes horæ. in-de in lectulum me recepi & ſudaui ad horas duas. Sic malum o-mne, Dei gratia, veluti abſterſi: & ab eo tēpore optimè habeo, in-commodum autem ex hoc remedio, vtcunq; efficaci, nullum ſenſi, niſi guttur ex eius caliditate modicè accenſum. ſed is ardor ſtatim abijt. Hæc ſcire te volui: & ſi compoſitionem illam habetis, vt pe-riculum facias, me authore ſuadeo. non pœnitebit ſpero. Vale: & CL. V. D. Achilli P. ex me ſalutem D. ſcripſi nuper ad eum, & miſi Icones animalium (aquatilibus exceptis) & librum Illyrici in do-lio ad Vuillerum. Tiguri, Octob. die quinto, Anno 1564.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A.F. medico.*

LIteras tuas, quas cum cannæ Indicæ ſeminibus miſiſti, accepi: &, niſi fallor, ad omnia reſpondi, ita vt ſoleo, hoc eſt, præpro-perè & inconditè: partim enim hæc tempora, quo tota ciuitas & omnis vicinia in luctu funerum eſt, & vndiq; meditatio mortis ſe nobis offert, partim lucubrationes meæ, fatales opinor, laborio-ſiſsimæ, ne quid aliud cum ſeria cogitatione, agere aut commen-

tari poſsim, impediunt: & alioqui ad philologiam magis quàm philoſophiam ſum factus, & multas multorum ſubtilitates non aſſequor. De Herbario meo, ne mihi quidem certi aliquid definire aut polliceri poſſum, nedum alteri, quando id abſolutum iri ſperem. Propoſui enim omnino adhuc multa mihi legenda, vnde excerpam, vt opus, quantum per me præſtari poterit, quàm pleniſsimum exhibeam. His diebus Hippiatrica legi Græca, & excerpſi: nunc Latina Vegetij lego, &c. Plinius vnus multum diuq́ me occupabit: è quo non ſimpliciter excerpam: ſed etiam conferam caſtigationes & annotationes Hermolai, aliasq́; quod etiam in Dioſcoride feci. Cannæ Indicæ caulis cum ſuis floribus ſi reſectus ſuſpenderetur, fructum fortè proferret: quod etiam alba & crocea lilia faciunt, vt proxima æſtate ſum expertus. Crocea certis in montibus noſtris fructum faciunt: in hortis flos abſque fructu cadit, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ὑγρότητα. natura enim humidæ & pingues ſunt plantæ liliorum: & maior adhuc ex hortis humiditas accedit. Caule reſecto, ſiccatur pars ſuprema, quæ fructui deſtinata eſt. debet autem caulis propè radicem reſcindi: vt ex reliquo eius corpore alimentum fructui ſuppetat. nam ſiue nullum alimentum detur, ſiue nimium & nimis humidum, fructus non perficitur. Vtinam verò non τοῦ καρποῦ μόνον τοῦ καλάμου τούτου, ἀλλὰ καὶ τῆς ῥίζης εἰκόνα τινὰ poſſem habere. Verno tempore nihil obeſſet circa radicem terræ tantum remouere, vt aliqua ſaltem eius pars vtcunque delineari poſſet: vt appareret in opere meo qualis nam eſſet radix, bulboſa, geniculata, aut alia facie. Omnino plantam eſſe viuacem conijcio, & auulſas etiam radices facilè plantari poſſe, vel ex eo quod ſcripſiſti, caulem nouum erupiſſe iuxta veterem. Gladiolus etiam Indicus ſimiliter ſe propagat. Tales autem radices non facilè læduntur, & ſine periculo etiam totæ extrahuntur. Aliâs ad te ſcripſi, non ſonchum ſylueſtrem, vt tu nominas, ſed lactucam ſylueſtrem, apud pleroſque omnes pharmacopolas antehac in vſu fuiſſe, endiuiæ loco. De Tryphera nihil amplius dicam. varietatem lectionis, &c. notare tu poteris: & arbitrium lectoribus relinquere. Solani ſuccum non dixerim adimendum, ſed Chāperij de eo ſcripta ſimpliciter indicare vobis volui. Circa poſitiones tuas de peſte, ſatisfactum eſt mihi. Eas ſi Typographi noſtri acceptarint, excudi curabo: quamuis ſolus ferè Froſchouerus hic imprimit. patruelis meus ceſſat. Libentius quidem Typographum quemuis recepturum ſcio, ſi nomē tuum addi patereris. nam anonymos libellos non facilè admittunt, ceu minùs vendibiles, &

lés, &

les, & non congruere mihi videtur D. Stenglij nomen poni, tuum omittens. Quod ſi permittas tuum etiam nomen exprimi, vt ſuadeo: addam fortè etiam D. Bauhini mei epiſtolam ad D. Io. Funckium noſtrum de ratione peſtis curandæ, quã nuper Lugduni ſecutus eſt: eam autem iam te vidiſſe puto: & tuam ſuper ea ſententiam expeto. Montani viri lõgè doctiſsimi ſcripta, vtinam legere mihi vacaret: quibus etiam multò magis fauerem, niſi animæ immortalitatem ab eo non ſolùm in dubium vocatã, vt à Galeno, ſed prorſus negatam, multi mihi affirmaſſent: ita vt diuinam eius indolem à te nominari vel hoc nomine, deteſtabile mihi videatur. Circa peſtis curandæ rationem negligentiorem me facit etiam noſtrorum hominum negligentia. nemo enim maturè conſilium quærit, nemo obtemperat. Pro libro Paracelſi fanatici hominis, gratias ago. Theriacam illam eius de mumia, Baſileæ Acronius medicus parauerat: ſed nec alijs, vt audio, nec ipſimet illa profuit. In ſulfure quidem, auro, alijsq́; ritè paratis, non dubito vim magnam ineſſe: ſed tum alia Paracelſi vitia, tum in religione impietas, qua filium Dei negat, &c. tum aliorum medicorum etiam principum in arte noſtra condemnatio, & methodi elegantiæque omnis in eo inſcitia, mihi diſplicent. Phædronem eius ſectatorem vobiſcum eſſe audio: & quid efficiat miror. Cuperem etiam illius libellos habere, præter illum de peſte, & chirurgiam minorem, quos iam habeo. Vetitos eſſe audio: ſed tu fortè per amicos habere poteris. In theriaca, ſi qualitatibus adſcribamus quod iuuat in febre peſtilentiali, tam feruida & ardente, miraris: ego non miror qui tantam opij vim inijci norim: ὅθεν καὶ ἄλλη ἀντίδοτος ἀνώδυνος καὶ ὑπνοποιὸς ἀποτελεῖται. Calidam ais eſſe in quarto gradu. Nego. nam neque ratio hoc oſtendit, cum multa inſint vel frigida, vel parum calida, in ſecundo aut tertio pleraque: in quarto, neſcio an vllum: neque experientia. nam ſi cuti imponas, ἴσως ἰνδὶ φοινίξει, tantum abeſt, vt vrat & vlceret. Certè dum noua eſt, manifeſta in eius effectu refrigerans ſiſtensq́ue opij vis cernitur: & hæc magis, quàm vetus, venenis ac peſtilentiæ aduerſatur. Partibus igitur conſtat contrarijs, frigidiſsimis & calidiſsimis mixtis, quæ duo in omni bona antidoto, quæ & ἀνώδυνος & πολύχρηστος eſſe debeat, requiruntur. quare non probo antidotum diateſſaron, aut quaſuis aliorum, in quibus hoc obſeruatum non eſt. Admitto quidem eas ceu bonas per ſe & ſuo loco antidotos: in theriacæ verò locum eas ſubſtitui, non admitto. In theriaca ſimplicium eam conſtituentium medicamentorum ſingulorum

qualitates ac vires nobis cognitæ exploratæq́ſunt omnium, ex-
cepta fortè viperina carne: quam tamen idcirco pro qualitatibus
ſuis agere non eſt negandum, quòd eæ nobis ferè incognitæ ſint.
Mihi viperæ craſis perquàm calida & ſicca videtur, nam & agile
iracundumq́ animal eſt, & alimentis veſcitur calidiſsimis ſicciſsi-
misq́, vt cantharis, & huiuſmodi inſectis: & præ ſiccitate leberi-
dem ponit: & in ijs quos momordit, calida ſiccaq́ ſymptomata e-
ueniunt: & in cibo ſumptæ earum carnes, aut remedio, corpus
cutimq́ ſumentis exiccant. Vt tamen concedam veluti ἐκ περιουσίας,
viperarum carnem formę etiam occultioris ratione aliquid in no-
bis efficere: an idcirco non licebit ſubſtituere in eius locum aliud,
quod idipſum agat, ſiue formæ, ſiue materię et qualitatum ſuarum
elementarium ratione? Modò enim id efficiatur quod volumus,
quacunque tandem ratione id fiat, non admodum refert. Viperæ
fortè, ſi formæ ratione agunt, trahunt ad ſe venenum ſimilitudine
quadam ſubſtantiæ, ſicut Magnes ferrum. ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον iuxta
Homerum. Sulfur autem vi ſui caloris, etſi non ſimpliciter, ſed in
tali materia. Quamuis enim calidi eſt attrahere, ſiue ſimile, ſiue di-
uerſum, aut etiam contrarium aliquid: non quiduis tamen à quo-
uis calido trahitur. Succinum trahit paleas, aliaq́ minutula, ferri
etiam ſcobem: at non niſi prætritum & calefactum, ita vt ambi-
gere καὶ ἐπαμφοτερίζειν videatur inter ea quæ formæ ratione, & quæ
calore ſimpliciter trahunt. Quibus ſi theriacam quoq́ velis ad-
numerare, vt viperinæ carnis reſpectu, vim, qua trahitur & vin-
citur venenum, formæ ſubſtantiali adſcribas: cætera autem eiuſ-
dem antidoti ſimplicia, qualitatibus ſuis manifeſtis agant, non
contendero tecum. At ſi in compoſitis medicamentis, vnam ex o-
mnibus vim (συμφθαρέντων τῶν ἑκάστων εἰς ἕν τι κοινὸν εἶδος) emergere di-
cas, & κράσιν hanc ὁμοποιὸν eſſe, καὶ εἶδος καὶ οὐσίαν ἑκάστου, κινδυνεύει ἤδη τὸ εἶδος
ἐκ συμβεβηκότων, (ποῖα γὰρ αἱ ποιότητες,) καὶ ὑστερογενές τι ποιεῖν. Vide quàm ine-
ptè his de rebus, in quarum cognitione non ſum exercitatus, di-
ſputo: ſed tua culpa, qui in hunc campum me prouocaſti. Sentio
hæc ſupra ingenij mei captum eſſe: & doctioribus hæc relinquo.
Quod tamen ἐν τῷ παρόντι ἐκ τοῦ παραχρῆμα καὶ αὐτοσχεδίως dicere his de
rebus potui, dixi breuiter. Peſtem, de quo dubitas, commune
aliquid habere cum venenis deleterijs & lyſſodectis, ego mini-
mè dubito: maximè verò cum rabidi canis morſu & ſymptoma-
ta quædam, & curandi rationem congruere video. Porrò
in eo quod tantopere mihi aduerſaris, ſulfur pro trochiſcis
διὰ σκίλλης ſubſtituenti in theriaca, non ſatis mentem meam aſſequu-

tus videris. Tecum enim ego ſentio, debere theriacam ex vera vi-
perarum carne, alijsq́ quoad eius fieri poteſt, vt ſunt preſcripta, ὡς
ἀκριβέστατα componi. Si verò cõtingat viperas veras, aut ex eis tro-
chiſcos nobis deeſſe: vel certè ſuſpectos eſſe, an ex vipera, eaq́ ſuo
tempore & loco capta & occiſa, aut alio ſerpente facti ſint: aut ſi
ex vipera ſine dubio fuerint, an tamen ritè confecti. Vidi enim ego
ex vipera quidem factos, ſed ita, vt canis qui vnum atq; alterum
in iure pingui, curantibus nobis experiundi cauſa, deuorârat, pau-
lò poſt moreretur. Sunt qui nullũ omnino ſerpentem, ſed alia quę-
dam adhibeant, Hermolao Barbaro teſte. Quæro igitur pro carne
viperarum, ſi opus ſit, & exercitationis ingenij gratia, ad antido-
tum theriacam, & ſales theriacos, quid nam tibi ἀντιβλητικὸν videa-
tur potius quàm ſulfur? Rationes pro ſulfure ego multas afferre
poſſem: ſed quas tute ſatis intelligis: quamobrem ad experien-
tiam prouoco. Vnus ex duobus pharmacopolis noſtris nuperri-
mè ex libri veſtri medicamentarij præſcripto, theriacam commu-
nem parauit: cui meo conſilio præter alia quædam, philonij por-
tionem, & ſulfur ea proportione ferè qua trochiſci è viperis the-
riacæ Andromachi adduntur, adiecit, pro pauperibus & pecore
in primis. Eius periculum cum à nobis factum fuerit, certius ali-
quid fortè ſcribam. De nomine contendendum non eſt: poterit ta-
men etiam ſine viperis καὶ ἄνευ θηρῶν parata antidotus, θηριακὴ vocari,
διὰ τὴν πρὸς τὰ τῶν θηρίων δήγματα δύναμιν: ſicuti theriaca remedia di-
uerſa à Nicandro vocantur, οὐχ ὑλικῶς ὡς ἐξ ὕλης τῶν θηρίων συνεστῶτα: ἀλλὰ
διὰ τὴν ἐναργῆ ἐν τοῖς θηριοδήκτοις βοήθειαν. Alexipharmaca verò quæ ve-
nenis alijs reſiſtunt. Andromachi autem antidotus κατ᾽ ἐξοχήν τινα θη-
ριακὴ λέλεκται, vt Vergilius poëta. Pro Balſamo, nucis moſchatæ vel
potius è maci oleum mihi etiam placeret potiùs, quàm caryo-
phyllorum, ob cauſas à te ſcriptas. Manardi δι᾽ αἱμάτων antido-
tus, cum frigidum nihil habeat, ſed omnia calidâ: nimis calêre, &
minimè πολύχρηστος mihi videtur. Cordi & Guidonis antidotos iam
non licet inquirere. De chalcitide ſcripſi quod ſenſi: in theriacam
communem noſtram, vitriolum album præparatum, ita vt docet
author Appendicis Pandectarum & contra peſtem & quartanam
commendat, iniecimus: nec mali ſaporis eſt. Quod ſimplicium ca-
talogum & precia ſingulorum Medicamentario veſtro ad-
dere ſtatuiſti, valde laudò: & cupio vt matures. Vale.
Tiguri. Decemb. die 12. Anno 1564.

ΚΟΡΡΑΔΟΣ ΓΕΣΝΗΡΟΣ Ο ΦΙΛΙΑΤΡΟΣ,

Ἀδόλφῳ Ὀκκωνι ἰατρῷ, ὁμωνύμου πατρός τε καὶ πάππου ἰατρῶν υἱῷ καὶ ἐκγόνῳ ἀρίστῳ καὶ ἐπισημοτάτῳ, ἐν Αὐγούστῃ τῶν κατὰ τοὺς Σουάβους πόλεων ὀνομαστοτάτῃ, χαίρειν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ.

Χρόνος ἤδη μηνῶν που τεττάρων ἐῤῥύηκεν, ὅτε τὰ ἑλληνικά σου πρὸς με γράμματα ἀπέλαβον, λογιώτατε Ὀκκων. Καὶ τότε μὲν ὑπὸ πλήθους ἀσχολιῶν μου τῇ αὐτῇ γλώττῃ ἀντεπιστέλλειν σοι οὐκ ἠδυνάμην: ἀλλ' οὐδ' ἐτόλμων τὸ πρῶτον, τὴν τῶν σου γραμμάτων ἀττικὴν ὄντως καὶ χάριτος μεστὴν ποικίλης εὐέπειαν ἀγασάμενος, ἐμοὶ δὲ πολλὴν πρὸς τὸ ἑλληνίζειν ἀπειρίαν συνειδώς. Νεανίας μὲν γὰρ ἔτι ὀλίγ' ἄττα καταλογάδην τε καὶ δι' ἐπῶν, μεμελέτηκα: ταχὺ δὲ τὸ μελετᾶν, διὰ μείζους τινὰς αἰτίας, καὶ τὴν τῶν διδασκάλων ἀπορίαν, ἀπολελοιπώς, τριάκοντα ἤδη ἢ καὶ πλείοσιν ἔτεσι, τρὶς ἢ τετράκις μόνον ἐν τοσούτῳ χρόνῳ, ἑλληνιστὶ πρὸς φίλους ἐπέσταλκα. καὶ νῦν ταῦτα γράφων, δοκῶ μοι οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐν ξένῃ που μακρὰν τῆς πατρίδος ψελλίζειν τε καὶ σολοικίζειν. Ἀλλὰ καὶ οὕτως ἀποτολμητέον ἡγησάμην, ὥστε ἅμα καὶ φίλῳ σοι πάντων, ὅσοι νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες, ἀρίστῳ καὶ ἡδίστῳ ἐμοὶ, χαρίζεσθαι: ἅμα δὲ κἀμὲ γυμνάζεσθαί πως, καὶ τὰ παιδικά μου νεανικά τε ἐπιτηδεύματα ἀνακαλεῖν ἀμωσγέπως. ἡδὺ δὲ γέροντι τὸ τὰ τῆς πρώτης ἡλικίας παιδεύματα ἀναπεμπάζειν, διαλείποντι ποτὲ τὰ σπουδαιότερα, καὶ ὅσον οἷόν τε (ὡς ἔπος εἰπεῖν) ἀνανηπιοῦσθαι. Βουλοίμην μὲν οὖν δύνασθαι κομψεύειν τὸν λόγον μου, καὶ καλλωπίζειν καὶ ἀττικίζειν οὕτως, ὡς καὶ σὺ ἐν τῇ χαριεστάτῃ ἐπιστολῇ σου τὴν τοῦ λέγειν δεινότητα ὁμοῦ καὶ γλυκύτητα ἐπεδείξω. ἀλλ' οὐδὲ δύναμις ἐμοὶ πρὸς τοῦτο, οὐδὲ σχολὴ οὐδεμία. αἰτοῦμαι δὲ σὲ συγγνώμην τῆς τε βραχύτητος, καὶ ἀπειρίας ἅμα καὶ ἀπορίας τῆς λέξεως ἐμῆς. εἰς γὰρ τὸ συγγινώσκειν οὐ δύσκολον ἐμοὶ σὲ γενησόμενον θαῤῥῶ: καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, ὅτι σύ μοι τῆς τόλμης ταύτης οἱασδήποτε αἴτιος ἐγένου, διὰ τῶν σῶν γραμμάτων

ἐμὲ προ-

ἐμὲ προσκαλεσάμενος. καὶ ταῦτα μὲν οἱονεὶ πεφροιμιάσθω. τοὐντεῦθεν δὲ ἐπὶ τινὰς ἄλλας ἐπιστολὰς σου, τῇ μὲν ῥωμαϊστὶ, τῇ δὲ καὶ ἑλλάδι ἅμα γλώττῃ γεγραμμένας τρέψομαι. Ἐν ταύταις μὲν οὖν σχεδὸν περὶ τῆς ἐπικινδύνου καὶ σφαλερᾶς τῆς κατὰ τὸ σῶμα καταστάσεώς σου ἐπληροφορήθην μετὰ πλείστης γε λύπης ὦ φίλη κεφαλή. εὐξαίμην γὰρ ἂν ἔγωγε πάντα τὸν θνητὸν τοῦτον βίον, οὐκ ἄνευ σου, τοῦ ἡμίσεως ἐμοῦ, καὶ πάντων ἡδίστου ὡς ἀληθῶς ἀδελφοῦ διαβιῶναι. παραμυθεῖται δέ με μάλιστα: κατὰ φύσιν μὲν πρῶτον, ὅτι ἀναγκαῖον πᾶσιν ἡμῖν μεταλλάττεσθαί ποτε: ῥᾶον δὲ καὶ ἄμεινον ἐν νεότητι τοῦτο συμβαίνει, ἢ τοῖς πολὺ προβεβηκόσι τὴν ἡλικίαν. δεύτερον δὲ, ὅτι οὐ ταυτὸ ἐπίνοσον εἶναι, καὶ βραχύβιον, κατὰ τὸν τῆς περιπατητικῆς φιλοσοφίας ἡγεμόνα. τῶν γὰρ νοσερῶν πολλάκις μακρότερον τὸν βίον ὁρῶμεν. τρίτον δὲ, ὅτι εἰ καὶ προτέρῳ σοι κατ' ἄνθρωπόν τι συμβαίη, ἐγὼ μετ' οὐ πολύ γε ἀκολουθήσω ὁ πολιὸς ἤδη περὶ πολλοῦ, καὶ ἐκ νέας σχεδὸν ὥρας, ἰσχνός τε τὴν ἕξιν καὶ καχεκτικὸς ἀεί. ἡ δὲ μεγίστη καὶ σεμνοτάτη παραμυθία μοι εἰς τοῦτο παρὰ τοῦ Θείου κοινωνεῖται, καθ' ἣν οἶδά τε καὶ θαρρῶ βεβαιότατα, ὅτι πάντα τοῖς πεποιθόσιν αὐτῷ, τοῖς ὥσπερ υἱοῖς αὐτοῦ, διὰ τὴν τοῦ χριστοῦ ἡμῶν μεσιτείαν, ἐπ' ἀγαθῷ γίγνεται: καὶ μηδὲ θρὶξ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτῶν, ἄνευ τῆς πατρικῆς καὶ παντοδυνάμου βουλήσεώς τε καὶ προνοίας αὐτοῦ ἀποπίπτει. αὕτη δὲ ἡ παρηγορία μου καὶ εὐθαρσία αὔξανεταί μοι καὶ βεβαιοῦται; ἐπειδὴ πνεύματι μᾶλλον ἢ σώματι τοὺς ἀληθῶς θεοδιδάκτους. καὶ θεοπειθεῖς ζῆν ἀναπέπεισμαι, καὶ ὅτι οὐκ ἄρτῳ μόνον; ἀλλὰ παντὶ θείῳ ῥήματι ζήσεται ὁ ἄνθρωπος. ταῦτα δὲ πάντα οἱονεὶ κατασφραγίζεται, ὅτι τὴν αὐτὴν κατὰ Χριστὸν εὐσέβειαν ἄμφω μεμνήμεθά τε καὶ ἀποδεχόμεθα. διαφέρομεν δὲ οἶμαι ἐν οὐδενὶ τῶν ἀναγκαίων πρὸς αἰωνίαν ζωὴν κεφαλαίων; ὅθεν καὶ ἐλπίς μοι μετ' οὐ πολὺ κοινὸν ἡμῖν τὸν μόνον ὄντως καὶ μακαριώτατον βίον ἀναλυθεῖσι παρὰ τῷ χριστῷ, ἐν αὐτῷ τε καὶ δι' αὐτὸν καὶ ἀπ' αὐτοῦ γενήσεσθαι; ᾧ μόνῳ χάρις τε καὶ δόξα

ἡ τιμὴ πᾶσα εἰς αἰῶνας αἰώνων ὀφείλεται. Ἀλλὰ διὰ πλειόνων περὶ τούτου προσειπεῖν σε χρῆναί μοι οὐ δοκεῖ. ἐπεὶ οὔτε ἐγὼ ἱκανός εἰμι οὔτε σὺ χρείαν ἔχεις, ὡς ἐκ τῶν εὐσεβῶν σου γραμμάτων ῥᾳδίως κατανοῶ: οἷς ἔγωγε ἐντυγχάνων οὐ σπανίως, ὥσπερ ὁμιλούμενος αὐτοῖς μάλιστα, τὴν εὐσέβειάν σου τὴν μεγαλόψυχον καὶ ἡρωϊκὴν, τὰ κοσμικὰ ταῦτα χρήματα πάντα περὶ μικροῦ ποιουμένην, ἀγαμαί τε, καὶ ἀσπαζόμενος, θεῷ τε εὐχαριστῶν ὑπὲρ σοῦ, καταφιλῶ. ἀληθὴς γὰρ ὄντως φιλοσοφία, ἡ σοφία μᾶλλον ὡς κατ' ἄνθρωπον, ἡ τὸ τέλος νοοῦσα, ἔν τε τοῖς ἄλλοις τὸ τῶν ἑκάστων, καὶ τὸ καθ' ἡμᾶς μάλιστα; τὸν θάνατον λέγω, οὕτως ὥστε καὶ ζῶντας πολὺ πρότερον προπαρασκευάζειν ἡμᾶς, τὴν διάνοιαν συνεχῶς ἀπὸ τοῦ σώματος ἰδίου καὶ τοῦ ἐνταῦθα κόσμου χωρίζοντας: ὥστε τῆς φύσεως, ἢ τῆς ὑπὲρ αὐτὴν προνοίας μᾶλλον, ἐπειγούσης, εὐμενῶς τε καὶ ἀσπασίως ἕπεσθαι, διὰ τὴν μακαρίαν καὶ ἔνθεον ἡμῶν πίστιν τε καὶ ἐλπίδα: ἣ καὶ νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα, ἐπὶ τὸν κτίστην ἁπάντων, ἡμῶν δὲ καὶ πατέρα, τὸν οὐράνιον στενάζουσα διατελεῖ: καθ' ἣν καὶ ταῦτα τὰ ἐπύλλια αὐτοσχεδιάζειν μοι ἐπῆλθεν.

Εὐδαίμων πρῶτα μὲν ὁ θέσκελα πάντα νοήσας,
　Εἶτα δ' ὁ γ' ἐλπίζων, τὸ τρίτον ὅστις ἔχει.
Τρισμάκαρ ὁ τρίτατος: πρῶτος δέ γ' ἐπαμφοτερίζει.
　Οὐ γὰρ ἄνευ πίστης ἐλπίδος ἐστὶ μάκαρ.
Πλείονα δ' ἐννοέων δειλαιότερος πέλει ἔνθεν,
　Αἰεὶ ἄπιστος ἐὼν, ἐλπίδος αἰεὶ ἄνευ.
Ἐλπὶς δ' ἥ γ' ἀγαθὴ γηροτρόφος ἐστὶ γλυκεῖα,
　Καὶ φυγάδας βόσκει πατρίδος ἐλπὶς ἑῆς.
Κἂν θανάτου δ' ἀκμῇ κραδίην μόνη ἐλπὶς ἀγάλλει,
　Ἀνδρῶν εὐσεβέων οὐρανόφοιτον ἄκος,
Νηπενθές τ', ἄλυπόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,
　Πνεύματος ἐξ ἁγίου πάντοτ' ἐπαρδόμενον,
Θαρρῶμεν φίλ' Ἀδόλφε: μετ' οὐ πολὺ δ' ἄμμιν ἀδελφοῖς
　Ἐν Χριστῷ πισύνοις ἐλπίδος ἔσται ὕπαρ.

Καιρὸς

Καιρὸς δὲ μοι ἤδη ἥκειν ἐπὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἐπεσταλμένων παρὰ σοῦ ἐν δυσὶ τοῖς τελευταίοις γράμμασι. Τὴν βήρυλλόν σου ἐν δακτυλίῳ, παλαιάν γε καὶ καλλίστην σφραγίδα, πάλιν πρὸς σὲ ἀφικέσθαι, ἄσμενος συνῆκα: καὶ τοῖς διεξοδικώτερον περὶ αὐτῆς μοι γεγραμμένοις μεθ' ἡδονῆς οὐ μετρίας ἐνέτυχον. πάλιν δὲ ἐλυπήθην διὰ τὸ ἐπιταχθὲν σοι τοῦ ἄσθματος πάθος: ὅπερ διὰ τὸ πολλῶν τε καὶ παντοίων ἐν τοῖς φαρμακοπωλείοις ἀπογεύσασθαί σε ἐν τῇ ἐπισκέψει πεπονθέναι σε ὑποπτεύεις, οὐδ' ἀλόγως. ἔστη γοῦν τοὐντεῦθεν καὶ σύ, ὡς καὶ με παρακαλεῖς, περὶ ταῦτα εὐλαβέστερος: καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, ὅτι μείζων τῷ πάθει σου κίνδυνος, διὰ τὸ τὸν πεπονθότα ἐν σοὶ τόπον, πλησιαίτερον τοῦ γευστηρίου εἶναι. ἐμοὶ δὲ ἀνάγκη πως δοκεῖ τὸ ἀπογεύεσθαι πολλῶν, πρὸς τὸ ἀκριβέστερον διαγνῶναι καὶ κρίνειν ἕκαστα, περὶ ὧν ἂν ἐν τοῖς φυσικοῖς ὑπομνήμασί μου γράφων ἀεὶ τύχω. ἀλλ' ὅμως καὶ αὐτὸς εἰς τὸ μέλλον εὐλαβήσομαι δι' ἱκανῶν μέχρι τοῦδε κινδύνων ἐλθών. τὰ γὰρ δηλητηριώδη τῶν φαρμάκων, πολλάκις διαλανθάνει καὶ ἐξαπατᾷ ἡμᾶς. ᾤμην δ' ἐγὼ ἐκ τοῦ γεύεσθαι μόνον ἄνευ τοῦ καταπίνειν κίνδυνον ἐπιγενησόμενον. μυρίων γὰρ πρὸ τοῦδε γευσάμενος, καὶ δηλητηρίως προφανῶς ἐνίων, αἰφνιδίαν ὧδε καὶ θαυμασίαν πάνυ δύναμιν οὐδενὸς ἔτι ἐφώρασα, οὐδὲ κίνδυνον ἄλλον μείζω σχεδόν, πλὴν τῆς κατὰ στόμα καὶ φάρυγγα πυρώσεώς τε καὶ ξηρασίας ἀπ' ἐνίων ἰσχυρᾶς, ὕστερον δὲ ἀφανιζομένης μεθ' ὥραν σχεδὸν μίαν ἢ πλείους. Ἡ λοιμικὴ κατάστασις ἔτι ἐπιμένει ἡμῖν, μετρία δὲ ἐπιεικῶς: καὶ Σιμλῆρος ἡμέτερος, Ζουίγγλιός τε καὶ Γουαλτῆρος, ἄνδρες εὐσεβεῖς καὶ λόγιοι, τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας πενθοῦσι. τὸ διὰ κιτρίου εὐπόριστον παρὰ σοῦ μοι γεγραμμένον, ἐσκεύασα: καὶ δοκεῖ καλόν τε καὶ ἡδὺ ἱκανῶς. ἐπιμίγνυμι δὲ ἐνίοτε πρὸς τὴν χρῆσιν μικρόν τι οἴνου τοῦ κατὰ τὴν χυμικὴν στακτοῦ, ἤτοι ὕδατος ζωῆς χυδαίως λεγομένης, διά τε τὴν ἡλικίαν καὶ τὴν ὥραν τοῦ ἐνιαυτοῦ. τῷ Ἀχιλλεῖ ἡμετέρῳ αὐτὸς ἐπιστελῶ: ὅς που τὰ ἡμέτερα οὐκ ὀρθῶς συνῆκεν.

ἐπιτρέπω δὲ καὶ σοὶ τὴν κρίσιν, ὅπῃ γε ἐναντίαν γνώμην φέρει τὰ παρ᾽ ἐμοῦ γεγραμμένα ἢ αὐτὸς ἐξηγεῖται. Εν τοῖς πάντων ὑστάτοις περὶ τοῦ ὀξυμέλιτος ἡμετέρου γράφεις: ὅπερ ἐγ᾽ ᾤμην παρ᾽ ἡμῖν ἐσκευάσθαι κατὰ τὸν ἰουλιανὸν, τοῦτο γὰρ ἐν τῷ τῶν παρ᾽ ἡμῖν συντιθεμένων φαρμάκων βίβλῳ ἀναγινώσκεται, καὶ τὴν μανδραγόρου ῥίζαν δέχεται. τὸ δὲ ἡμέτερον τὸ μεῖζον, ᾧ καὶ ἐλλέβορος ἀμφότερος μίγνυται, οὐκ οἶδα πῶς οὕτως ἀσθενές ἐστι παρ᾽ ὑμῖν. ὑποπτεύω δὲ οὐκ ὀρθῶς συντεθῆναι, καὶ ἀντὶ γνησίου τοῦ μέλανος τοῦ καὶ κοινοῦ ἐλλεβόρου ἄλλόν τινα ψευδώνυμον (περὶ οὗ καὶ ὁ Αχιλλεύς ἡμῶν ποτέ μοι ἐπέσταλκε) αὐτῷ μεμίχθαι, ἢ τὸν γνήσιον ἴσως ὀλίζονι σταθμῷ ἢ ἔοικε. σὺ δὲ εὖ ποιήσεις οὐκ ἀντὶ καθαρτικοῦ, (καὶ τοι παρ᾽ ἡμῖν καὶ ἡ διὰ κοιλίας κάθαρσις ὡς ἐπιπλεῖστον ἕπεται οὐγγίας μέσης διδομένης, ἢ καὶ δυοῖν καὶ τριῶν ποτε δραχμῶν μόνων:) ἀλλὰ πρὸς τὸ λεπτύνειν τε καὶ τέμνειν τοὺς χυμοὺς, τοὺς παχυτέρους τε καὶ γλίσχρους, καὶ τοῦ ἀπορύπτειν ἕνεκα:· μάλιστα δὲ εἰς τὸ μεταποροποιεῖν, ὥς φασιν, τουτέστιν ἀπὸ κέντρου εἰς ἐπιφάνειαν ἄγειν χρώμενος. Τὰ τῆς Σκολοδινέας ἐμοὶ λεγομένης σπέρματα ἡδόμενος ἔλαβον, καὶ πολλὴν σοι χάριν οἶδα. Τὰ δὲ Θλάσπεως παρὰ σου λεγόμενα τοῦ γνησίου Θλάσπεως εἶναι κἀμοὶ ξυνδοκεῖ. φύεται δὲ καὶ ἐν ἡμετέρῳ κήπῳ. θάτερα δὲ, τὰ τῶν φαρμακοπωλῶν, ψευδωνύμου τινὸς Θλάσπεως ὑπάρχει, ἀρουραίου ἴσως, τοῦ σκόροδόν πως ἀπόζοντος, τῇ δριμύτητι πολὺ ἀπολειπομένου. Περὶ τὴν ἀρρωστίαν σου τὴν ἀσθματικὴν κουφοτέρως σε ἤδη ἔχειν, ἐκ θυμοῦ σοι συγχαίρω: καὶ πολυχρόνιον τὴν διάλειψιν ἢ μᾶλλον ὑγιείαν σοι εὔχομαι πολλὰς δι᾽ αἰτίας: πρῶτον μὲν διὰ τὸν υἱὸν τὸν νεωστὶ σοι γεγονότα, ὃν Θεὸς ὁ παντοκράτωρ τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει τε καὶ χάριτί σοι τηρήσειεν, ὥστε τὸ γένος ἡμῶν δι᾽ αὐτοῦ ποτε πολλαπλασιάζεσθαι. εἶτα δὲ διὰ τοὺς γονεῖς σου τοὺς ἔτι ζῶντας: τελευταῖον δὲ δι᾽ ἐμέ τε καὶ πάντας τοὺς φίλους σου, καὶ τὴν ἡμετέραν τέχνην, ἣν κοσμῶν ἀεὶ καὶ αὐξάνων διατελεῖς. Τὰ περὶ τοῦ Ινδικοῦ τάγητος κατὰ φούχσιον λεγομέ-

νου πα-

του παρὰ φαρμακοπώλου τινὸς οὐκ ἀπαιδεύτου σοι ἐπεσταλμένα, ἡδέως ἀνέγνωκα. ἐδόκει δὲ κἀμοὶ πάλαι ποτὲ οὐδὲν πως δηλητήριον ἀνθρώπῳ ἔχειν ἡ βοτάνη. Περὶ τοῦ ἐξ ἀσπίδος κεφαλῆς λίθου, οὐδὲν μέχρι τούτου ἔγνωκα. δοκεῖ δέ μοι ὁ Ανδερνάκος ἤδη γέρων, ἐν πλείστοις καὶ ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν ληρεῖν καὶ παραφρονεῖν: ὡς καὶ περὶ τοὺς τετράποδας ἔχεις, περὶ ὧν ὁ Αχιλλεὺς μοι ἔγραψε. τὸν φούχσιον τὸ βοτανολογικὸν αὐτοῦ τελειῶσαι μετὰ τοσοῦτον χρόνον, οὐδὲν θαῦμα. τοὐμὸν δὲ τὸ πολὺ μεῖζον (οἶμαι) ἐσόμενον, πότε ἄρα τελειωθήσεται, οὐκ ἔχω εἰπεῖν. ἐλπίζω δὲ πρὸ ἐνιαυτοῦ τούτου γενήσεσθαι, τότε πρῶτον τῷ χαλκογράφῳ δοθησόμενον μετὰ Θεοῦ. τὴν τοῦ φροσχόηρου νομισμάτων, συγχωροῦντός γε αὐτοῦ, ὁ Σιμλῆρος ἡμῶν, ὁ καὶ διαγινώσκειν αὐτὰ δεινότερος, μετὰ τὸ πένθος, ἐκλέξεταί σοι. Τὰ ἀντὶ ὀρόβου πεμφθέντα μοι σπέρματα, οὐ μοι ἀρέσκει, ἄλλως τε, καὶ ὅτι πικρότητος οὐδεμιᾶς μετέχει. ἐγὼ τοῖς ἡμετέροις φαρμακοπώλαις ἀντὶ ὀρόβου πρὸς τοὺς σκιλλητικοὺς τροχίσκους τοῦ ψευδῶς λεγομένου δικτάμνου ῥίζαν τιθέναι συνεβούλευσα. ἔστι γὰρ πικρά τε καὶ ἀλεξιφάρμακος, εἴ τι ἄλλο. Πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν (ἵνα τοῦτο ὡς ἐπὶ μέτρον τι καὶ ἕρμαιόν σοι προσγράψω) τῆς γεντιανῆς χυλὸν τεταρταϊκῷ ἔδωκα, μετ᾽ ἄλλ᾽ ἄττα νεανικὰ μὲν, ἀνωφελῶς δὲ δεδομένα: ὅθεν αὐτίκα ὁ πυρετὸς ὅλος ᾤχηται. χάρις Θεῷ. Ἔρρωσο. ἐν τιγύρῳ. ἀσπάζου τοὺς φίλους: μάλιστα μὲν τὸν αἰδοιότατόν σου πατέρα, τόν τ᾽ Ἀχιλλέα ὀνόματί τε καὶ ὄντως μεγαλόψυχον ἄνδρα καὶ ἰατρὸν ἄριστον: καὶ Δασύλυκον ὅπερ οἶμαι ὀφειλέτης ἔτι εἰμὶ πρὸς τὸ ἀντεπιστέλλειν: καὶ Ιερεμίαν τὸν Μάρτιον εἰ καὶ πάνυ ἐπιλελησμένος ἐμοῦ δοκεῖ: καὶ Σιγᾶρδον τὸν φαρμακοπώλην. Ἔρρωσο πάλιν, καὶ τοῖς σφάλμασι σύγγνωθι. βαθείας γὰρ ἤδη νυκτὸς ταῦτα ἔγραψα ὁπωσδήποτε, οὐδὲ τοῦ ἐπανορθοῦν ἀναγινώσκοντα σχολή μοι γέγονε. τὰ πρὸς Κράτωνα γράμματα, διὰ πρώτου γραμματοφόρου εἰς Βίενναν σε πέμπειν δέομαι. Δεκεμβρίου τετάρτη.

ΑΔΟΛΦΟΣ Ο ΟΚΚΩΝ ΚΟΡΡΑΔΩ ΓΕΣ-

νήρῳ ἀνδρὶ λογιωτάτῳ καὶ ἰατρῷ περιφανεστάτῳ, φίλῳ σπουδαιοτάτῳ ἐν Τιγύρῳ Ἐλβετίων εὖ τε διάγειν καὶ ἐς ἀεὶ εὐτυχεῖν κατὰ πράττειν.

ΕΚομισάμην σου τὴν ἐπιστολὴν, ἄνερ τιμιώτατε, καὶ μοὶ προσφιλέστατε τῇ πέμπτῃ τούτου τοῦ μηνὸς ἐπὶ δέκα, πέμψαντος ὡς ἐμὲ Φουγκίου τοῦ ἡμετέρου, ἀνδρὸς ἐμοὶ ἠγαπημένου, καὶ ταύτην ἑλληνικῶς γεγραμμένην, προκαλέσαντος σε δήπου εἰς τουτὶ τὸ παιδίον ὡς φής, καὶ διὰ τὴν τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης ἄσκησιν προτέρου ἑλληνίσαντος, ἴσθι τοίνυν κεχαρισμένον μοι πρᾶγμα πεποιηκὼς σύ γε καὶ κομιδῆ φιλοπρεπὲς ἀντεπιστέλλων τοῖς ἡμετέροις. Διὸ χάριτας οἶδά σοι καὶ ὁμολογῶ, πρῶτον μὲν τῆς ἐπιστολῆς σου, εὐνοίας δῆθεν γεμούσης, καὶ ἐξαιρέτου φύσεως, ᾗ πάντας σχεδὸν τοὺς ἡμεδαποὺς τούς γε καθ᾽ ἡμᾶς παρευδοκιμεῖς. ἔπειτα δὲ καὶ τῆς παρακλήσιος τῆς σῆς ἕνεκα, διὰ τὴν νόσον ἐκείνην, τὴν, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐμοί συγγενῆ τε καὶ συχνὰ πάνυ πράγματα συνεχῶς παρασχοῦσαν, ἥν τινα θεὸς ὁ πασῶν τε τῶν μοιρῶν καὶ τῶν εἱμαρμένων κληρωτὴς αὐτοκράτωρ τάχ᾽ ἂν μεταλλάξει εἰς τὸ φέρτερον, εἴτ᾽ οὐκ εἰς μακρὰν τεθνηξομένου μου, εἴτε ταύτῃ τῇ ταλαιπωρίᾳ ἐπὶ μακρότερον ἐμβιωσομένου καὶ κατὰ τὰ ἐπίγεια ῥευστά τε ὄντα, καὶ ἐπισφαλῆ, ἄχρις οὗ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξειε, διάξοντος. πεποιθότος μέντοι περὶ τῆς αἰωνίας ζωῆς οὐ μετὰ πολὺ ἐμοὶ γενησομένης, διὰ τὸν μεσίτην ἡμῶν κύριον ἰησοῦν χριστὸν τὸν τὰ ἡμέτερα ἁμαρτήματα βαστάζοντα, καὶ διδόντα εἰρήνην τῷ τε σώματι ἡμῶν καὶ τῇ ψυχῇ, καὶ τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ εἰς αἰῶνα τῶν αἰώνων. Οὐδὲν οὖν ἄλλο παρὰ θεοῦ αἰτοῦμαι τοῦ παντοκράτορος, ἢ πρῶτον μὲν τὴν ἐν χριστῷ εὐθανασίαν, ἔπειτα δὲ τήν τε ἀθανασίαν, καὶ κληρονομίαν τοῦ αἰῶνος, καὶ τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ χριστοῦ. Ἐκ δὲ τῶν γραμμάτων σου μανθάνω, ταύτῃ τῇ διατριβῇ καὶ σε ἐμφιλοσοφοῦντα φιλοφρόνως τε καὶ εὐσταθῶς, ἀμφοῖν δὲ

ἡμῖν

ἡμῖν ταύτην τὴν προαίρεσιν ἡ πρόνοια ἐπιῤῥώσαι κατὰ τῆς τοῦ διαβόλου εἰσβολῆς, καὶ τοῦ κόσμου τούτου, καὶ τῆς ἰδίας σαρκὸς τῶν συνεχῶς ἡμῖν πολεμούντων δοίη, ἕως ἐκείνης τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ μεταλλάξαι δεήσει, καὶ ἀπέρχεσθαι τούτου τοῦ βίου ἐν χριστῷ ἰησοῦ, δι' οὗ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα τὸν ὑπερουράνιον. Καὶ τοῦτο μὲν τὴν ἀιωτάτου πρόνοιαν εὐγνωμόνως ποιησομένην πέπεισμαι ταῖς δεήσεσι, καὶ προσευχαῖς ἡμῶν συγχωροῦσαν. Καὶ περὶ τούτων μὲν ἴσως πλείω τοῦ προσήκοντος, ἄλλως τε πρὸς ἄνδρα θεοφιλῆ, καὶ ἐπ' ἄκρον πάσης σοφίας ἐληλακότα. Τούτων οὖν ἀφέμενος ἔρχομαι ἤδη πρὸς τὰ λοιπὰ τῆς ἐπιστολῆς σου. Τὴν λοιμικὴν τοίνυν κατάστασιν μετρίως πως ἔχειν καὶ ἐπιεικῶς, ἄσμενος ἔγνωκα. ἐλπὶς δ' ἐστὶ μετ' οὐ πολὺ σὺν θεῷ λωφήσειν καὶ οἰχήσεσθαι παντελῶς. τὸ δὲ διὰ κιτρίου μήλου φάρμακον προφυλακτικὸν ἔσται σοι ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα λοιμικὰ τὰ ἔνδοξα καὶ δοκιμασθέντα ὑπὸ σοῦ. Τὸ δὲ ὀξύμελι τὸ ἡμέτερον τὴν μὲν τοῦ μανδραγόρου ῥίζαν οὐ δέχεται· ἐστὶ δὲ τῷ μικρῷ τῷ ὑπὸ σοῦ τεταγμένῳ κατὰ πάντα ὅμοιον, προστίθημι γὰρ ἱαρδὸν κελτικὴν καὶ καλαμίνθην τὴν ὀρείαν, οὐκ ἴσῳ τῷ σταθμῷ ὡς οἶσθα. Τὴν δὲ τοῦ ἐλλεβόρου τοῦ μέλανος ῥίζαν πέμπω πρὸς σέ, ᾧ ἐγὼ χρῶμαι καὶ ὁ Ἀχιλλεὺς καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἐν ἡμετέρᾳ τῇ πόλει ἰατροί, ὅνπερ ἐγὼ μὲν γνήσιόν τ' εἶναι καὶ οὐ ψευδώνυμον ὑπείληφα, προσδοκῶ δὲ καὶ τὸ κριτίριον καὶ τὸ στοχαστικὸν τῆς διανοίας σου περὶ τούτου γε. ὑπὲρ δὲ τῶν ἄλλων τῶν ὑπὸ σοῦ γεγραμμένων χάριν μὲν σοι ὁμολογῶ, τὴν δὲ πρὸς αὐτὰ ἀπόκρισιν εἰς ἄλλην ἐπιστολὴν ἀναβέβλημαι τὴν ταύτῃ ἀκολουθήσουσαν, ἐπειδὴ τάχιστ' ἂν σχολῆς εὐπορήσω. Νῦν δὲ προσθήσω καὶ τοῦτο, ὅτι τὰ πρὸς κράτωνα γράμματα εἰς βιένναν ἔπεμψεν ὁ Ἀχιλλεὺς αὐτήμαρ, ὅσα γε κἀμὲ εἰδέναι. δοθήσεται οὖν αὐτῷ ἐν εὐκαιρίᾳ. ἠσπασάμην δὲ ἀπὸ σοῦ οὓς προσειπεῖν με ἐκέλευσας ἄνδρας ἤδη μοι φιλιωθέντας, καὶ μάλιστα τὸν Ἀχιλλέα τὸν ἀρε-

τῇ καὶ σοφίᾳ διαφέροντα, σοί τε καὶ ἐμοὶ καὶ πᾶσι τοῖς χρηστοῖς πάντῃ τε καὶ πάντη εὐαπάντητόν τε καὶ ἡδὺν ὄντα, διὸ οὐδενὸς τῶν ἀνθρώπων ἧττον τὴν φιλίαν ὡς τὴν ἐκείνου ἀποδέχομαί τε καὶ τιμῶ. Ἀντάσπαζεταί δέ σε δι' ἐμοῦ ὁ αὐτὸς, μηδαμῶς ἀχθόμενός σοι, ὦ ᾽γαθὲ, διὰ τὰ παρὰ σοῦ γεγραμμένα ἐν τῷ περὶ λιθῶν καὶ μετάλλων βιβλίῳ, ὅπερ σὺ ὑπονοῶν τυγχάνεις. προσειπέ μοι τὸν Σιμλῆρον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς εὐνοϊκῶς ἀμφοῖν ἡμῖν ἔχοντας. ἔρρωσο καὶ διατέλει σπουδάζων περὶ τοὺς καλλίστους τῶν λόγων καὶ σεμνοτάτους, καὶ τὰ ἡμέτερα παιδικὰ (τὰ γράμματά μου λέγω) εὖ τίθεσο δωρεῶν ἄξιος ὢν λαμπροτέρων. προσαγορεύει σε ὁ πατὴρ φιλοφρόνως καὶ φιλοτίμως, ὁμοίως δὲ καὶ ἱερώνυμος ὁ βόλφιος ὅς τε καὶ τὸν φρίσιον περὶ πλείστου μὲν ποιούμενος, ὑφ' ὑμῶν δὲ ἢ ὀλιγωρεῖσθαι ἢ καὶ ἐπιλελῆσθαι δοκῶν. Ἐν Αὐγούστῃ οὐινδελικῶν παρὰ λύκον τὸν ποταμὸν, δεκεμβρίου μηνὸς δεκάτῃ φθίνοντος ἔτει ἀπὸ ἐνσάρκου οἰκονομίας α φ ξ ε.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A.F. medico.*

LIcet tibi, ſuauiſsime amicorum vel maturè vel tardius, pro ut occupationes tuæ & commoda & incommoda ferunt, ad literas meas reſpondere: vt hoc idem mihi viciſsim ἀφθόνως à te facilè concedi, perſuaſus ſum. Liceat & λακωνικῶς, & ἀσιατικῶς, & μετρίως. ego natura βραχυλογώτερος ſum: idq́ magis & neceſſariò nunc διὰ τὰς ἀσχολίας. De Grylli commentarijs in Dioſcoridem, &c. gaudeo rem tibi curæ eſſe. D. Gaſſerum non accepiſſe partem antidoti Saxonicæ à me miſſæ, dolet mihi. perexiguũ mihi ſupereſt: ſi vultis, id quoque mittam. Trochiſci theriaci ſæpe mihi non poſſunt non eſſe ſuſpecti, & eò magis, quo maius eorum eſt precium: ſi tamen à viris bonis & peritis habeantur, minus ſuſpecti erunt: ſed quæ nam eorum δοκιμασία? Simplicia quæ ex aſpectu, & aliòue ſenſu ſtatim agnoſcimus, minimè ſuſpecta eſſe poſſunt: compoſita verò vel aliquo modo arte mutata, ſi procul petantur, ſi magni ſunt precij, quomodo non eſſent plærumq́ ſuſpecta? idq́ magis hoc corru-

ptiſſimo ſeculo. Imò conſtat multis in locis Pharmacopolas quaſdam compoſitiones habere, quas trochiſcorum theriacorum loco faciunt. Probo vehementer veros illos trochiſcos, & confectam ex eis theriacam præfero antiballomenis omnibus. At ſi non conſtet de illorum veritate: aut ſi aliter ſuſpecti ſint, quòd fortè non ritè parati, &c. quæro vel neceſsitatis vel certè exercendi ingenij gratia, quid pro ijs ſubſtituendum putes? Ad hoc nondum reſpondiſti: ſed ſimpliciter inſtas, trochiſcos illos minimè ſuſpectos eſſe. Certè longè alij è Gallia ad nos mittuntur, alij ex Italia, qui & precio & ſubſtantia multum variant. Cur igitur vetas nos ſuſpicari quod αὐτοψία διάφορον oſtendit. Scio viperas veras noſci: & noui ego ſi quis alius, ita vt inter innumeras alias ſerpentium ſpecies facillimè diſcernerem. confectos verò ex eis trochiſcos, iam non diſcerno. Addis, viperas ipſas ad nos accerſi poſſe viuas, fateor: ſed an illæ iam captiuæ, à ſuo cœlo victuq; plurimum mutatæ, & iam diu fortè ἀτροφῆσαι, aut aliter παρὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν mutatæ, antidotis conueniant, valde dubito: Sed ſatis περὶ ἐχιδνῶν, ἢ καὶ ἄγαν. Ex euphorbio contra peſtem auxilium; num quibus profuerit, ſpero me ex D. Culmanni mei, (qui medicus eſt principis Vuirtembergenſis) aut aliorum literis breui cogniturum. Peſtis, Dei gratia, hîc remiſit: quare non libet etiam mihi de eius curatione nunc pluribus diſputare. Ad experientiam prouoco: ex qua tamen plerunq;, niſi cum ratione obſeruata confirmataq; ſit, certi nihil colligi ſcio. Dico autem experientiam, οὐ τὴν πεῖραν τὴν καὶ σφαλερωτέραν: ἀλλὰ τὴν ἐμπειρίαν λεγομένην, τὴν ἐκ πείρας πολλοδαπῶς γινομένην δεινότητα ἢ ἕξιν. Electuarium Lupi Monſpelij olim in vſu fuit: recipit autem theriacæ bonam partem: cui additur bolus Armenia aut ſimilis, & ſucci herbarum rutæ, abſinthij, calendulæ, &c. Compoſitionis modum integrum non habeo ad manum, ſi vrges, ſcribam aliâs. In pangendo Cannæ Indicę ſemine, conſilium tuum & D. Stöcklin ſequar, ſi vixero. Doctiſsimo & clariſsimo viro D. Rauchuuolff ingentes meis verbis gratias ages pro ſeminibus & herbis ad me miſsis: multa enim in eis rariſsima ſunt: quod ſi ipſemet de nonnullis ad me breuiſsimè ſcribere dignaretur, gratiſsimum foret, quę ſcilicet in horto ei nata eſſent & quomodo: quæ hyemem vel æſtatem ferre poſſent, quæ minus. Hyoſcyami ſemen non puto eſſe albi, cum fuſcum ſit. Cepa & raphanus Portugallici, quales ſint, ſcire cupio: & cepæ illius bulbum vnum, deſidero. item quæ ſpecies illa liliorum ſit, aut qualis. Tordylium ab eo dictum, Caucalis eſt. Milium decomorium, neſcio vnde ſic dictum, doctiorum Phalaris eſt.

Additas inueni & herbas quaſdam, ſed ſine nominibus, quæ vo-luiſſem aſcripta fuiſſe: inter alias pulcherrimum Sileris (ſeſeleos) montani genus, & Blitum quoddam Corchorúmue, ocymi folijs: & duas ignotas, fœniculi folijs vnam, latiore: alteram nihil quàm fructus duplicis clypeoli ſpecie oſtendentem. Si gratum ei fore ſperarem, viciſsim aliqua mitterem ſemina: nunc non vacat. tu admonebis: aut, quod mallē, per literas ipſe petet, & ſi quid etiam aliud rariuſculum in horto habet, docebit. Vbicunque erit occaſio in rarioribus illis quæ ad me miſit, aut mittet: præſertim ſi excre-uerint ſata, vt poſsint depingi, mentionem eius, vt par eſt & ſoleo, faciam in opere meo. E Gallia redeuntibus nobis, iter mihi cum eo fuiſſe, ſanè exciderat. Quod pro ſeminibus ex Italia & aliunde impetrandis tantum operæ poſuiſti (vt ex D. Ioannis Schlick ad te literis cognoui) plurimum tibi debeo, & ero, vt aliorum quo-que in me beneficiorum tuorum, memor. Melancholicus ille qui nummos poſsidet, iam decumbit: & ſpero me aliquid breui effe-cturum, apud ipſum aut hęredes. Si nummi omnes, qui ex argento puro ſunt, pondere indicarentur: quanti redimeres vnciam? ille fortè aut hæredes non vendent niſi pariter omnes: et minoris iam, vt ſpero, quàm ipſe iamdudum indicarat. Pro mirabili illo vetulæ experimento, gratias ago. Si Typographus aliquis apud vos nu-per & olim libros aliquos, quacunque lingua, maximè tamen Lati-na excudit: item Ingolſtadij, effice per amicos, ſi potes, vt catalo-gum habeam. Nam ſecunda pars Bibliothecæ noſtræ breui recu-detur, cui catalogos Typographorum plurimos addendos, cura-bo: nec refert, ſi multi exigui & parui momenti libelli ſint. In Me-dicamentario veſtro vix poſſum aliqua emendare, cum & pleraque bene habere mihi videantur, & rariſsimè in eo verſari liceat. Hoc tamen in præſentia accipe ὀλίγον φίλον τε. Pag. 46. Diacalaminthon vocabulum bis ſcribitur: pro quo ponerem diacalaminthos: διὰ e-nim præpoſitio ſolet, vt ſcis, in huiuſmodi genitiuum poſtulare, cumque ſeparatum: non autem componi. Eadem pagina, Dioſpo-liticon ſcribi debet, à Dioſpoli ciuitate Aegypti: locus autem ei non videtur aptus inter compoſitiones illas, quarum nomina ex διὰ prępoſitione & medicamento in eis præcipuo conſtant, ſed an-te aut poſt. Hoc ſi curioſitas eſt, ignoſce. Addo, quòd maioris mo-menti eſt, in eodem dioſpolitico cumini non vſti, ſed toſti legen-dum eſſe: Ego totam illam compoſitionem ex Galeno & alijs, ſic ponerem.

℞. Cumini communis vel Aethiopici, vel vtriuſque, in aceto ma-cerati,

cerati, & mox triti, vel toſti prius in vaſe figlino perfectè cocto: piperis,(ſiue nigri: nam Galenus ſimpliciter nominat piper: ſiue albi, vt Myrepſus: ſiue longi, vt alij) comarum rutæ flaccidarum, ana ℥.j. nitri ℥.ſ. vel ęquale cum reliquis pondus, ſi ventrem magis mouere libeat, ex præſcripto Galeni. Hæc ſaccharo, vel melle ſufficienti excipiantur: aut ſine his, fiat puluis, ptiſanæ in menſa, aliisue edulijs inſpergendus. De ſuccino quæris poſtremò, an mihi videatur fœtum viuum aut mortuum ab eo promoueri poſſe. Videtur autem mihi quòd id facere poſsit, ſed viuentem potius quàm mortuum: vbi vi maiore opus eſt. Aſtringere & ſiccare ipſum ſcio: ſed aſtringendo vĕrriculi os et partes alias roborat, pręſertim cum veluti aromaticum quiddam admixtum habeat. His roboratis, natura fœtum extrudet, non medicamentum: niſi totius ſubſtantię ratione vtero dicatum eſſe ſuccinum arbitremur. Ego certè ad fœtus emouendos, plus bitumini alicui fœtido, vt piſſaſphalto (cuius ſpecies duas molles habeo, vnum cerę, alterum picis inſtar) quàm electro tribuerim: nam & minus aut nihil aſtringunt illa, & ſuo fœtore, vt caſtoreum, vterum deſcendere faciunt. Habeo & Iudaicum aſphaltum verum: à quo etiam paleas & minuta huiuſmodi trahi video, ſicut ab ipſo electro & gagate, ſed multò infirmius. Hęc ferè ad epiſtolam tuam. λάβε δὲ καὶ πόρισμα: Electrum recentiores Gręci Euſtathio teſte, βερονίκην vocant, nimirum à Latina voce vernix: quæ tamen Germanicę originis eſt, Bern=ſtein / vnde & Birnus aut virnus. & ſic Veronicam interpretari oportet apud Nicolaum Myrepſum in Antidotis quibuſdã: quod non intellexit Leon. Fuchſius: qui Antidoto 327. Veronicam non ſuccinum, vt debebat, ſed herbam vulgò à Germanis ſic dictam, (Erenpryß) interpretatur, &c. Multa etiam alia eo libro, Linguæ Græcæ aut rerum ipſarum imperitia, non eſt aſſequutus: & mihi iampridem candidè de quibuſdam monenti, pollicentiq́; etiam alia à mè obſeruata ad eius libri obſeruationem, gratias non egit. In eadem Antidoto adiecta eſt chalcitis aſſata, non ſanè coloris cauſa, ſed propter vim ei ſiccando aſtringendoq́; peculiarem. Hoc denique addam & finiam: opium & opiata, (ſicuti iam olim ad D. Gaſſerum noſtrum, quem ſaluto, ſcripſi) mouere ſudorem, & hac alijsq́; de cauſis peſtilentię curationi rectè adhiberi, vt quæ à centro ad ſuperficiem pellant, quam meam ſententiam, non ſolùm experientia confirmat, ſed etiam Myrepſus (in cuius lectione nunc verſor, vt quæ ad φυσικὰ pertinent, excerpam) in Antidoto polychreſto, numero 225. Qui hanc antidotum (inquit) bi-

ſunt, plurimum ſudant, ita vt diſſoluantur. Vale. Tiguri 1565. Ianuarij die 7.

CONRADVS GESNERVS. ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

Πα ρηγορικὰ tua ſcripta, pergrata mihi ſunt. Peſtis (Dei gratia) plane remiſit: quare poſitionibus veſtris, quæ mihi quidem perplacent, Typographum inuenire difficilius erit. Non negligam tamen occaſionem, ſiue nunc, ſiue aliâs oblatam, idq; omiſſo, vt vobis placet, Bauhini libro. Quòd omnia ex Montani ſententia ſcribis, eò meliora doctioraq; eſſe puto. Occupatior ego fui hactenus annis plurimis, quàm vt eius ſcripta voluere, ne dum euoluere mihi liceret. Nunc cum et de anima illum melius ſenſiſſe intelligam, ex doctiſsimi D. Stenglij teſtimonio (cui meo nomine hac de re gratias agi cupio) quàm antehac neſcio à quo perſuaſus fueram: & ſummam eius doctrinam atq; ingenium diuinum tu humaniſsimis tuis literis toties mihi cõmendaris, etiam ſi occupationes meæ nihil adhuc imminutę ſint, vtinam non etiam auctæ eſſent; inceſsit me ſcriptorum eius cognoſcendi, ſucciſiuis ſaltem horis, cupiditas: & rogo vt perſcribas primo otio, quos eius libros in primis, tanquam eo authore dignos, mihi legendos conſulas, & vbi impreſſos: nam præter conſilia eius Norimbergæ & Lugduni excuſa, paucos quoſdam alios & paruos libellos tantum habeo. Phædronis & Theophraſti ſcripta iam non curo. Diſputationem de Theriacæ caliditatis gradu relinquo pendentem, cum alia vrgeant. Ranunculum quidem & cantharides, minus eſſe calida quàm aromata quædam, &c. non facilè aſſenſerim. De vi etiam attractoria quorundam, vt ſuccini, differere pluribus non vacat. Hoc tantum dicam, ſuccinum fricatum quidem citius & facilius trahere quàm non fricatum, non rectè à te ſcribi: non fricatum enim prorſus non trahit. Attritio autem & calor inde excitatus, non ad ſuccinum modò, ſed alia etiam attrahentia pleraq; (aut omnia fortè nobis cognita, ſi magnetem excipias) requiruntur. Noſti autem nimirum etiam gemmas non paucas affrictas, ſuccino ſimiliter trahere. Theriacam, inquis, agere non quia calida aut frigida, ſed quia talis, contra venena ſcilicet & peſtem: quoniam ex mixtione qualitatum diuerſarum, alia quædam noua qualitas reſultet, quam κρᾶσιν appellas. Ego vnius cuiusq; rei formam aliquam ſubſtantialem eſſe aio, ex qua vnum quodq; tale quid dici-

tum:

tur: et hanc ipſam non eſſe ὑπερογκικόν τι, nec ex qualitatibus mixtis reſultare, ſed ſimplex aliquid & primitiuum, idq́ꝫ cœleſte. Et rurſus ſuam cuiusq́ꝫ rei κρᾶσιν ac temperiem naturalem, ex mixtis elementorum qualitatibus, quæ & ipſa qualitas quædam non ſubſtantialis eſt. Et huius κράσεως ratione quę agunt medicamenta, non debent totius ſubſtantię ratione dici agere. Et qualitates quidem miſceri inuicem poſſunt, (ita vt ex calido & frigido mixtis, tertium quid, nempe tepidum proueniat) formæ verò & ſubſtantiæ miſceri ita non poſſunt, nec ὁμοιῶδες aliquid ex eis oriri. Sed hæc ſubitò ſcribo, exercitij gratia, etſi ſtatueram abſtinere. Peſtilentiam ſæpe cogitaui quo cum veneno alio conferre poſſem, nec inueni quod ei melius congruat, quàm rabidi canis. Vtrumq́ꝫ ſepticum eſt, & contagioſum, & vel latet aliquandiu, poſtea recrudeſcit, vel ab initio ſtatim ſæuit. Video & remedia multa, medendiq́ꝫ rationem conuenire. Moſchi & Bionis εἰδύλλια ſi potes accerſe nobis. Pro ijs quę ſcripſiſti de bello Suecico, & clariſsimi viri D. Conſulis Amſterodami epiſtola, plurimum tibi debeo: atq́ꝫ amplius etiam pro diligentia illa tua, quam in conquirendis D. Laurentij Grylli in Dioſcoridem prælectionibus impendis. Sumptum omnem libenter, vt par eſt, dabo: præſertim cum bonus & eruditus ille iuuenis, cuius epiſtolam ad me miſiſti, hunc laborem ſe ſubiturum receperit. Charus mihi eſt optimus & doctiſsimus vir parens eius D. Butzlius. Vale. Tiguri 1565. Februarij die 4.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

TV verò mi ſuauiſsime D. Occo nimium officioſus es, & nimium mea cauſa laboras: ego viciſsim officio meo non ſatis facio, partim quòd facultas non datur aliquando, partim quòd occupationes meæ adeò me obruunt, vt & rem familiarem & alia neceſſaria vel negligentiſsimè, vel omnino non curem: vt meipſum quoque, meamq́ꝫ valetudinem. Dabit Deus his quoque finem, καὶ τοῦτό γε ἐν βραχεῖ ὡς ἅπασι τοῖς θνητοῖς καὶ γηΐνοις. Literas tuas omnes ad me perueniſſe puto. Quod mihi libros aliquot veteres in membranis deſcriptos polliceris, gratiam ago, non peto tamen ad me mitti, niſi vnum aliquem, quem tu ipſe præ cæteris vel doctiorem, vel inſtituto meo ſaltem vtiliorem iudicaueris: is ſi placuerit, petam etiam alium poſtea: ſin minus, voluntas tamen tua mihi pergrata fuerit. Catalogus Biblio-

thecarum parentis ac tuæ, quo vetuſtiores tantùm ac rariores libros enumeras, periucundus mihi eſt, & permulta in eo hactenus mihi incognita reperio; quorum vſus erit, tum ad primum Bibliothecę tomum eiúsue Epitomen, ſi aliquando recudetur, tum ad ſecundum, quem (vt ſcripſi nuper) intra annum à ſe recuſum iri, Typographus mihi affirmauit. Sed velim te in altera ſolùm chartæ facie ſcribere poſthac; diſſecare enim ſóleo. Perge igitur quęſo paulatim pro tua commoditate. ero (cum Deo) aliquando gratus. Quæ de familia veſtra, parente & auo ſcripſiſti, ea me plurimum oblectarunt; & Deum oro, vt ſicuti hactenus magno cum honore ob doctrinam & virtutes τὰς πατρικὰς familia tua, non patriæ ſolùm ornamento fuit, ſed exteris etiam paſsim innotuit: ita poſthac iiſdem inſignibus, pietatis verò in primis nomine (quæ certè in tuis literis ſemper eluceſcit) eruditis, bonis ac piis hominibus, & ſibi in primis probatam, eandem perpetuò conſeruet. Faxit idem vt vxor grauida fœliciter enitatur; & filium parentibus auoq; in longam vſq; ſenectam iucundiſsimum pariat: hæc enim (ἡ εὐπαιδία λέγω) maxima humanæ felicitatis pars eſt, qua ego hactenus careo; & carebo nimirum, δὲ βίῳ γέρων ἤδη καὶ προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ· τὸ ἐνιαυτὸν ἀλλ' ἤδη μοι ἄρχεται. Multa ex literis tuis didici rerum ac vocabulorum, ἀνθ' ὧν σοι ὡς διδασκάλῳ ἀρίστῳ καὶ φιλτάτῳ πολλὴν χάριν οἶδα. Typographi noſtri intra biduum primùm redierunt Franckfordia: quos his diebus alloquar, vt, ſi fieri poſsit, Poſitiones veſtras alter eorum excudat: ſin minus, mittam Baſileam. De ſuccini & theriacæ viribus, Domini Stengelii ſententiam ingenioſiſsimi & doctiſsimi viri, libenter cognoſcam. De Grylli lucubrationibus non amplius cogito: plus ſatis à te circa eas laboratũ eſt: & ſanè ſuſpicor etiã ipſe Rondelletiana eſſe quæ reliquit. Froſchoueri numiſmata ex argento omnia ſunt: ex illis quæ petas videre intelligo; & ſi obtinere potero, mittam. Primo ſaltem certo nuncio mea tibi mittam, his literis addere nolui, quæ primùm Scaphuſiæ morabuntur, deinde Lindauiæ, tertiò Memmingę. Remittam & Catalogos aliâs, vt petis. Phiſſaſphaltum veſtrum non liqueſcit. D. Michaëlis Razpeck epiſtolam ad te, legi: &, quod ſuſpicabar, figmentum eſſe video; quod in S. Onophrii Abbatia contigiſſe libello Bononiæ edito narratur. Pro hac verò diligentia tua, & in cæteris omnibus, quæ mea cauſa facere non deſinis, immortales tibi gratias habeo. Nouum etiam mihi fuit remedium ad ſpinas deuoratas & hærentes, per cereum demittendum. Legeram (apud Aëtium ni fallor) de ſpongiola oleo emollita

expreſſaq;

expreſſaq; deglutienda, ſed filo transfixa, quo retrahi queat. In primis verò admiratione me affecit Poloni illius viri non hominum modò omnium, quorum memoria extet, ſed belluarum quoque ἀσοργονάτη. Eius nomen & locum, ſi per occaſionem commodè olim reſcieris, adde: etſi opus non eſt. Cœptus eſt his diebus imprimi hîc libellus Practicus in arte noſtra, medici cuiuſdam Galli anonymi, iam pridem puto defuncti, quem ſpero intra duos menſes, aut prius abſolutum iri: ſi vixero, mittam: multa enim non vulgaria, cognitione digna & quædam etiam παράδοξα habet. Ad proximas nundinas Zurzachij apud nos mox à Pentecoſte futuras, ſi quem veſtratium profecturum noſti, eius nomen indica, & vbi nam Zurzachij reperiatur, vt per illum fortè numiſmata aut aliud mittam. Nunc nihil mitto, præter Catalogum Pernæ Typographi Baſilienſis, qui mihi abundat. Quod de pirola indicas remedium, placet: & digna eſt veſtro nomine herba, quæ ſiue Oconia, ſiue alio nomine, quod tu poſueris, vocetur: nam verus eius nomen nullum adhuc inuenit noſtra ætas. Limonium certè non eſt, vt quibuſdam videbatur. Velim autem pluribus etiam modis facultates eius à vobis experientibus confirmari, vt ſuccum, aquam deſtillatam, puluerem, intra corpus ægrotis diuerſis propinando, quibus ſecundum rationem conuenire poſſe vobis videbitur. Colligi poterit cum florebit. In eo etiam igitur, ſi me amas, vt facis, mihi morem geres. Herbarius parentis Germanicus valdè antiquus, nihil fortè niſi tranſlatum ex Latinis & Arabicis medicis continet. Vix mihi veterum ſcripta euoluere vacat: ſi tamen tibi aliquid auri, quamuis in ſtercore latentis continere videatur, ſpecimen aut folium vnum, potius quàm totum mitte. Pergameno inſcriptã epiſtolam cum tuo etiam iudicio (cui plurimum tribuo) nihil ſolidi videatur continere, non deſidero. Gentianæ ſucco febres (tertianas longas & nothas & huiuſmodi) ſanaui iam bis aut ter, illico, tutòque. Eupatorij aquatici (vel Auicennæ quorundam) radicis fibras in vino nuper decoxi: bibi colatum, vnde per horam poſt, aluus vrinàque copioſe motæ ſunt: & vomitus poſtea duodecies ferè, pituita quàm plurima euacuata, multò tutius & facilius quàm ab elleboro fiat. Ego Alardum Amſtelredanum tuum in Marbodeum de Gemmis videre cupio. Mitte Zurzachium ſi potes, remittam. Saluta amicos, in primis venerandum D. parentem tuum. Vale. Tiguri 1565. Maij die quinto.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO
Occoni, A. F. medico.

ACcepi libellos, & quæ miſiſti omnia, gratiam ago: ſcribam autem proximè vberius. Nunc feſtino vt mittam numiſmata ærea, numero octodecim, quæ omnia tibi dono: ſi tamen ex eis aliqua non deſideres, per occaſionem remittes. Curo tibi deſcribi librum, indicem copioſiſsimum numiſmatum viri illuſtris D. Aegidij Scudi, qui D. Gaſſero notiſsimus, & ni fallor, affinis eſt. Vale. Tiguri 1565. Iunij die 16.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO
Occoni A. F. medico.

AD binas literas tuas clariſsime D. Occo, breuiter reſpondeo, nō puto autem opus eſſe ſæpius & breuitatem & raritatem literarum ad te mearum excuſare, qui occupationes meas perpetuas iam dudum noris. Vt alia omittā, prælo adorno libellos quoſdam de Lapidibus & metallis, quorum aliquot iam ſunt impreſsi. Hi ab alijs ferè ſcripti ſunt, ſed non editi hactenus, vt videbis, ſpero, breui. Addam tamen & noſtra quædam, vtcunque tumultuariè. In prioribus literis, Kal. Iunij ad me datis, quæ reſponſum deſiderent hæc ferè ſunt. Sculptor noſtras, qui cum vxore grauida apud vos fuit, reddidit mihi quæ impoſueras. Pro quibus ſanè omnibus maximas gratias tibi ago. Nimis ego tibi moleſtus ſum, dum commodato quædam interdum abs te peto: tu verò inſuper etiam munera addis. Sed hæc eſt tuæ virtutis & in me amoris abundantia. Egregiè ſanè deſcriptus eſt codex ille Græcus, qui multa Aeſopi, Heſiodi, Luciani, & alia quædam continet. Aeſopum fortè ſenex aliquando, ſi Deus dederit, cum repueraſcere ætas ſolet, nec ad grauiora ſtudia ſufficere, cum æditis iam ante Græcis eius fabulis conferam. Lexicon Græcolatinum locupletiſsimum duobus Tomis Rob. Conſtantino authore ante triennium puto Geneuæ excuſum eſt: id nunc Baſileæ auctius recuditur. Ego verò non de Græcolatino: ſed de Latinogræco ad te ſcripſeram, vnum videlicet nuper Baſileæ in folio euulgatum mihi ſupereſſe, idque libenter ad te miſſurum me dono, ſi careas. Θεραπευτικὸς libellus Galli anonymi à Typographo nemini ante Kalend. Septembris permittetur: quo tempore, ſi vixero, ad te mittam: ſi ta-

men,

men, vt multa ſoleo, obliuiſcar, admonebis. Quod Dioſcoridis εὐπόριϛα D. Gaſſerus noſter, ſuo meóque nomine tibi donauit, ſicut & alijs quibuſdam, liberaliter fecit: debebat autem ſuo duntaxat & pupillorum nomine donare. Sed bene eſt: viri enim boni omnia rectè accipiunt. Nicolai Myrepſi à vobis editi exemplar, nondum habeo: in quo, ſi putas aut ſcis contineri aliqua vtilia, quibus Fuchſij interpretatio careat, gratum erit, ſi miſeris exemplar Francfordiam, aut quandocunque commodum fuerit, precio eius indicato. Circa Pirolam deſiderij mei memor eris. Anthimij de obſeruationibus ciborum libellum, libenter vidi, etſi in eo nihil inueniam, quod non melius ab antiquioribus Græcis Latinisqúe medicis dictum ſit: ſicut & in Germanico illo, cuius folia aliquot in quarto cum poſtremis tuis pro ſpecimine miſiſti, cuius author vel interpres potius, ex Plateario & alijs videtur omnia tranſtuliſſe. Interim grata eſt voluntas tua. Inter cætera εὐχαὶ (orationes) illæ Græcæ Theologicæ, gratiſsimæ ſunt, & in ijs aliquid ocij ponam, cùm primùm licebit. Numiſmata mea ærea, quæ tibi donaram, non erat, quòd remitteres: vtinam plura melioráque aut habuiſſem vel haberem: libentiſsimè enim donarem. Pro tuis quæ inſuper donaſti, ſanè perelegantibus, gratiam habeo. Froſchouerus de ſuis nulla vult vendere: rogaueram D. Simlerum noſtrum, qui inſcriptiones melius quàm ego legit, vt quos petiuiſti ex illis nummis, eorum paucos per interualla ſemper à Froſchouero mihi impetraret, vt paulatim tibi tranſmitterem: ſed ille hactenus tum lectionibus ſacris publicis ſuis, tum valetudine interdum occupatior, nihil dum præſtitit. Inſtabo. Ex herbis horti tui, quæ florem album habet, folia longa, porri ferè, Aſphodeli ſpecies mihi videtur: & ſemen eius vt mihi ſerues, peto. At quæ floribus cœruleis nunc floret, à quadam formæ, foliorum præſertim, ſimilitudine, Valeriana Græca vocatur; deſcribitur à Dodonæo. Ea quoque mihi abundat. Folium ſingulare à te miſſum, Sorbi terminalis eſt: quæ arbor apud nos paſsim ſylueſtris reperitur: deſcribitur à Trago. In deſcribendis librorum titulis, nimium tu quidem mea cauſa laboras: quare plurimum tibi debeo, feſtinatione non opus eſt, vrgebat Typographus ante aliquot menſes magis quàm nunc. Eorum quæ Baſileæ cuſa ſunt, non opus eſt titulos poni: Germanica etiam non deſidero, niſi maiores aliqui libri fuerint & antiquiores: aut minores quidem, ſed quos mentione dignos tute iudicare poſsis. Theologica Germanica pleraq; omittes, τὰ πολεμικὰ præſertim. ἰδί-

ἀξιομνημόνευτα ταῦτά μοι δοκεῖ. Nerij ſylueſtris ſeu alpini potius, duas aut tres ſpecies, egomet in altiſsimis montibus ſæpe legi: fuit tamen grata pictura à te miſſa: ego enim ſpeciem eius aliam cum floribus & fructu depinxi: tuam verò cum fructu tantùm. Si ramulum ſiccum habes cum floribus, aut fructum etiam, cum opportunum fuerit mitte. In ſeminibus enim & floribus ἀκριβέστατα pingendis, valde ſum curioſus. Quod ad plantæ nomen, ſi quod Germanicum audieris impertire, Latinum aut Græcum nondum inueni, neque cognationem eius: nam cum Lauro & Nerio nihil commune habet, ſed fortè cum Ciſtho Ledóue. Aliqui Balſamum alpinum vocant: & putarem ego extractum arte è floribus eius folijsq́ue oleum, balſamo vero non multò inferius & odoris gratia & viribus futurum. Picturas illas herbarum, quæ olim Sigiſmundo duci Auſtriaco allatæ feruntur, iam olim etiam D. Hieronymus Heroldus Norimbergenſis medicus ad me dederat, forma & coloribus nonnihil diuerſis: eam cui quaterna folia lata ſunt, Allium vrſinum & Germanicè Sigwurtz vocabat: alteram verò cęruleis floribus inſignem, ſpeciem Palmæ Chriſti. Mihi picturæ non probantur, & neutiquam verè ad viuum expreſſas puto. Tibi tamen gratias ago, nam mihi etiam talia, occaſio eſſe ad inuenienda quædam poſſunt. Quæ de albo luteoq́ue Aſphodelo ſcripſiſti, libenter cognoui, ſemina vtriuſque deſidero. Crocei lilij genus, de quo ſcribis, folijs iridis, procerioribus, à quibuſdam Lilium Turcicum, aut Gladiolus Turcicus dicitur: ego hunc quoque Aſphodelis cognatum iudico ex radicum forma. Creſcit mihi in horto pulchrè iam aliquot annis: flores ephemeri ſunt, vt Lilium ephemerum vt Aſphodelus ephemerus rectè vocari poſsit. Semen nunquam mihi protulit. Mitto indicem numiſmatum D. Aegidij Scudi, quem cuperem aliquando à te remitti, propter D. Simlerum, qui id petit. Hæc ad epiſtolas tuas. Venerandum ſenem D. parentem tuum ſemper ſalutari opto, etiamſi non expreſſero ſemper. Vale 1565. Iulij die 8.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. medico.*

QVod tam benignè & liberaliter, vir optime & doctiſsime, quæ ſcientiſsimus rei herbariæ Guilandinus ad te ſcripſit, mihi communicaſti, plurimum te amo, & gratias ago immortales: legi enim ea ſumma cum voluptate, & plurimum inde profeci,

feci, quod ingenuè fateor, etiamſi aliqua ex illis iam prius intelli-
gebam. Vtinam obſeruationes ſuas, quas plurimas & rariſsimas
vir ille habet, maturè nobis in lucem edat. Ergo non ſtyrax eſt,
quam mihi demonſtraueras arborem Auguſtæ, ſed Barba Iouis à
me olim exiſtimata (quod incanam veluti barbam circa fructum
ſuum funderet, nec alio adhuc à quoquam nomine appellaretur.
à qua ſententia nunc facilè cedo doctiſsimo Guilandino, quo her-
culè in quàm plurimis præceptore vti, optarim) eadémque Co-
tinus Plinij, & alijs diuerſis nominibus. Cotinum eſſe, iam ab a-
lijs audieram, & ſcripſit Anguillara. Coccigryam Theophra-
ſti, ego primus appellaui, ni fallor. Sed conſiderabo omnia per
ocium accuratius. Tota hac æſtate in pingendis ad viuum pictu-
ris ſtirpium occupatiſsimus fui, ſumqúe adhuc. Vtinam & Coc-
cigryæ tuæ iconem abſolutam habere poſſem aliquando. Ra-
mulum quidem habeo ſiccum, cum folijs & fructu pappiſqúe: ſed
integriorem malim, & flores quoque. tibi ne floruit aliquando?
Sagapeni etiam illius, quod in patris, ni fallor, horto oſtende-
bas, picturam perfectam deſidero, è ſeminibus enim, quæ dabas,
nihil prouenit. D. Fuchſij commentarij ſtirpium, metuo ne diu ad-
huc non euulgentur. Voluiſſem ego & mea diutius premere: ſed
inſtat Typographus, qui multos iam ſumptus ſuſtinuit. In Coti-
no tui vt mentionem honorificam faciam, mereris: cupióq; in a-
lijs etiam pluribus occaſionem à te mihi fieri. Plura hoc tempore
non licet. Ignoſce. nam ne relegere quidem præproperè ſcripta,
vacabat. Deus Opt. Max. in hac cœli inſalubritate te nobis inco-
lumem ſeruet. Si abſq; tuo incommodo ad nos venire poſſes, per-
gratus mihi tuus aduentus foret, & hoſpitium meum tibi para-
tum. Vale. Tiguri 1565. Septemb. die 26.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. medico.*

PRo pſilothro mihi deſcripto gratias ago. Rondeletij dictata
in lib. 1. Dioſcoridis manuſcripta habeo: in quibus reperi eum
mirantem, corticis de radice Aſpalathi à nemine vſquam mentio-
nem fieri, præterquàm in hedychroo magmate. Non dubito, quin
D. Laurentius Gryllus medicus (quem olim iuuenem Auguſtæ vi-
di) tibi notus fuerit: is Ingolſtadij puto non ita pridem dum pro-
fiteretur obijt, & in Dioſcoridis aliquam partem annotationes
(vel dictata) doctiſsimas reliquit, quas ſi poſſes, mihi ab aliquo

auditorum eius impetrare commodato ad breue tempus, bona fide remitterem illi, qui concederet, vnà cum munere aliquo, vel libro aliquo ex meis donato. Poſſes etiam pro te ipſo petere, & per adoleſcentem aliquem tranſcribi curare, tum indicato precio ad me mittere. Moue obſecro omnem lapidem, vt hac in re mihi ſatisfiat. Quod ſi exemplar quoq; Dioſcoridis Græcum aut Latinũ, quo D. Gryllus vſus eſt, precio iuſto emi poſſet, id etiam emerem. Redeo ad epiſtolam tuam. Matthioli locis, in quibus à me diſſentit, reſpõdere omnibus facilè poſſem, ſed differo certas ob cauſas. His ſcriptis, ad epiſtolam tuam, cui nondum reſpondiſſe me putabam, reſponſum à me animaduerto. Nimiæ occupationes memoriam plerunq; mihi excutiunt. Itaq; venio ad vltimam tuam, ſexto Kal. Nouemb. datam. Molucca vel Cõſtantinopolitana herba mihi etiam ante biennium nata, & probè depicta eſt. Videtur autem ad Lamium vel Vrticam mortuam quodãmodo accedere, ſeminis tamen (vnde ego maximè cognationes ſtirpium iudicare ſoleo) figura differt, vtpote triquetri. Gladiolus Indicus meus nondũ mihi ſemen protulit, etſi iam bis aut ter floruit. Vere proximo ſi vixerimus, & nuncius rectà contingat, partem radicis libenter tibi impertiar: facit enim propagines quaſdam radix, quam nuper vt depingerem effodi, & Aſphodelis cognatam eſſe deprehendi. Peſtis nobiſcum hactenus clementer egit, & nunc etiam nonnihil remiſit. Prçter eam, catarrhus etiam epidemius quidam cum febri plurimos inuadit, ſed nõ exitioſus, aliquibus tamen ſatis grauis. Clariſſimo D. Gaſſero noſtro plurimam ſalutem dices. Antidoti Saxonicæ ℥ij. proximè ad eum miſi. Non eſt autẽ quod præferas ei Theriacam & Mithridatium tanquam notiora, cum nihil niſi nota remedia nobis recipiat. Theriaca autẽ & Mithridation, ignotis quibuſdam & ſæpe exitioſis rebus cõſtituantur. Scinci enim & è viperis trochiſci & alia quædam mihi ſuſpecta eſſe ſolent. Hoc tempore, quoniam ex Italia trochiſcos de viperis habere non poſſumus, & ſi poſſemus, etiam nimio venduntur, & ſuſpecti ſunt nobis: pharmacopolis noſtris me ſuper hac re conſulentibus reſpondi, mihi videri ſulphur viuum optimum & quale Dioſcorides probat, eaſdem omnia præſtare, quæ à carne viperarũ expectari poſſent: & ideo placere mihi, vt faciant trochiſcos ex tali ſulphure & ſpeciebus oxymelitis mei maioris pari portione mixtis: nã & oxymeliti meo eaſdem quas viperarum carni vires tribuerim. Malim autem ſpecies, vt vocant, quàm oxymeli ipſum iniici, ne propter acetum tota ferè compoſitio aceſcere poſſit. Eius rei periculũ faciemus

ciemus in parua quantitate, & mittam ad te ſpecimen, ſi admonue ris, aliâs, Deo dante. Interim iudicium tuum noſſe cupio, cùm a- liâs, tum ſi admittas ſulphur, quod & quale præcipuè probes, &c. Folia quędam impreſſa in ducatu Vuirtembergenſi de vſu pilula- rum contra peſtem, hodie primùm vidi, puto autem pilulas illas conſtare ex euphorbio, maſtiche, croco, neſcio qua analogia mix- tis. Si noſti, & ſucceſſum quoq;, breuiter quæſo ſignifica, niſi fortè id ipſum eſt, quod Lycobatæ Dectæ nomine iam dudum ad me ſcripſiſti. Lycobatæ nomen pro Vuolffgango recentius eſſe ap- paret & confictum, ſicut & Dectæ nimirum. neq; enim ex veteri- bus quenquam ſic vocatum legimus: nec veriſimile eſt, cum Græci duo nomina huiuſmodi, niſi alterum gentis eſſet, non ſint coniun- gere ſoliti. Venæ ſectione in peſte Lugduni nuper qui vſi ſunt, ple roſq; periiſſe ad me ſcripſit medicus Ioannes Bauhinus, cuius ob- ſeruationes, vt à D. Funckio noſtro peteres proximè monui. Heri accepi duas viperas veras, viuas, marem & fœminam, è media Gallia miſſas: quæ quomodo mihi per hyemem & poſtea conſer- uandæ ſint dubito. Cuperē eas ſeruare, vt ex eis multiplicatis ali- quæ ſemper ad theriacam deligi poſſent. Viperæ verę dignoſcun- tur hoc maximè ſigno, quod in capite non paucas & magnas ſqua mas habeant, ſed multas & non maiores quàm in reliquo corpo- re. Antitoræ ſemina & Amomi Tragi (quod fortè Ammi verum eſt, aromaticum, ſubacre, ſubamarum) rectè coniicis ex meo horto eſſe. Amomum facilè creſcet: Antitora neſcio, an æquè facilè, etſi in horto meo ex radicibus ad me miſſis ſuperiore año prodiuit, & probè maturuit. Alterū montiū indigena herba eſt, & omnino ſpe cies Aconiti, ſed ſalubris, quod meis experimentis noui. Iuæ mo- ſchatæ, quam ſic Rhæti appellant, ad epilepſiam puerorum, vſum non alium audiui, niſi quod ferculis eorum pollen eius miſcetur: quocunq; autem modo exhibeatur, ſaluberrimam fore puto. Non niſi in montium excelſorum iugis naſcitur, circa perpetuas ferè ni ues, ſicut & Doronicum, quod & ipſum in hoc morbo & vertigine cõmendāt. Kreützkraut, Senecionē eſſe non dubito. Scio ego etiā Roſtri porcini, ſi rectè nomino, Rörlekraut pleriq; vocant, a- quam deſtillatam, præſertim ſi in vino prius per aliquot dies ma- cerata ſit, in epilepſia pueris aliiſq; plurimum prodeſſe. De Squa- mariæ & Lactucæ aqua cum ſyrupo papaueris, proximè (ni fal- lor) ſcripſi. Valetudinem tibi meliorem ex animo opto, vt viuas diutius animæ dimidium meæ. Paramus hic confectionem de Karabe, ſaccharo cum aqua roſarum, interdum & cinnamomi

aqua, diſſoluto cum modico zinziberis, & olei ſuccini guttis quatuor, ad vnam ſacchari libram. Ea mirè confortat cerebrum. Si ex thure & ſtyrace liquida & ſuccino pauco deſtillato oleo ſuturam coronalem illineres, ſiccaret fortè catarrhum & cerebrum confirmaret. Balſami etiam artificialis alicuius guttis paucis cũ ſyrupo aliquo, quid ſi interdum vtereris? Pro lichene, in ſyrupo de cichoreo cum rhabarbaro, ſcribis vos vti Luiula Fracaſtorij, quod equidem probo, ipſum tamen lichenẽ etiam tota hyeme viuere puto: ſi fallor, indica. In propoſitionibus veſtris habetis puto, in peſte aliquando propter ſymptoma, vt anginam, pleuritidem, ſecandam eſſe venam. Sed conſiderandum eſt, ſi pleuritis maligna ac peſtilẽs ſit (qualem nos vere ſuperiore frequentem habuimus) venę ſectionem plerunq; obeſſe: & ſi conueniat, magis ad malleolos quàm in brachijs conuenire, &c. Vale in Domino, & quia non relegi, tute corriges τὰ προπετῆ καὶ σπευτικὰ σφάλματα. Vale. Tiguri 18. Nou. 1564.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. medico.*

REmitto tandem librum veſtrum manuſcriptũ, & gratias ago maximas clariſsimo viro D. parenti tuo & tibi pro hac tam candida liberalitate veſtra. Permulta in eo reperi, quæ cum placerent, exſcribenda curaui per adoleſcentem, cuius opera vti ſoleo. & idcirco ſigna quędam paſsim in ipſo libro notaui, qua in re ſi quid peccatum eſt, veniam peto. Plurima ad lapillos & gemmas pertinentia notaui; non tamen omnia, circa impoſturas pręſertim quæ multiplices ſunt. Librum meum περὶ λίθων καὶ μετάλλων nondum abſolui, nec ſcio quando vel hunc vel alia mea abſoluere poſſum. tot tantiſq; alijs occupationibus publicis & priuatis ſubinde diſtrahor, vt quæ mihi tanquam ἔργον propoſuerã, vix παρέργως & quidem rarò reſpiciã. Quandocunq; tamen prodierit, quod ſpero hyeme proxima futurum, exemplar ad te mittam, vt in ijs quę à vobis accepi, me veſtri memorem fuiſſe intelligas. Pſilothrum veſtrum, quo parens puto ſæpius vſus eſt (cuius hoc in libro mentio fit) deſcriptum per ocium, ſi placet, mitte. In ſyrupo de eupatorio veſtro pro ſuchaha, ſpinã Arabicam ſubſtituitis, pro ignoto ę quẽ ignotũ. Mithridatiũ ſecundum Damocratis deſcriptionẽ fieri probo, & eã puto eſſe, quę à Dioſc. in Præfat. lib. 6. ἡ μεγάλη μιθριδάτειος cognominatur, & eandem, cũ Mithridatium nominatur ſimpliciter, intelligendam. Hæc enim inter alias antidotos Mithridati attributas, plurima

pluríma ſimplicia recipit. Et quanquam ſcincum quoq; recipiat, non tamen hanc διὰ σκίγκυ priuatim dictam eſſe coniicio, ſed alteram quæ Mithridatis Eupatoris cognominatur, ac ſcinci amplius accipit, vt vel ea, vel ἡ διὰ τῶν αἱμάτων Mithridatios minor dicatur. Aegineta quidem deſcriptionem Damocraticæ ſimilem habet, & διὰ σκίγκυ inſcribit, ſed maior authoritas eſt Galeni, qui ſecundo de antidotis, non aliam diaſcincum quàm Mithridatis Eupatoris facit. Theriacum autem Mithridatium eodem in libro, cum in pleriſq; & maximi momenti rebus theriacæ Andromachi ſimile ſit, & è viperis quoque paſtillos requirat, non eſſe putarim Mithridatium propriè & ſimpliciter dictum, cum de eo Galenus ſcribat, ad eadem ferè valere, ad quæ theriaca, exceptis viperarum morſibus: atqui theriacum hoc Mithridatis, non minus quam Andromachi, contra viperarum morſus valeret, cum earum quoq; carnes & eadem maioríue doſi (pauciora enim reliqua miſcentur) recipiat. Hæc de Mithridatio diligentius nunc à me perpenſa, ſcribere volui. Alia in aliud tempus differo. Vas enim Froſchoueri nunc clauditur. Hæc ſolum addam. Caſia nigra, de qua quæris, in capite de Caſia apud Dioſcoridem, pro optima Caſia deſcribitur. Apud Galenum quidem in præcedentis ſtatim antidoti mentione, Caſſię nigræ radix nominatur, errore forſan aliquo: nam Chamelæam (ni fallor) veteres quidam Caſiam nigram vel Cneorum nigrum dixiſſe videntur, cuius fortè (nõ vacat iam quærere) radice etiam ad purgationes vtebantur, non foliis modò et fructu. Sed in aliis antidotis aliquot, Mithridatiis præſertim, ſimpliciter Caſia nigra; aromatica nimirum (non Aegyptia illa ſolutiua, quam recentiores aliqui nigram cognominant) nominatur. Arion in Damocratis deſcriptione, nomen mutilum eſt, vt aſteriſcus appoſitus notat, & carmẽ mutilum indicat. Martianus Rota interpres, Aſarum legit. Cordus Aron interpretatur. Ego neutrum horum probo, vtrumuis enim legas, nõ impletur verſus. Aegineta omnino præteriit. Quod ſi verſum ita legas. Αὐίου τε καὶ ἀριστολοχίας στρογγύλης, & ille conſtabit, & Ariſtolochia Mithridatio conuenit, cum in alia eius deſcriptione, ſicut & in aliis quibuſdam antidotis, legatur. Peſtis viciniam meam, duobus in locis inuaſit, Si quid ab eo tempore, quo de remediis huius flagelli inter nos egimus, boni in mentem tibi venerit, communica maturè: & Deum pro me ora. Vale. Tiguri Auguſti die 28.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

NVperrimè ad te ſcripſi, nunc cum Froſchouerus dolium ad vos mitteret, remittere volui, oblitus antea, excerpta illa de lapidibus è Plinio. ſed cum cogitarem fortè adhuc vſui mihi eſſe poſſe, retinui: quamuis ex ſolo Plinio omnia ſint. Secundã editionẽ libelli noſtri de peſte mitto, mutatis vel adiectis potius de phlebotomia quibuſdam. Andernacus Argentinæ etiam nuper dialogos 4. de peſte edidit, Latinè: quos accepi his diebus: ſed nondum legi. A D. parente (quem ſaluum opto) quære mihi, quæ ſit herba Magherkraut: cuius aquę deſtillatæ ad colicam vſum eſſe, in manuſcripto veſtro libro legi. Anno 1539. Auguſtę impreſſus eſt liber Germanicus apud Henri. Stainer, in 4. hoc titulo: Kalender von aller hand artzney durch anzeigung der planeten. Sunt autem libri V. quorũ vltimi de aquis deſtillatis author eſt Mich. Schrick: vbi inter alias folio 61. b. nominat Manchel / & 62. b. Pfaffenkraut/Zickel: quę nomina non intelligo, & à vobis diſcere cupio. Scire etiã velim, an tu, aut D. parens videritis Petri Hiſpani Theſaurum pauperum impreſſum, aut aliud aliquid eius: & vbi impreſſus ſit. In Ioan. Agricolæ de peſte libro, Schwartzwurtz & Meiendiſtel/quænam ſunt herbæ? Ambroſius Iung in libello de peſte (Auguſtæ puto impreſſo in 4. quem deſidero) Been album & rubrum nominat Regenwurtz / neſcio qua de radice ſentiens. nam Germanicum nomen Been vtriusq; hactenus (quod ſciam) nemo ſcripſit. Idem folio penultimo Weintropfen / neſcio quam herbam. De his per otium à te inſtitui cupio. Plura nunc non licet. Vale. Tiguri 1565. Ianuarij die 15.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

LIteras tuas 3. Non. Feb. datas accepi: quas verò octiduo antè ad me datas ſcribis, eæ hactenus nondum ad me peruenerunt. & ſanè dolet mihi, quod tibi & D. Gaſſero, quantum ad illas literas, reſpondere nunc poſſum. De theriaca non vacat amplius: [capita & caudas viperarum præcidi, probo.] Theriacam putas non poſſe dici antidotum, in qua non ſint θῆρες, ſiue viperæ. An verò eadem ratione nullum eſſe ſplenicum dicemus, in quo nihil ſplenis ſit? An potius ſatis eſt, ſi ſpleni medeatur? & theriaca ſi θηριοδήκτοις medeatur, ἱκανὴν ταύτην ἔχει τοῦ ὀνόματος πρόφασιν. Extant autem theria-

cæ dictæ

cæ dictæ antidoti multæ, ante Galeni & Andromachi etiam tempora compoſitæ, & percelebres, quibus vipera nulla eſt immixta. Sed hæc περὶ ὀνομάτων inanis diſputatio ſuſpendatur, ſi placet. Electuarij Lupi deſcriptionem puto D. Funckium noſtrum habere: in Euonymo meo vix puto reperiri. Si D. Funckius non miſerit, à pharmacopola petam: etſi ſciam me quoque domi habere, ſed in tanta de peſte ſchedarum multitudine, vt horæ aliquot ad inueniendũ mihi perirent. Theriacam communem cum ſulfure, &c. pharmacopola hîc negligentius cõpoſuit, & nimis craſsè ſpecies ſunt contuſę: pro pecudibus solùm vendit. Cannæ Indicæ radicis duntaxat per ſe, ſuo tempore pictura ſufficiet: nec opus eſt magnitudinẽ repræſentari, ne ſumptus fiat, vbi non opus eſt. ſat eſt formam ipſam diligenter in paruula ſcheda exprimi. D. Rauchuuolff nouo ſpõſo, omnia fauſta & felicia precor: & pro Cepa Portugallica gratias ago. petieram ego, nõ aridam, ſed viuam ad me mitti ſuo tempore, modica terra adiuncta, vt plantari in horto meo poſſet. quod efficies aliâs. facilè autem D. Funckius miſſam ad ſe radicem, terræ mandabit, donec tabellarius aliquis rectà huc laturus detur. Piſſaſphaltum tuum libenter vidi; meũ nigrius eſt; et ſubſtantia nonnihil differt, ſed omnino cognata ſunt & ὁμογενῆ. Conferam cum meis per ocium. Ad theriacam, an hoc an aliud aſphalti genus addatur, non ita multum referre puto: ponerem tamen Iudaicum, quod in Italiam abundè nunc affertur. id puriſsimum, nigerrimum, ſplendidiſsimumque eſt, & grauiſsimè olet. De Aruernico, quod molle eſt pultis inſtar, nuper tria vel quatuor catapotia paruula hyſtericæ dedi: quæ mox ſanata eſt. Friſius noſter nuper defunctus, paulò antè mortem Froſchouero Typographo numos ſuos veteres (qui omnes argentei erant) omnes dedit, neſcio quanti ſanè. Froſchouerus id mihi aperire noluit: et cum ſatis ſit diues, venditurum ſe negat. Numum victoria Heluetiorum à Gallis parta inſignem, non memini me vidiſſe. Doleo nihil me hac in re hoc tempore tibi gratificari poſſe. Si quæ aliâs occaſio ſe obtulerit, non negligam. Plathonem tuum nondum videram. accerſam Baſilea. Mentio tamen eius fit in Epitome noſtra, quam Simlerus noſter auxit. Ex libris illis qui numiſmata continent, Iacobum de Strada tantũ vidi. Huberti Goltz nihil hactenus. curabo adferri ex nundinis Franckfordienſibus, ſi vixero. Gratiſsimũ fuit videre indicẽ Goltzianæ officinæ: cuius conatus promoueat Deus. Διακαλαμίνθης inſcriptionẽ Galeno et alijs Grecis omnib⁹ vſurpatã puto: et vt de nomine nihil dicamus, in re ipſa, nõ probo aliud calaminthę genus, quã unũ inter alia

præſtantiſsimum, nempe montanum addi: campeſtre ignauius eſt, ſicut & aquatica: & odore etiam graui aut ἀῤῥήτῳ ingrata. Succini gleba nudiuſtertius è manu mihi lapſa & duas in partes fracta, reperi intus chalcanthum rubiginis inſtar effloreſcens, colore partim albido, partim fuſco, & ruffo, et luteolo, &c. non in ſolida quidem ſuccini parte: ſed vbi rima fuerat. & cum gleba adhuc integra eſſet, in ſuperficie eius locis quibuſdam cauis iampridem eandem ἐξάνθησιν animaduerti, & ſapore ipſo facillimè chalcanthum eſſe animaduerti, eodem ferè colorum diſcrimine, quo Chalcanthum, miſy & ſory diſcernuntur. Hoc veluti rem nouam, & miram tibi indicare volui. Puto autem non caſu, vt ſi fortè cum vitriolo aliquando coniuncta hæc gleba fuiſſet, ſed natura & ex ipſa ſuccini ſubſtantia vt ex ferro ferruginem, chalcanthum hoc natum, non ſine aliquo tamē eius vitio, humore alieno ſcilicet, qui rimis & partibus cauis inſidere ſolet: vt neq; chalcanthum fortè in terra, ſine aliquo æris ſubterranei vitio naſcitur: neq; ferrugo, niſi vitiato ferro, innaſcitur. Sed quorſum hæc? Eò ſanè, vt admiremur naturam rerum: & ſuccini cum chalcantho cognationem natura ſimul ac viribus nimirum intelligamus: & ſuccinū omnino foſsile quid eſſe, nō ſupra terram naſci, aut ex arboribus defluere. Hæc vellem te communicare cum aliquo rerum foſsilium perito homine, qualem præcipuè D. Peucerum hodie eſſe puto, (quem audio innumeras ſuccini differentias habere,) vt iudicium eius audiremus. Specimen exiguū chalcanthi è ſuccino illo abraſi mitto. Pro Panchymagogo illo nouo tàm copioſè deſcripto, gratias maximas tibi ago: iudicium quidem ſuper eo ferre ego facilè non poſſum: cum in his & huiuſmodi experientiam ipſam maximè ſpectare ſoleamus. Non dubito quin multos lædere poſſet, ſicuti vehementia & efficacia remedia omnia: tempeſtiuè tamen & à perito medico vſurpatum, veriſimile eſt profuturum. Ego in Euonymo ſimilem ferè ſucci Ellebori nigri præparandi rationem oſtendi, ſed cum aqua ſimplici, non cum aqua vitæ dicta. Memini me aliquando Elleborum nigrum deſtillaſſe cum aqua vitæ per cineres: & illam aquam vitæ nullam purgandi vim habuiſſe, relictam nimirum in fecibus, vtpote craſsiorem aut tenaciorem. Vnde conijcio in Panchymagogo etiam vim purgandi manere in fecibus, ab alijs inutilibus & non purgantibus partibus remotam. Sed iudicium in medio & experientiæ relinquo. Hoc addiderim: ſuccum ellebori nigrum, ita vt dixi, præparatum, olim experienti mihi parum placuiſſe: quòd ſtomachum nimis læderet, & multò magis quàm

radicis

radicis infuſio vſitato more facta cum aliquibus corrigentibus in vino alioue liquore. Non dubito, quin videris Germanicum librum Hieronymi Brunſuicenſis Theſauri pauperum titulo, qui non contemnendus mihi videtur; καὶ μάλιστα δὲ τὸ πλεῖστα τῶν ἰοποιοῦσιν φαρμάκων ἴσον. in eo nuper cum legiſſem corpus recreari, & expurgari ſtomachum hoc remedio.

℞. Ellebori albi ʒ.ſ. Aquæ ardentis ℥.ij. infunde per dies 14. exprime per filtrum, & da pro vice ʒ.ij. cum vncia vini: volui periculum facere, & heri duabus ante cœnam horis circiter ʒ.j. boni ponderis ſumpſi: paulò poſt ſextam cœnaui pro more, bene habebam, ſed in media cœna, feruor linguæ & gutturis augetur: ardores quoſdam circa ſcapulas, in facie etiam & capite percipio, pergo cœnare. appotabam, nullo metu. noram enim iam aliâs, alijs modis expertus, ellebori naturam: mox ſingultus ſuperuenit, & inflatio quædam œſophagi ceu ſuffocaturus, ſed leuiter: itaque inambulo, nullo timore, nulla debilitate: & cum ſingultus ferè dimidia hora perſeueraſſet, penna & digitis in fauces inſertis, ter quaterue vomitum prouocaui: & mox maſtiches decoctum tepidum bibi: & (Dei gratia) optimè habui. Perplacet mihi D. Chryſoſtomi Houberi (olim diſcipuli mei, vt ipſe ait) medicamentum: pro quo ne ſim ingratus, aquæ elleboratæ meæ, quæ nunc ad manum erat, deſcriptionem accipe.

℞. Ellebori albi ℥.ſ. Gentianæ ℥. j. florum centaurij min. M.j. Aniſi ʒ.ij. baccarum iuniperi ʒ. vj. cinnamomi electi ℥. ſ. Macis, Zingiberis ana ʒ.ſ. Aquarum fœniculi, hyſſopi, ana ℥. ij. Mellis deſpumati ℥ iij. Deſtillentur in cinere. [Ni fallor, addidi etiam aceti aliquot vncias, inquiram diligentius. Huius liquoris ℥.ſ. dedi cum aliquo ſyrupo, in grauiſsimis & deſperatis quibuſdam morbis, febribus præſertim, & ſumma cum admiratione mea profuit illico manifeſtè, nec aliud incommodum attulit, niſi feruorem aliquem ſtomachi, ſed breuē. In Houberi aqua theriacali, non laudo quòd liquorem deſtillandū cum ſuis ſpeciebus (vt loquuntur) prius ad tertias decoquat. præſtaret enim infundi tantùm, ſed eò diutius: ne decoquendo multæ partes ſubtiles & odoratæ exhalarent. Si tamen infuſioni tempus non conceditur & feſtinandum eſt, ſic etiam fieri poterit. Hæc ferè ad vltimam epiſtolam tuam. Quodnam tuum de Io. Vogt Vlmenſi medico iudicium eſt? Audio eum edidiſſe libellos quoſdam, habeo vnum & alterum, de podagra, ni fallor: & de remedijs peſtis, antimonio præſertim præparato. Libellum de oleis è granis iuniperi & è vitriolo, deſidero.

Auguſtę excuſum eſſe aiunt, etſi quid aliud eius de peſte pręſertim extat: Medicamentum de euphorbio, idcirco non laudo: quia nimis feruet, & frigidi nihil ei additur: quòd ſi opiũ aut ſimile quid, ad modum trientis ſaltem adderetur, non dubito quin optima antidotus euaderet. Ego his diebus ægroto, qui tribus menſibus ne guttam quidem ſudoris emiſerat, propinaui theriacam cum exiguo croco & vino maluatico: vndè mox egregiè ſudauit, nulla vi externa adhibita. Cauſam verò ſudoris omnẽ in opium admixtum reijcio, nõ tàm ratione, quàm experimentis quàm plurimis inductus. Matthioli epiſtolarum Tomus ſecundus iampridem excudendus ferebatur: de quo ſi quid cognouiſti, ſignifica quæſo. Radicem nigram apud Hippocratem, Galenus aſpalathi radicem interpretatur: quod nunc fortè oblatum mihi ſcribo, memor, te aliquando de hac radice dubitantem ad me ſcripſiſſe, quòd ea (puto) in magma hedychroum recipiatur. Vidi nuper Italicum libellum impreſſum, in quo quidam gloriantur, de neſcio quo miraculo, quod contigerit ad Slesburgum oppidum, non procul diſtans Auguſta, cum ruſtici aut plebs ad direptionem Abbatiæ S. Onophrij conueniſſent. Qua de re ſi quid certi habes, aut habere potes, valde rogo vt perſcribas. Ge. Sighartum noſtrum ſaluere cupio: ſcribere ad eum non vacauit. mitto autẽ pharmacopolæ noſtri ad ipſum literas. Item alias ad quendam miniſtrum typographicum à patruele meo ſcriptas, de quo vt inquiras rogo. Et tertias Viennam mittendas, quas vt per tutum aliquem nuncium cures (ſat citò, ſi tutò) etiam atque etiam oro. ſcripſit eas ſummus quidam amicus meus hic. Quomodo curaris, aut cui commiſeris, ſi placet, proximis literis ſcribe. Vale cum familia & amicis: in primis D. parente, et D. Achille Gaſſero, ad quem ſcribam, vbi primùm eius ad me literas accepero. Moibani Euporiſta iam eſſe excuſa, ſed non antè nundinarum tempus fortè nos habituros exemplaria, proximè ſcripſi. Tiguri 1565. Februarij die 18. frigidiſsima & niuoſiſsima cœli conſtitutione.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

Reddidit mihi D. Funckius tuas literas cum ſchedis & libellis aliquot, pro quibus omnibus mihi longè gratiſsimis, tantum tibi debebo, quantum tu ipſe volueris. explorata enim mihi modeſtia tua eſt, & liberalitas perſpecta. Ex libellis numero quinq; nullum prius habui, in eorũ vno ſub finẽ parentis tui venerandi ſenis nomen

nomen reperiſſe gaudeo, vel ob id, ne deſit mihi occaſio inter ſcriptores medicos eum numerandi. quamobrem peto, ſi quid etiam edidit, aut ſaltem ad editionẽ parauit, vt admoneas. Electuarium Ricij deſcribitur in Nicolai Maſſæ de peſte libro: nos quidẽ id parari fecimus; ſed experiendi occaſiones defuerunt, vt commendare de noſtra experientia non poſsimus. Electuarij lupi deſcriptionem D. Funckius iam tibi miſiſſe ſe ait. eſſe autem illud contra peſtilentiam optimum remediũ, & in ſudore ciendo efficacißimum, multiplici experientia tum in proxima peſte, tum aliâs experti ſumus crebrò: compoſitio eius perplacet, ex theriaca, bolo, & ſuccis herbarum quarundam, calendulæ, rutæ, abſinthij, &c. Schwartzwurtz eſſe Symphytum maius, ipſe quoque ſuſpicabar: et in catalogo ſtirpium meo quadrilingui, quem ante annos 22. edidi, Germanicum hoc eius nomẽ adſcripſi, Magherkraut/ Gallion eſt Trago: ex quo tunc etiam nomenclaturam illam poſui eodẽ in libro. nomen id factum, ab eo quod medeatur generi cuidam ſcabiei aut impetiginis (ni fallor) quam Germani vocant Den mager/ vi abſtergente & ſiccante. Meiendiſtel quæ ſit, ex te primùm nunc didici. Pfaffenkraut inuenio apud Tragum meliſſam eſſe. Manchel & Zickel nondum inueni: non diſplicet tamen coniectura tua, Zickel fortè eſſe ſiclam, id eſt betam. de his, & de nomine Regenwurtz ſi per occaſionem ab externis medicis aliiſue interrogaueris, gratum erit. In libello conſilij contra peſtem, quem parens tuus cum alijs tribus medicis Auguſtanis confecit, eyſperbeer nominantur, in D. quaternione folij vltimi facie ſecunda, neſcio qui fructus (*Ribes Arabum*, Occo.) Apium doces vocari Weintropf à Rhætis vel alijs: ſi noſti qua ratione, hoc etiam adde. ſum enim φιλότιμος περὶ τὰς λέξεις. De Petri Hiſpani Theſauro ab amicis in Gallia & Italia percunctabor: interim grata fuit diligentia tua. Poſitionum veſtrarum, quoniam Dominus Achil. Gaſſerus vrget, curabo cum fieri poterit primùm, aliquot ſaltem exemplaria imprimi, hîc aut Baſileæ. Pro ijs quæ de Montano eiuſque libris ſcripſiſti, gratias maximas ago. Quæris an ſuccinum ratione caloris aut ſpecificæ qualitatis paleas trahere ſentiam. quod iam prius à me explicatum putabam. Sentio autem eorum quæ trahunt, alia calore trahere, qualitate manifeſta nobis: alia vi ſpecifica, vt magnes, ſimilitudine quadam ſubſtantiæ: & idcirco ab ijs non quælibet trahi, ſed ſimilia tantùm: vnde nimirum fit, vt magnes nihil aliud, ſed ferrum duntaxat trahat: eſt enim ei perſimile, ſed in eodem genere potentius: quare trahit qui-

dem, non autem viciſsim ab eo trahitur. Succinum autem cum non vnius ſolùm generis res, ſed minutiſsima omnia & ipſum quoque ferrum & magnetem trahat, idque non niſi prius affrictum vt incaeſcat, non videtur ſimilitudine ſubſtantiæ & vi ſpecifica, vt magnes: ſed alio quodam modo trahere: aut certè inter ea quæ calore ſuo, & alia quæ tota ſubſtantia trahunt ἐπαμφοτερίζειν πως: ſicuti nimirum etiam theriaca, ratione trochiſcorum è viperis, vim ſpecificam contra venena habet, non attrahendo fortè, ſed expellendo, vt theodamas ferrum pellit, non vt magnes attrahit: aliorum verò plerorumque, ſi non omnium medicamentorum ratione, manifeſta aliqua qualitate venenis reſiſtit. Hoc ſcio, non omnem calorem ex æquo trahere: ſuccinum affrictu calefactum trahit, non igne. hoc enim fortè pori eius clauduntur, illo aperiuntur. Sed vt aliâs etiam ſcripſi, non vacat hæc contemplari: nec ſi vacaret, aſſequi plenè me poſſe ſperârim. Hoc certè affirmârim, multis rebus ſpecificam vim à nobis attribui, propter ignorantiam noſtram: quarum facilè reddi ratio poſſet, & cauſa manifeſta inueniri, ſi neruos ingenij intenderemus. Multa enim ſcibilia ſunt, quæ nondum ſciuntur: & λόγοι τινὲς ἄῤῥητοι apud Geometras celebrantur: quibus ego ſimiles puto qualitates & ὑπεροχάς phyſicas aut medicas quaſdam, præſertim ex variarum & contrariarum qualitatum mixtione ortas: qualis etiam theriacæ fuerit: ex qualitatibus autem nihil quàm qualitas reſultare poteſt, non οὐσία, aut forma οὐσιώδης. Talia fortè etiam prius ſcripſi, & ſum valde obliuioſus, ignoſce. Elleborus niger fortè bilem nigram ducit, hoc eſt, rem ſibi ſimilem trahit, ſed non ſine ſuo calore in tertio gradu, quo tanquam organo vtitur: vt & reliqua purgantia ſuis qualitatibus ſi non purgant, non tamen ſine eis. Si theriaca in tertio aut quarto gradu, vt putabas, calida eſt, hoc ipſo certè caloris gradu venena extinguet: idémque facerent etiam alia in eodem gradu calida, ſi corpus noſtrum ea tolerare poſſet: ſicuti etiam frigida. Sed ita extinguendum eſt venenum, vt non ſimul etiam vita extinguatur. quare calida tenuiorum partium quærimus, aromata aut alia roborantia addimus, & frigida quædam: vt frigidis calida. Video certè putredinem, vt ſummum feruorem, igne aboleri: & ſimiliter ſummo frigore: nec refert extra nos, in qua materia ignis ſit, quo vtimur: in qua, frigiditas ſumma: in nobis autem refert. Hæc omnia eò tendere velim, vt rem magis in dubium vocemus, vt ſeptici: quàm ſimpliciter aut temere aliquid ἀποτόμως affirmemus.

Superiora

Superiora & cœleſtia omnia forte καθ' ὅλην οὐσίαν agunt: inferiora ferè ſecundum qualitates elementorum, ex quarum tamen multiplici mixtione, & vario pororum ſitu, &c. magnæ varietates & multæ nobis incognitæ oriuntur. Eſſe verò quædam inter hæc media, planè veriſimile eſt. De Laur. Grylli commentarijs in Dioſcoridem non ſum amplius ſolicitus. legi epiſtolam Buzlij ad te, & quantum mea cauſa laboraris, intellexi. Adoleſcens amici mei filius, iam ſibi lithotomum præceptorem inuenit. Numiſmatum ludimagiſtri noſtri Io. Friſij catalogum D. Funckius & ego, qualem potuimus tibi confecimus, manum vtriuſq; agnoſces. Inuitaui eum ad prandium vnà cum D. Ioſia Simlero Theologiæ profeſſore apud nos: qui in legendis numiſmatis mediocriter exercitatus eſt. à prandio horis tribus aut quatuor legendo & deſcribendo immorati ſumus, non ſine voluptate & tibi gratificandi & contemplandi antiquitatem. maximam autem partem legere non potuiſſemus, niſi D. Simlerus dictaſſet. tu boni cõſules operam noſtram vtcunq; feſtinatam & imperfectam. Curabo tibi aliàs etiam D. Simleri nummorum catalogum: & alios fortè, ſi petas. Icones illæ numiſmatum Brugis excuſæ perelegantes ſunt, pro q; illis & cæteris tuis in me officijs atq; beneficijs omnibus, gratias maximas ago. In altera epiſtola tua, ſignificas te literas meas Viennam probè curaſſe: quod ſanè pergratum eſt. Aſpalathus, quia theriacę additur, & hodie ab omnibus ferè lignum rhodium ceu verus aſpalathus inijcitur: quod tamen lignum eſt, & trunci aut rami pars: cum veteres radicem, aut potius radicis aſpalathi corticem vſurparent: volui ad te ſcribere (cùm nobis nunc res ſit cum theriaca) aſpalathi radicis tantùm mentionem extare apud Hippocratem, vt habet Galenus in gloſſis, eiuſq; cognomento nigræ: vt de vero aſpalatho inquirendi maior inde occaſio haberetur. Interim lignũ rhodium (quod ad Ge. Sighardum miſi) ſubſtitui non improbo. Raphani radix nihil huc facit. Galenus aliquoties vim aſtringendi aliquam aſpalatho tribuit: qualis in corticibus pleriſque ineſt, nulla autem videtur in ligno rhodio: quod etſi qui conuinceret aſpalathum verum eſſe, radicis tamen eius corticem potius quàm lignum ad theriacam addendum putarim. Opium noſtrum eſſe γλυκὺν ex Montani ſententia ſcribis: quod ſi ita eſt, videbitur eſſe meconium: veterum autem opium ὀπὸν fuiſſe, atque idcirco acrimoniam habuiſſe. Sed fortè non omnis ὀπὸς acrimoniam habet. Et vt hoc concedam, ſequetur opium calidius eſſe meconio, quod & falſum eſt, & veterum ſententiæ pugnat. Hæc ſcribo ad pleniorem

conſiderationem. Io. Vogti libellum per ocium legam: non dubito autem quin medicus ſit empiricus, qui rationis & methodi parum habeat. Audio ſcripta quædam eius nunc imprimi, aut impreſſa eſſe Argentinæ. Non probatis tu & D. Gaſſerus, quod fortia quædam pharmaca, vt elleborum, in memet experiar: quod tamen ego vt faciam, multas habeo cauſas: primùm enim corporis mei conſtitutio cruda & pituitoſa, medicamenta aliqua requirit: & vulgaria parum faciunt. deinde cupio medicamentorum ſimplicium vires certius noſſe, vt & mihi aliàs, & alijs conſulere melius poſſim, & in ſcriptis etiam meis non ſolùm quæ ab alijs acceperim tradere, ſed & proprias obſeruationes: quæ profectò in corpore noſtro multò melius & certius obſeruantur, quàm in alieno. Non tamen temere quicquam experior, ſed ea quæ ſcio vehementia quidem eſſe, non tamen δηλητήρια, vt elleborum vtrunque, gratiolam, alia parciſſimè primùm ſumo: & doſim veluti per grana, aut guttas (ſi liquor ſit) paulatim augeo, donec ad doſim iuſtam & cuius vim euacuantem aut aliter agentem percipiam. Ex frigidis quidem nullum adhuc experiri in meipſo volui: quòd natura mea frigidior ſit: neque in calidis ferè pręterquàm illis, quæ ab alijs prius tentata feliciter noui, ſicuti elleborum à medicis antiquis, Hippocrate in primis: quædam à vulgo diſcere & imitari non me pudet. Pauca quædam à nemine prius (quod ego ſciam) tentata, experiri volui, ſenſuum meorum iudicio fretus: quos ita exercui longo vſu, vt odore ſaporéque, plerunque ſtatim deprehendam primarum qualitatum non modò interſe differentias, ſed ſingularum etiam gradus: & ex ſolo odore plerunque etiam vim purgantem: eóque confidentius ſumere ſoleo, quæ mihi præſertim etiam profutura iudicauero. Procul autem abſum ab ignaua illa Galeni noſtri timiditate, qui Lycoperſium herbam, quòd grauius oleret, ne guſtare quidem auſus eſt. In metallicis, quoniam ab odore & ſapore iudicium non æquè haberi poteſt, cautior ſum. ſulfur quidem aliquoties ſumpſi vtiliter & copioſe, præſertim è noſtris thermis. Interim vobis gratias ago pro admonitione veſtra. ſcio enim latentes quaſdam eſſe in ſtirpibus etiam noxas, & quæ ſenſu ſtatim non facilè deprehendantur, quàmuis ab exercitatiſſimo homine. Succini glebam cum chalcantho inſidente, D. Funckio oſtendi. eam miſit ad me iam olim D. Pontanus, medicus in Saxonia celebris principum quorundam: de chalcantho tamen cum mitteret, mentionem non fecit. Poſtea verò Laurentius Hiel medicus amicus meus & profeſſor Ihenæ, ſuccini glebam cum chal-

cantho

canthо apud illum ſibi viſam ſcripſit: ſicuti etiam Seuerinus Gobelius in libro ſuo de ſuccino, quem D. Gaſſerus nunc ad me miſit: etſi non chalcanthi, ſed melanteriæ & chalcitidis mentionem nominatim is facit, ſed tria hæc genere vnum ſunt. Si quid certius aliâs cognouero (nam ſcripſi ad amicum) ſcies. Bituminis differentias varias D. Funckio oſtendi, quæ omnes quodãmodo aliquid pici ſimile habent, odore, viribus, vſu & ſubſtantia: ſed cũ pix alia liquida ſit, alia ſicca: piſſaſphaltũ puto ad picem ſiccam ita accedere, vt mollitiem aliquam ceræ fermè retineat, & ad ignem liquari poſſit. At ſi durior fiat, & ad lapidis naturam accedat, bitumen quidem adhuc erit, ſed à picis natura remotius: cum pix omnis liquari poſſit: bitumen λιθῶδες non poſſit, vt neq; gagates, neq; thracius. Thracius autem verius lapis eſt, qualis eſt is quẽ miſiſti, quàm gagates nobis notus. Eſto igitur tuus Thracius, cognatus quidem bitumini, ſed magis lapidi aut carboni bituminoſo. Ampelitis verò terra, quam ſteinkolen appellant, ſi & ipſa (vt ex veteribus comprobat Agricola) bituminoſa, & bitumini ſimillima eſt, et ad lapidis naturam accedit, quomodo prorſus alienum erit à Picibitumine ſicut doctiſ. parenti tuo videtur? ego verò cognationem maximam eſſe puto, & cum veſtro quidem Picibitumine etiã magis quàm alijs bituminibus, cum cinereo etiam colore inueniatur, vt alibi ſcribit Agricola. Terræ nomen fortè alicui impoſuerit: reperitur enim aliquãdo mollior & terrę ſimilior. Piſſaſphalti Florentia ad me miſſi ſpecimen habeo, ſed perexiguum, nigrius molliusq; veſtro, odore eodem. Aruernici liquidi nuper tria catapotia hyſtericæ, quæ profuêre, vt ſcripſi, puto; dedi & colicæ quina. ſed huic magis profuit ſumptũ poſtęa caſtoreum, quod multò calidius eſt. Cannã Indicam periſſe intelligo ex Sighardi literis ad pharmacopolam noſtrũ & doleo: florem quoto à ſatione anno protulerit, per occaſionem ſciſcitare. De miſſo ad me catalogo Gręcorum librorum, quos inclytus Senatus veſter hoc anno Bibliothecę publicæ addidit, maximas tibi gratias ago. Vide quęſo nunquid in illis ſit boni, quo medicina noſtra ornari poſſet: ꝑ me verò nunquid ad hiſtoriam ſtirpiũ, nomina, vires, aut aliter quoquo modo vtile futurũ. Euporiſta quidem Dioſc. ex Bibliotheca veſtra iam olim per D. Gaſſerũ mihi cõmunicata, Argentinę nunc prodierunt, non Latina ſolùm ex Moibani & mea tranſlatione cum Annotat. ſed etiam Græca, quæ ego adiungere volui: vt tranſlationis authoritatẽ augerent. Horum exemplar ſpero te breui à D. Gaſſero accepturum: ſicuti & D. Stenglium, ſin minus, ego mittam aliâs.

Libros antiquos & nullius ferè precij, vt ſcribis, qui apud te (fortè & parentem) ſunt, cuperem per ocium aliquando ſeparatim poni: & ijs, qui cum alijs ligati ſunt, ſignum addi: & ab aliquo paupere adoleſcente, eorum titulos mihi deſcribi: cui ego pro ea opera aliquid donarem. Sufficient autem mihi tituli. Vale. Feſtinationem non eſt quod excuſemus vtrinque, cum & familiaritas inter nos fraterna: & occupationes vtriuſque alteri notæ. In ſchedis ſeparatis quæ annotaſti, grata ſunt. legi, & in ſua loco repoſui: de atriplice, ſaluia & elleboro nigro. Authorem illum Italici libri, De gli ornamenti delle donne, nondum videram. Spina alba quidem, cuius decoctum laudat ad dentes firmandos, ignota videtur hodie: in cuius locum caryophyllatæ radix ſubſtitui poteſt. ipſe tanquam de re vulgo nota ſcribit: vnde conijcio eum etiam alia parum firma habere. In oxymelite elleborato meo, radicem iridis noſtratem (vulgarem) intelligo, quæ acrior & efficacior eſt quàm Florentina afferri ad nos ſolita, etſi odoris ſuauitate multò inferior. Illyricam non puto adferri: nos hic ſylueſtrem quandam habemus foliis anguſtioribus, quæ hyeme pereunt, & fructiferam, radice parua acri. hanc putãt Illyricam eruditi multi. Pro Coſto, zedoariam ponerem: vel zedoariæ & helenij partes æquales. ex Antuerpia facilè habebitis verum, ſuauiſſimi odoris, ireos fermè, quem Luſitani adferunt. D. Funckio ſpecies duas coſti oſtendi, & ſpecimina dedi. Ancillam habeo, cui notiſſimus fuit ſenex in pago ditionis noſtræ, qui cum vixiſſet annos circiter 130. autumno ſuperiore mortuus eſt hydropicus. fuit is miles in bello Sueuico vel Heluetico ab exteris dicto. Vltimo ſuæ ætatis decennio, à ſale prorſus abſtinuit: & ouis magna ex parte victitauit. bis die, & toties nocte, iam decrepitus cibum capere ſolitus. Fuit autem ſemper in victu moderatus. Rarum hoc μακροβιότητος exemplum, quod ab alijs etiam fide dignis ita ſe habere mihi confirmatum eſt, cælare te nolui. Ge. Sigharto plurimam ex me ſalutem dices: à quo miſſum accepi Ellebori nigri florem lacteum perbellè depictum: pro quo gratias ago, propter amoris eius in me promptitudinẽ. Herbam quidem eam integram & florentem antè annum Como ex Italia miſſam accepi, depinxi, plantaui: & creſcit mihi nunc in horto: hoc tamen anno non floruit. Italus quidam medicus apud nos mihi aſſerit, flores ab initio candidos, vbi prouectiores fuerint, in purpureum colorem verti: quod an apud vos obſeruatum ſit, ſcire cupio. Matthiolus enim non in eadẽ planta, ſed in diuerſis, candidos & purpureos flores reperiri ſcribit. Poſthac ne ſumptus fiat,

ſiat, vbi non opus eſt, ſi quid rari fuerit, vno verbo prius à me quærat, an habeam: quamuis in nonnullis antequam reſponſum haberi poſſit, pingendi poſtea occaſio præterijt. Vellem vos, & nos quoque hoc ellebori genere abundare: valdè enim commendatur à Matthiolo: & videtur is ipſe eſſe, quem Dioſcorides deſcribit. Cum de rebus noctu lucentibus olim inquirerem, inter alia neſcio quid mihi relatum eſt, von dem Baier liechtle/ id eſt, Bauarico lumine: quod quid vel rei, vel fabulæ ſit, cum vacuum tibi fuerit, rogo mihi aliquando inquire. Scierit fortè parens. Tuum & Sigharti nomen iam inſcripſi albo eorum, per quos in hiſtoria ſtirpium profeci. In ea, quia cupio honorificè de D. Gaſſero mentionem facere, propter plurima eius in me beneficia: ſcripſi ad eum proximè (ſed eæ literæ paulò tardius fortè adferentur) & rogaui vt herbam aliquam innominatam veteribus, in ſuum nomen adoptet: & ad idem faciendum te quoque hortetur. Quòd ſi parenti etiam aliquam deligere voles, pergratum id mihi erit. Inuenietis autem multas nullo aliquo nomine notas, vi autem aliqua medica pollentes: Adelpham aut Occoniam, aut ſimili aliquo nomine vocare licebit: ſed velim, vt quam ſibi quiſque deligit, eius aliquas vires ſuis proprijs experimentis confirmatas, ad me ſcribat: ſic enim iuſtius ab eo denominari poterit. Ridebitis, non dubito. Ego verò ſeriò hoc peto: & vos non mihi ſolùm hac in re gratum facietis, (nominis enim immortalitatem ex meis operibus nullam vobis polliceri poſſum) ſed artem etiam noſtram veſtris obſeruationibus & experimentis ornabitis: quod ſtudioſis omnibus & poſteritati procul dubio gratum & vtile futurum eſt. Non ſoli eritis: multi iam hoc in meam gratiam diuerſis in regionibus fecerunt. Nec exempla antiquitatis deſunt. Date igitur hoc mihi, & intra menſes paucos tres aut quatuor circiter, maturè mihi morem gerite quæſo. Ad hoc idem hortaberis doctiſſimum virum D. Stenglium, D. Rauchvuolff, & quoſcunque alios ex eruditis & amicis tibi medicis. Etſi enim vos magni eſtis philoſophi, nec ad particularia illa libenter vos demittitis: oportet tamen aliquid dare etiam amicis: & τὰ καθόλου, accommodare τοῖς ἐν μέρει, cum nullus illorum per ſe ſit vſus, horum verò maximus. Burſa paſtoris antiquo nomine caret: vires eius non vulgares quædam celebrantur: in ſiſtendo præſertim ſanguine: ſed temperamentum nondum ſatis exploratum puto. Matthiolus quidem refrigerare eam dicit, non tamen exprimit gradum: quem velim artificioſa coniectura indagari: & intra cor-

pus ac extra; varijs modis, herbæ, ſucci, decocti, liquoris deſtillati, ſeminum, radicis, experimenta fieri, &c. Vide quàm ſim πολυπράγμων homo; ſed in eum finem, vt multis proſim. Res herbaria certè infinita eſt: & plurimorum obſeruationibus, iudicijs & experientijs conferendis indiget. Si quæ fortè eadem bis ad te ſcribo diuerſis temporibus, ignoſce. obliuioſum enim me reddit ὁ τῶν ἀσχολιῶν μου ὠκεανός. Doctiſſimo viro D. Leonharto Rauchvuolff S. P. D. ex me: accepi iam pridem literas eius cum herbis quibuſdam, & Catalogo aridarum quas habet, ſanè copioſo & raro. An verò reſponderim ei, non ſatis memini: & quia dubito, tu quæſo cum ad me ſcribes, vno verbo admone. Poſtremò hoc à te peto, vt ornatiſſimo viro D. Chriſtophoro Vuirſungo ſalutem ex me preceris officioſam. Italus quidam amicus meus, vir bonus & fide dignus hic eſt: qui ipſum rogat, & ego eius nomine, vt ſi habet Apologos Bernhard. Ochini; Italicè, aut Latinè (nam Germanicè neſcit) eos ſiue impreſſos, ſiue manuſcriptos, ad breue tempus commodato mittat: aut ſi vendere velit, precium indicet. Mitto titulum herbarij Fuchſiani, ſi fortè nondum vidiſti: quod opus quando prælo ſubijciendum ſit, nihil dum certi cognoui. Mitto etiam ſcriptum quoddam noſtrum de remedijs contra calculum è lixiuio fabalium, &c. quod exercitationis tantùm gratia ſcripſi ad amicum quendam nuper. Id conſiderari à vobis, D. D. parente, Gaſſero, & Stenglio, in primis cupio: & cum iudicio veſtro per occaſionem remitti. Amicus is contra calculum bibendam hirci vrinam mihi commendauerat: ego lixiuium ex fabalibus præſertim prætuli: laudauit: ea occaſione hæc ſcripſi, & ad conſiderandum propoſui etiam alia quædam. Iterum atque iterum Vale. Tertio die Aprilis. Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. medico.*

LIteræ tuæ Martij die 24. datæ, Aprilis die 18. mihi redditæ ſunt vnà cum ſeminibus, & Mart. Brennij ad te epiſtola, quam remitto. Pro ijs verò gratias ingentes ago: terræ mandaui ea ferè hora qua accepi. Videram omnia prius, ſed quædam olim: & quædam ex ijs etiam aliâs ſata non prouenerant, vt Gineraria, &c. Inter cætera Teucrium eſt, Alceuero à te inſcriptum, neſcio qua ratione. Et Siſarum hortenſe, cui non rectè Seſamum inſcri-

pſiſti.

pſiſti. Phu ſimpliciter nominatum, latifolium Dodonæi eſſe ſuſpicor. Albunum (ſi rectè lego) mihi ignotum eſt: quod & olim à me ſatum, nõ prouenit. Semen vomitorium, ante annum ex Italia Seſamoidis Alexandrini nomine ad me miſſum eſt. herbam nondum videre potui: nondum enim mihi prouenit. Vterer pro eo ſeminibus Gratiolæ, per omnia (ſi bene memini) ſimilibus & æqualibus, ſed coloris fuſci. naſcitur apud nos abunde. Semen illud nigrum maiuſculum è Tranſſyluania, Cayrinę nomine prius miſſum ſeminaui, ſed nec id prouenit. Mahaleb in montibus noſtris naſcitur. Species illa Dauci, cuius ſemen è dentiſcalpijs Hiſpanicis collegiſti, Gingidium Dioſcoridis eſt. Elaphoboſci ſemẽ quale mittis, non puto me prius habuiſſe. Hæc de ſeminibus ſcribere volui. Vtinam verò viueret adhuc Brennius ille amicus tuus, cuius literas miſiſti. potuiſſet enim quædam recentiora ad nos dare: & proculdubio ab illo tempore multa alia ei obſeruata fuerunt: & veriſimile eſt in montibus illis Tranſſyluaniæ rara multa haberi. nec dum potui ego, vt deſiderabam, aliquem ea in regione medicum inuenire amicum: tu ſi qua ratione potes, aliquem mihi concilies per amicos ſaltem tuos. De Terebinthi aut Styracis fructu conſiderabo. Sighartum ſaluto, ſcripſi ei nuper, & pro miſſo Ellebori nigri flore lacteo ſcitiſſimè picto, gratias egi. Peruelim ſemina eius mihi legi probè matura. Eſt autem hic ipſe Elleborus ille niger, quem pro vero tantopere extollit Matthiolus. Elleborine herba alia eſt, quę et ἐπιπακτίς, διὰ τὸ φύλλον ἐστρωμένην ἐπὶ τῆς γῆς, οἱονεὶ προσπεπηγμένην, Herniariam Galli vocant, à facultate, qua hernijs medetur: Tragus Empetron, Germanicè Barnkraut. Vis eius contra calculos, omnium fortè quas Germania noſtra fert herbarum, efficaciſſima, mihi à multis feliciſſimè vſis Italis & Germanis mirè commendata eſt. Spontè hic non creſcit: ſemel in hortis ſata, quotannis periens reſtibili ſemper fœcunditate redit. Si apud vos fortè abundat, cura mihi colligi ſuo tempore, cum ſeminibus prægnans fuerit, Auguſto forſan: & vt de vtendi modo (ſi vixero) ad te ſcribam, admoneas. Xylocaſſiæ ligni particulam habeo. Raro qui hinc ad vos proficiſcatur, occurrit, ſi quis tamen contigerit, admonebo, & fruar liberalitate tua, quæ & ſimplicia & alia quædam mihi promittit: inter quæ (non dubito) multa mihi rara, aut incognita ſunt. Nouos Matthioli in Dioſcoridem Commentarios nunc in Germaniam allatos audio: è quibus ea quæ de Aconitis aliqua ex parte, & Doronico ſcribit, amicus exſcripta ad me miſit. Vult au-

rem Doronicum noſtrum & Romanum omnino venenoſam eſſe herbam, & ex officinis eijciendam: hoc argumento, quod canis, qui drachmas eius quatuor deuorarit, breui intereat. Quaſi non alia multa canibus ſint venena, quæ homini ſalubria ſunt: vt de Aſparago fertur. Ego Doronici tamen herbam ſæpe in montibus copioſe edi, magna cum voluptate: (nam & aromatica & ſuauiter acris herba eſt, & tenera ſuccóque abundat) & ſine vlla noxa ſecuta. Radices quoque recentes, ſiccas, integras, melle conditas, in pollinem tritas, ſæpè ingeſſi: & hodie, vt manifeſtiſſimè Matthioli & aliorum ſententiam redarguerem, ex aqua calida drachmas duas radicum contritarum hauſi: nec inde vllam prorſus in me mutationem ſenſi. Aegrotis quidem ſæpe illam & per ſe, & cum alijs mixtam vtiliſſimè conſului: in vertigine præſertim & epilepſia: miſceo interdum gentianam, viſci ſcobem, & aſtrantiam. Sic mirè prodeſt epilepticis, ſi continuetur vſus remedij. Plura alia nunc omitto, quibus oſtendere liquidò poſſem, nec Doronicum noſtrum, nec Aconitum vllo modo eſſe venenatum homini. Canibus autem letiferū eſſe ſcio, non ſolùm, ſi drachmarum 4. ſed etiam ſi vnius pondere ſumant. Scribo hæc hora octaua, poſtquam ℨ.ij. eius ſumpſi, & optimè habeo Dei gratia. Nolim autem te putare, me ita vel temerarium vel imperitum eſſe, vt ea velim experiri in me, quæ præſens periculum afferre queant: ſicuti nuper etiam in literis meis, quas D. Bunckio tradidi, ad te ſcripſi. Hoc pro corollario addam: His diebus iuuenis 19. annorum ad me venit, qui ſuperiore hyeme laborauerat quartana, quæ eum circa Kalend. Ianuarij, puto, reliquit: paulò poſt in quotidianam (niſi tertiana triplex ea potius fuerit) incidit, quæ eum per ſeſquimenſem grauiter affecit: quod cum me conſulens mihi explicaret, præſcripſi ei oxymelitis mei vſum ad triduum, talem ferè:

℞. oxymelitis noſtri min. ℨ.iiij. maioris ℨ.ij. ſyrupi de Eupatorio ℥.iij. aquarum fœniculi, abſinthij, cichorij (per veſicam deſtillatarum, vt odorem & ſaporem retineant) ana. ℥.ij.ſ. Miſce. fi. potus pro iij. vicibus. quarto die ad me veniens, ſe multò leuius habere indicauit: ſed manere adhuc febrim. Itaque dedi ei de ſucco gentianæ (quem domi habeo) magnitudinem caſtaneæ aut nucis iuglandis, & vt dimidium eius vno die deglutiret iuſsi, alterum poſtridie. quod fecit, & vtroque die hora vna poſt ſuccum aſſumptum, vomuit nonnihil. Febris omnino ſtatim abijt: nec redijt multis iam diebus. Similiter autem prius etiam in tertiana

notha.

notha mihi ſucceſsit. Accepi ego, & motus ſum aluo, non vomui. Febrientes ferè vomunt, ſed commodo ſuo. Specimen eius, ſi deſideras, in vaſculo ad te mittam, vt tu quoque meo exemplo audacter experiaris. Vale. Tiguri 1565. Aprilis die 18.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

AD literas quaſdam tuas Maio ſuperiore datas, an reſponderim, aliquandiu hæſi. ſed in iis nihil admodũ eſt quod reſponſum vrgeat, niſi fortè quod de Doronico quæris quid ſentiam: verúmne eſſe cenſeam quod pharmacopolę ſic vocant, an quod vulgò quidam Gemſenwurtz. Sunt autem & pharmacopolarum dictum Doronicum, & Gemſenwurtz vulgaris duæ vnius generis ſpecies, neutra verum, hoc eſt, Arabum Doronicum: quo cum careamus, vt primus ego iam pridem ſcripſi (nuper etiam Matthiolus, id confeſſus eſt, ſed diſsimulato meo nomine: nihil enim vnquam mihi acceptum ferre ſolet ambitioſiſsimus homo, &c.) pro eo radicem aliam aromaticam & flatus maximè diſcutientẽ, vt galangæ vel zedoariæ, ſubſtituemus, cum pauco cortice citri. illius enim odorem Doronicum, vel durungi (à citro etiam denominatum Arabico ſermone, vt nos citrariam meliſſam ab eodem vocamus) imitatum exiſtimo. Ad Græcam epiſtolam tuam fortè aliquando reſpondebo, cum Deus aliquid ocij dederit. Nunc cum Froſchouerus iterum vas cum libris ad vos miſſurus eſſet, feſtinanter hæc ſcribere volui, & vltimis Latinis tuis reſpondere. τὰ γὰρ ἑλληνικά σου γράμματα πρὸς μελέτην καὶ διατριβὴν ἐπιτετηδευμένα, ἀκριβεστέρως ἢ ὥστε ταχέως δεῖσθαί μοι δοκεῖ. In ſuperiore vaſe Marbodeum tuum de gemmis tibi remiſi, & alia quædam. Nunc manuſcripta de gemmis è Plinio collectanea mitto: & gratias ago. Habemus nunc Plinij codices emendatiores, quamobrem vti eis non libuit. Specimen dedicationis noſtræ in tuum nomen etiam nuper miſi: nunc mitto libellos omnes iam primùm abſolutos, quos hac æſtate de Lapidibus, &c. imprimendos curaui, multo labore meo: nam & prælo omnia parare, & formam primam quamque excuſam cognoſcere me oportuit. Mea nimium feſtinata ſub finem etiam mutilata ſunt. Quid facerem? Typographus ad nundinas feſtinabat, & ob rei familiaris inopiam differre non poterat. Mitto & D. Achilli P. Gaſſero noſtro eoſdem libellos: item Sigharto pharmacopolæ, quem meo nomine ſalutabis, ſicuti & D. Daſylycum: cui nuper ſcripſi. Cupio autem vt Sighartus libros ſuos hos D. Daſylyco in-

terim communicet, donec ea quæ petij D. Daſylycus commodato ſaltem maturè ad me mittat: tum ſi intellexero libellos noſtros ei placere, mittam & ipſi aliâs. maturè autem, vt ea quæ petij mittat, opus eſt. Venio ad epiſtolam tuam. Erat hic ante aliquot menſes bibliopola Vlmenſis ſenex admodum, &, vt conquerebatur, paupertate afflictus: eius miſertus cum ſtimmi pręparatum haberet, et Vogtij quædam de eius vſu, rogante eo, emendaui & addidi quædam: deinde cum ea quæ manu mea ſcripſeram repeterem, ne nomine meo abuteretur, pollicitus reddere, non fecit, & me neſciente diſceſsit, alioqui ſtimmiſta certè non ſum: & meliora tutioraq́; remedia me habere puto. Poſthac cautior ero. Andernaci incōſtantiam & ἀποστασίαν miror. Melegetta vel granum paradiſi vulgò dictum, non eſt cardamomi ſpecies: ſed ſui generis, quod et precij vilitas indicat, & nulla odoris aromatici gratia. Græcis veteribus incognitum fuiſſe puto: recentiores Gręci Capſicum nominant, vt Actuarius: et alicubi Siteresium, ſi bene memini: ab Arabico nimirum Seitarengi (quæ vox tamen alibi Lepidium ſignificat) in recentiorum quibuſdam antidotis Capſia, interdum etiam Caſsia pro Capſico legi video. Vocatur & Nunteſarca, & Nux ſarca, & alijs barbaris nominibus, de quibus nunc inquirere non vacat. D. Funckius nondum venit: quare miſſa à te quædam, nondum accepi. Thymelęæ ſemen vix puto mihi ſupereſſe. quæram per ocium. ſæpè ſeui, nunquam prouenit. Monſpelij abundantem veram vidi. De monocerote, ſi tibi non ſatisfaciunt quæ ſcripſi in hiſtoria anilium, lib. 1. Quadrupedum ſuo loco, et in Appendice eiuſdem: & in Iconum libro: non habeo quod addam. Extare nō dubito apud Indos & Aethiopes hoc animal, & eſſe Aſinum Indicum Ariſtotelis, Cartazonum Aeliani: Cornu integrum ipſe vidi, & particulā exiguam habeo. Extant & Rupicapræ monocerotes, & Oryx in Africa, & Rhinoceros quoq; monoceros eſt. Per D. Funckium ſpero me numiſmata aliqua ad te miſſurum, etſi Froſchouerus nunc Franckfordiam abit: de ſuis fortè aliqua mittet interim D. Simlerus. Lilium illud luteum ephemerum, (Turcicum aliqui vocant, alij Gladiolum Indicum,) mihi quoq; in horto naſcitur: ſed abſque ſemine. Memineris herbæ illius elegantis tibi ignotæ, cuius ſurculum promittis ſub autumnum te miſſurum. Locus in Euporiſtis de bibendo cinere panniculi cruenti hominis occiſi, iam nō occurrit, (in cap. 18. lib. 1. de epilepſia & ſequentibus proximè non inuenio, & ſcribo hæc multa nocte, capite meo non bene affecto) ſuſpicor in Gręco eſſe ῥάκος, (quod tu qui optimè calles Gręcè, inſpicere de-

buiſti,

buiſti, non ὑμένα) vt non cerebri membrana, ſed panniculi alicuius de veſte pars cruentata intelligatur. nec ἄλογον eſt cinerem hunc in eo malo prodeſſe, cum alia etiam plurima vſta proſint: ſed acceſſit ſuperſtitio, de panniculo hominis iugulati. CL. & Doct. virum Io. Sambucum meis verbis ſalutabis peramanter & officioſè. non ſcribo autem ad ipſum, quia literas ad me eius abs te miſſas nõ accepi. ſeruatas ſpero à D. Funckio, qui fortè maturius ad nos ſe venturum putauit. Quandocunq; autem venerit, maternam domum in luctu inueniet, propter ſororem Iudith, à partu nuper ſecundis retentis extinctam. Libellos noſtros de Lapidibus, metallis ac gemmis, cupio te etiam D. Sambuco videndos exhibere, vt ſi deſideret, ad ipſum quoq; mittã aliâs, ſi manſerit Auguſtę: multum enim eius in me beneuolentiæ & beneficijs debeo: Præludit hic adhuc peſtis, ſed clementiſsimè. Ad D. Gaſſerum ſcribã aliâs. ſcio eum mihi occupatiſsimo facilè ignoſcere. Vale. Tiguri 1565. Auguſti die 27.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO
Occoni A. F. medico.

SOlicitus ſum de valetudine tua chariſsime mi D. Adolphe, φίλε καὶ ἀδελφὲ ἄριστε καὶ τιμιώτατε, nam ex D. Funckij literis nuper intellexi te ex Acidulis reuerſum, nihilo melius habere, magno ſanè dolore meo. Deus Opt. Max. te patriæ, parentibus, amicis, ac mihi quoq; conſeruet. Numiſmata D. Simleri noſtri iam tandẽ accepiſſe te ſpero, et morę cauſam ex D. Funckij literis intellexiſſe: Pro Nic. Alexandrino maximas tibi gratias. Eum Franckfordię accepit patruelis meus, et vaſi ſuo incluſit, quod nondũ ad nos aduectum eſt. Non obſtrepã tibi pluribus, ne importunior ſim: donec de valetudine tua certior fiã. Interim Deum pro te orabo, quod tu vicisſim facies, nã peſtis hic rurſus valde graſſat. Pręſeruationis cauſa oxymelite meo vtor, alterutro vel mixtis, nec puto efficacius quicquã reperiri poſſe, multas ob cauſas. Veſtrum Iuliani oxymel, ſi mandragorã (vt puto) recipit, eius ℥.j. vel ij. mitti ad me cupio, vt vim eius experiar & à te quoq;, aut D. parente, aut alijs, & D. Gaſſero, ſi quando eo vſi eſtis, ſucceſſum eius audire: Quid ſi tu quoq; eius periculum faceres in teipſo? Nos hic confectionẽ optatam de ſtyrace habemus: nec infeliciter ad ſiccandos aut ſiſtendos catarrhos ſubtiliores interdum vtimur. Libellos περὶ λίθων καὶ μετάλλων cum meis literis an acceperis, aliquando ſignifica. Hæc paucis ſcribere volui, cum Froſchouerus dolium ad vos mittendum includeret. Vale; et ſaluta D. D. parentem, Gaſſerum, Vuolphium, Daſylycum, et Sighartum noſtrum. Tiguri 1565. Octob. die 25.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

MItto clariſsime D. Adolphe, D. Simleri noſtri numos argenteos, numero 114. pondere unciarum xv. Non licuit ei ſeligere, quare ſuos omnes mittit. Eos ad vnum atq; alterum menſem retinere potes, deinde remittere, non niſi tuto certoq; nuncio: vel Memmingam ad D. Io. Funckium noſtrum, cui nunc etiã mitto per famulum, qui hinc ad eum accerſendum mittitur. Cum primum acceperis ſignifica quæſo. Nuper in dolio quod libris refertum ad vos Froſchouerus mittebat, remiſi Amſtelredamum tuum: in alio poſtea miſi Exemplaria libellorum noſtrorum de Lapidibus & metallis, pro te, D. Gaſſero, &c. Plura per D. Funckiũ ſcribam. Sed ne abſq; fructu aliquo medico, licet occupatiſsimus, hæc ſcribam: accipe olei vitrioli guttas paucas miſceri ſyrupo alicui, & ſaccharum aut penidios addi, donec craſſeſcat electuarij inſtar, & acidiſsimo ſapore fiat, huius doſis eſt ad piſorum 2. aut 3. magnitudinem. conuenit autem meliùs ſtomachi, ventriculi & inteſtinorum affectibus hoc modo, quàm in potu: & magis placet etiam. Aluum mouet: nauſeantibus, & ſtomachicis illicò ſubuenit, vt iam aliquoties ſum expertus. Vale. Tiguri 1565. Septemb. die 2.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni, A. F. medico.*

TArdius ad nos venit affinis Funckius, & ternas abs te exoptatiſsimas mihi literas attulit, vnà cum multis varijsq; muneribus tuis, argenteis, chartaceis, & plantarijs: quibus tu pro ſingulari bonitate & liberaliſsimo in me amore, afficere me voluiſti. Argento nihil opus erat: talis enim & tantilla dedicatiuncula noſtra eſt, vt eius me pudere potiùs debuerit, quàm vllum à te δῶρον ἢ ἀντίδωρον expectare. Interim tamen iucunda eſt mihi liberalitas tua, & res ipſæ, munera tua, omnes iucundiſsimæ rariſsimæq;. Numi argentei ſanè pulchri ſunt: &, vt plures etiam, ſi occaſio detur alicunde acquirendi, colligam, me admonebunt. Ad D. Funckium miſeram omnes D. Simleri noſtri numos, cum literis, vt tibi tranſmitteret per miniſtrum hinc diſcedentem, ante neſcio quot dies, vt eum Memminga huc adduceret: & ad ipſum quoq; ſcripſerã. Ipſe verò, quod valde miror, literas à miniſtro ſe accepiſſe negat: putat autem vxorem accepiſſe, & obliuione factum, vt ipſi nõ redderen-

tur

tur ante diſceſſum. Quare ſi nondũ accepiſti literas illas meas cum numis, cum hiſce ſaltem accepturũ te ſpero: & cum acceperis primùm, vt ſignifices vno verbo, peto: ne de ijs ſolicitus ſim. Froſchouerus è nundinis Franckfordiâ nondum redijt: quamobrem de ipſius numiſmatis cogitabimus aliâs, cum Simlerianos à te inſpectos remiſeris. Ex chartaceis donis tuis, hæc ſunt: Thomæ Aquinatis liber de Eſſentijs eſſentiarum, quem prius non videram: etſi excuſus habetur, neſcio vbi: varius ſanè, philoſophicus & eruditus, eoq́ nomine mihi pergratus, quamuis mutilus, καὶ μείουρος. Io. Mediolanenſis, ſeu de Rupe ſciſſa liber etiã ęditus eſt Baſileę per Guil. Gratarolum medicum: ſed ad finem tui adiuncta ſunt quædam de oleis nonnullis nõ ingrata: Et geomantica quædam, à quibus abhorreo. Ex impreſsis, quædam prius vidi & habeo, ſed alias editiones: alia nec viderã, nec audieram, vt Rod. Dubranum de componendis epiſtolis. Item Tabulæ iij. Prima, Elegia in lауreã Buzliorum, quam vel propter parentem mihi amicum libenter vidi. Altera, promotorũ ad lauream Ingolſtadij nomina & quæſtiones continet. Tertia de Antimonio præparato Io. Vogti: cui nomen meum ſubſcriptũ profectò inuitus legi. Ego quidem tale aliquid miſeratus ſenem illum Vlmenſem, vt nuper ſcripſi, in eius gratiam ſcripſeram: tabulæ vero huius, qualis excuſa eſt, author non ſum. Et ſi bene præparato ſtibio vires mirificas in corpus humanũ eſſe puto: non tamen ſine periculo dari cenſeo etiam bene præparatum, nedum malè, quale fermè eſt, quod agyrtæ illi circumferunt. Habebat ſenex ille ſimilem quandam tabulam manuſcriptam, ego roganti, ei in meliorem digeſsi, & ex Matthiolo ac Vogtij libello quædam addidi. Quod ſi illum meo nomine abuti velle, & tabulam typis cudere, ſciuiſſem, nihil tale feciſſem. poſthac cautior ero. Ego, vt verum fatear, etſi multum ſtibij pręparati habeo, vti eo nunquam ſoleo. Pro his omnibus donis tuis ingentes tibi gratias ago: ſicuti etiã pro reliquis titulis librorũ mihi deſcriptis: in quibus iam ſæpè multùm mea gratia laboraſti: ita vt omnino æquum eſſet te multo maiori à me munere ornari: tu enim amplius mea cauſa laboris ſuſtinuiſti. Sed nolo liberalitate tecum certare: in te verò amando colendoq́, ſicuti & optimo ac venerando parente tuo, nemini concedam: & vbicunq́ in honorẽ veſtrum publicè aut priuatim facere potero, quid & beneficia tua & amicitiæ noſtræ ius poſtulent, nõ ero immemor. Ἐν δὲ τοῖς φυτικοῖς δώροις, καρπούς τινας κυαμοειδεῖς, καὶ ἐρεβίνθους ἐκ τῶν κριῶν λεγομένων

V

λευκοὺς εὕρηκα, καὶ τούτους μὲν τὸ πρότερον ἑωρακὼς οὐ μέμνημαι, τὴν χρόαν λέγω λευκούς. τέτταρον δὲ τῶν κυαμοειδῶν, τὰ τρία γένη τὰ μείζω καὶ πρὶν μοι ὦπται: ὧν τὸ πρῶτον ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ἡμῶν κυάμου οὐδὲν διαφέρει πλὴν μεγέθει, καὶ πρὸς τροφὴν ὁμοίως ἐπιτήδειός ἐστιν: τὸ δ᾽ δεύτερον δὲ νεφροειδὲς πῶς τῷ εἴδει, σχήματί τε καὶ μεγέθει νεφρὸν λαγῷον μιμούμενος, τοῖς Ανακαρδίοις καλουμένοις συγγενής ἐστι: ὥστε Ανακάρδιον Ινδικὸν δικαίως γε ὄνομα ἂν λάβοι: οἱ γὰρ Ανάγυριν Ινδικὴν ὀνομάζοντες, οὐ μοι ἀρέσκουσι. τούτων δὲ καὶ μᾶλλον ἁμαρτάνουσιν οἱ ἐλαιάελον ἤτοι ὀλιβέλλαν, ἢ κύαμον Αἰγύπτιον ἀποκαλοῦντες. Ινδοὶ μὲν οἱ ἐπιχώριοι, οἱ κανιβάλες μάλιστα καὶ ἀνθρωπόφαγοι, ἀκαϊοὺ, ἢ καϊοὺ τὸ δένδρον προσαγορεύουσι: τὸν δὲ καρπὸν τῶν νεωτέρων τὶς κάστανον βρεσιλιακόν. τὸ δὲ τρίτον, κυκλοτερὲς πῶς δὴ ποτὲ χρὴ καλεῖν, καὶ ποίου φυτοῦ ἔκγονόν ἐστι, καὶ πόθι φύεται, καίτοι πολλάκις ἑωρακὼς ἅμα τῷ λοβῷ ἐν ᾧ γίνεται, οὐδέπω ἔγνωκα. δοκεῖ δὲ καὶ αὐτὸ ἐκ τῆς δυτικῆς Ινδίας τὸ πρῶτον κεκομίσθαι. ὁ τέταρτος δὲ καὶ τελευταῖος κυαμοειδὴς καρπὸς, (ὀλίζων μὲν τῶν ἄλλων, χρόα δὲ καστάνῳ ἐμφερὴς, πλὴν μέρους τινὸς κατὰ τὸν τῆς ἐκφύσεως τόπον ἐκ λεύκου,) μέχρι τοῦ δὲ ἄϊστός μοι καὶ ἄπυστος γέγονεν: οὗ ἕνεκα πολλὴν σοι χάριν οἶδα τῷ πρώτῳ αὐτόν μοι πέμψαντι. εὐξαίμην δ᾽ ἂν καὶ τὸ φυτὸν αὐτοῦ ἰδεῖν, τὸ ἐν Ισπανίᾳ ἴσως φυόμενον. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν δωρεῶν σου. Nunc ad epiſtolas ipſas venio. Valetudinis tuę infirmitatem fulciet Deus Opt. Max. ſi ex vſu tuo fuerit. nouit ipſe quę nobis conducant. nos voluntatem eius ſine magna ſolicitudine expectabimus. Ego etiam valetudinarius eſſe aſſueſco quotidie: interim ſatis mediocriter me habeo, ad cibum, potum, ſomnum et labores. Audio te nuper vſum Acidulis: quæ vtinam tibi profuerint. Acidularum cauſas nemo dum, quod ſciam, explicuit. ego quin chalcanthum aut cognatum ei metallum, vim ſuam aquis acidis communicet, non dubito: ſed tuum quoq; iudiciũ libenter audiam. Andernacum aiunt breui ſuum de fontibus medicatis librum in lucem daturum. Verſus tuos libenter legi, tum aliâs, quia ingenio tuo delector: tum quia mihi quoq; meęq; valetudini conueniunt καὶ τῆς πρὸς τὴν ἐντεῦθεν μετάλλαξιν παρασκευῆς

me

me admonent. Nicolaum Myrepſum veſtrum, ſpero ex nundinis me accepturũ. Pictarum imaginum ſtirpium quaſcunq; habes, nomina per ocium mihi ſcribe. neq; enim memini amplius quas apud te viderim. nulla fortè mihi deerit: vt neq; Nerij aut verius Ledi alpini defuit. Semina herbæ illius ἀσφοδελοειδὴς, ni fallor, non ſatis matura fuerunt. Conferam ſuo tempore cum Aſphodelis: quorum ſemina non ſunt orbiculata vt ſcribis, ſi probè memini, ſed triangula. Doronici ʒ. iiij. cani datas, eum occidere ſcribit Matthiolus: ego vnicam dari iuſsi, & perijſſe audiui. quia tamen memineram me ſæpe in montibus herbam illam aromaticam cum voluptate ediſſe, & inde recreatum eſſe, ſępe etiam radices aliquot nulla moleſtia, volui nuper ʒ. ij. radicum illarum aridarum ex aqua calida ſumere, vnde nihil incõmodi ſenſi horis aliquot, quo tempore etiam idipſum ad te ſcripſi: horis verò octo elapſis, ventrem & ſtomachum inflari ſenſi, & circa ventriculi os, imbecillitatem quandam, ac corpus totũ infirmius: ita ferè, vt aliâs ſemel atq; iterum, ex nimio aquæ frigidæ potu, perceperam (inde curatus, vini alicuius generoſi potu per accidens, nam commune faſtidiebam:) ſic biduo durauit in me hic affectus, & cum non videretur ſponte diſceſſurus, ingreſſus in aquę calidę ſolium, curatus ſum. Prius etiam aliquando, neſcio qua de cauſa, ſimiliter affectus, antidoto Saxonica ſumpta, ſudatorium ingreſſus, in lecto etiam poſtea ſudaui & melius habui. Hęc de Doronico te ſcire volui. cui vim nullam malignam aut homini venenoſam ineſſe puto, ſed radices nimium humidas eſſe puto, (vt quę nunquã ferè exiccentur totæ, vtcunq; longiſsimo tempore ſeruatæ:) & flatibus excitatis, ventriculũ offendere: nec facilè ex eo deſcendere. ſuperficiẽ uerò omnino ſalubrem & vtilem eſſe puto, cum odorata, imò aromatica folijs, caule & floribus ſit, & tenuiorum quàm radix partium. Hæc partim ſenſu & experimentis, partim ratione motus, affirmo. Matthiolus autem Aconitum primum, Doronicis nunc adnumerat, (non aliter enim defendere picturã ſuam potuit, & per me admonitus eſt, herbã ab ipſo pictam Aconiti ſpeciem eſſe: ſicut etiam Doronicum noſtrum vulgare non eſſe Doronicũ Arabum, ex mea ad Guilandinũ epiſtola iã olim impreſſa diſcere potuit) &c. Ego pharmacopolas noſtros iuſsi, Doronicum vulgare non quidẽ abijcere cum Matthiolo: ſed Pſeudodoronici titulũ ei tribuere: pro Doronico autẽ in veterum compoſitionibus, galanga vel zedoaria vti cum aliquota parte corticum citri: Durungi enim Arabum Doronicũ eſt, & à citro nomen habet. Pro Aſtroite tuo (quo certè maiorẽ et elegantio-

rem nondum videram) gratias ago, & remitto vnà cum operculis concharum quarundam marinarũ lapideis: fabas marinas aliqui vocant. Addidi Antoræ ſiue Antitoræ radices, quæ geminæ naſci ſolent: ſi fortè non vidiſſes antehac. Plantas tres in horto habeo, è Sabaudiæ montibus. Vnam, ſi voles, tempore veris accipies. Semina in horto mihi nata, D. Funckio dedi pauca: à quo partem petes, ſi volueris. Aſtrantiam nigrã quoq; ſi deſideras (Fuchſius Saniculam fœminam vocat) ſi voles accipies: cuius vim elleboro albo ferè ſimilem, ſed mitiorẽ, & aluo quoq; purgantem, primus ego expertus, ſicut & Eupatorij Auicennæ quorundã ad aquas naſcentis. Quæ de lapide Iudaico ſcripſiſti, libenter cognoui. Index numiſmatum ad te miſſus, eſt Aegidij Scudi, viri ditiſsimi et maximi nominis, de quo tibi referet D. Achilles Gaſſerus; cui puto affinitate iunctus eſt. non amat religionẽ noſtrã: me tamen aliquando medico vtitur. Quęram ab eo per occaſionem (habitat enim in oppido Rapperſuilla ad 2. miliaria hinc) de prolixis illis duabus inſcriptionibus, an ſingulæ ſingulis numis contineantur. Vix quidẽ eum puto numum aliquem rariorem mihi conceſſurum, vt videndum ad te mittam: eſt enim difficilis in his rebus. experiar tamen in Britannico CL. F., &c. De literis meis Viennam curatis gratias ago: et nunc quoq; ad D. Sambucũ ſcribo, quas maturè curari cupio, literis eius ad D. parentẽ tuum admonitus. Quod nobilitatis titulum detrectas, modeſtè facis. Noui apud nos quod ſcribã nihil eſt: & ſi quid eſt, D. Funckius nimirũ ad te perſcribet, vt hoc onere me leuet. Quod ſi nimię occupationes me ſinerent, multis ſubinde chartis tecum colloqui periucundum foret. Siſonẽ verum, condimentariam herbam peregrinã, origani ſapore, cuius rami ſinguli κοκκία id eſt, pilulas ſingulas ſeminibus refertas ſuſtinent, nuper inueni: & partẽ D. Funckio dedi: ſicut & Coſti Luſitanici, & alterius qui Zingiber refert, ſpecimen. Peſtis hic inualeſcit: clementer tamen adhuc in vrbe. In ijs quæ miſiſti manuſcriptis, de ſtibio nihil dum inueni: per ocium quæram diligentius: inueniam fortè in Thomę Aquinatis libello aliquid. Lilium luteum peregrinum veſtrum, ſiue Turcicum; nihil ab eo differt, qui mihi Gladioli Indici nomine miſſus eſt. proinde non mitto. Libellos poſthac præſtat te nullos mittere: niſi aliquos inuenias, qui rara aut præclara quædam habeant, (qualia quidẽ etiam in antea miſsis nonnullis reperi quędam, & de quorũ titulis me prius admoneas: vt an deſiderẽ, ſignificem. paucißima enim inter tot negocia mihi legere vacat. Plantam; quam Cannæ Indicæ nomine ad me pictam miſiſti, ab

Hiſpanis

Hiſpanis Chentam vocari, his diebus inueni: dum herbas meas ſiccas perluſtro, & in folium eius aridum Bononia miſſum hoc nomine incido. Sagapeni etiam tua folia ſicca Panacis Heraclei nomine ex eadem vrbe Vlyſſes Aldronandus iã olim miſit. Thlaſpi Creticum vocant herbam, quam D. Funckius à te miſſam oſtendit, aliqui Cappadocicum, ſi bene memini: acrius amariusquê eſt cæteris ſiue naſturtij ſiue thlaſpios generibus. Ego in horto habeo herbam floribus, & ſeminibus eiſdem (flores vtriuſq; quaternis conſtant foliolis: quorum duo ſemper latiora ſunt, & alia duo minora) folijs verò multifidis, quam Seſamoidis nomine accepi. Eſt ne in Sueuia circa Auguſtam vlla terra, quam fugiant animalia venenata? id quod ſcribit Io. Kentmanus meus in ſuo Metallicorum catalogo: de terra quidem circa S. Vlrici ædem iam audiui. Vidi olim Auguſtæ in horto ſummi viri D. Io Henrici Herwuarti florem peregrinum elegantiſſimum, rubentem, lilij parui forma. Vnica tum erat planta: nunc fortè multiplicata: fructum & ſemina an proferat, inquire: cuius ſi bulbulum vnum (bulboſum enim iudico) ab eo mihi impetrare poſſes, viciſſim peregrinum aliquid & rariſsimum ad eum mitterem, & honorificam eius mentionem in Volumine herbario meo facerem. memini & aliàs mihi petenti negatum eſſe: ſed importunitas ſæpe proficit. Roſarum lutearum & Muſcatarum plantas adhuc habere non potui. Domini Fuggeri habent: plantæ vtcunque minimæ mihi ſufficerent. Beryllum ipſam videre cuperem, ſicut & Beli oculum dictam gemmam vilis (vt audio) precij: ſi per certum nuncium aliquando mitteres inſpiciendas: mox, optima fide, remitterem. Γράμματα δ᾽ ἰόλου ἑλληνικὰ, σόλοικα δὲ καὶ τοῖς ἀττικωτάτοις σου καὶ λογιωτάτοις γράμμασι τοσοῦτον ὅμοια, ὅσον γλαῦξ Ἀθήνῃ, ἐν δευτέρᾳ σχολῇ ἴσως ποτὲ σοι ἐπιστελῶ: νῦν δὲ διὰ τὰς ἄγαν ἀσχολίας, μόλις γε καὶ ταῦτα ὁποῖα δήποτε χαράττειν μᾶλλον ἀπαυστικῶς ἢ γράφειν ἐμοὶ συγκεχώρηται. Ἔρρωσο φίλων τῶν ἐμῶν ἁπάντων φίλτατε ἅμα καὶ εἰλικρινέστατε. Tiguri 1565. Septemb. 28.

CONRADVS GESNERVS ADOLPHO *Occoni A. F. medico.*

DE lapidibus & metallis exemplaria tria ad vos miſi iamdudum: quæ ſi nondum accepiſtis, doleo. Aliud tibi ſaltem mittam, ſi non acceperis primum. D. Sambucũ tam citò literas meas

(tua diligentia)accepiſſe ac reſpondiſſe,miratus ſum. Reſcribam tibi, vbi libello Græco quem miſit, vſus fuero, vt ſimul remittam illum.Pro ſcripta ad me hiſtoria Diaſtimeos Vogtij, &c. magnas gratias ago.Ego his diebus audiui mulierem Italam aſthmaticam apud nos,miſſa huius medicamẽti grana tria à filio chirurgo, qui Norimbergæ agit,deuoraſſe & ſanatam eſſe : quod ſcribo ἱστορικῶς: non vt medicamentum ſimpliciter laudem, aut tibi quoq; eius ſumendi author ſim,ſicut neq; lini oleum vt biberes ſuaſeram,ruſticum planè medicamentum,ſed ſimpliciter,&ne abſq; omni in arte noſtra fructu aut exercitatione,epiſtolam ad te darem. Ego certè res meas experiendi non tam cupidus ſum, vt valetudinem meam periclitari velim. quare & ſtimmi nec ipſe ſumam,nec alijs facilè dedero. Folium verò illud, quod à te acceptum D. Funckius nuper miſit, è Gallia miſſum ad te puto, nulla nominis aut facultatis eius mentione,cum guſtarem mandendo tantùm, non deglutiendo,exiguam eius partẽ,illico mirificè me affecit, vt planè ebrius mihi viderer, & tanquam in naui per fluuium deſcendere oborta vertigine. idq; ter & quater repetenti, ſimiliter mihi accidit, vt pluribus ad D. Funckium ſcripſi, ac eas literas tibi vt tranſmitteret rogaui.Poſtquam verò ad eum ſcripſi,cani etiam dedi particulam eius folij contriti cum carne : qui poſt aliquot horas ſatis copioſe vomuit.nec aliud paſſus eſt, quod ſciam:dimiſi enim.Et cum in libro Theueti Monachi Galli,quo Galliam Antarcticam deſcribit, legiſſem, Petum apud Americos (pun) dictam herbam, Bugloſſo ſimilem talia accidentia inducere, illis tamen populis ad ſuffitum quotidie in vſu eſſe,folij modicum tritum carbonibus inieci & per infundibulum naribus ac ore fumum hauſi, & nihil incommodi præter acrimoniam ſenſi. Poſtridie maiorem copiam accepi, & vertiginem ſenſi, minorem tamen quàm ex commanſo folio. Mira profectò eius vis & celeritas ad vertiginem & ebrietatis ſpeciem inducendam eſt.quare populi illi,pericula præliorum aliáue adituri, hunc fumum recipiunt.Omnino enim eandem eſſe iam non dubito. A Gallis Nicotianam vocari audio,nomine legati cuiuſdam, qui Galliæ intulerit,ab alijs Pontianam. Si aliqua eius tibi copia eſt,amplius mitte: vt reliquas etiam facultates eius, quas amicus quidam mihi deſcripſit,experiar.id quod libenter facio, cùm ipſius rerum cognitionis gratia, tum vt de ſingulis ſcribere melius poſſim, & docere aut monere alios, vbi opus eſt.Deus clementiſſimus valetudinem tuam reſtauret : qui tum fer mè maximè iuuare ſolet ſuos, cum alia omni ſpe & auxilio deſtituuntur.

tauntur. Fumus ex folijs paucis ſaluiæ minoris & roſmarini ſiccis, cum duobus iuniperi granis, ſemel nuper à me ore aperto hauſtus, inſpiratusq; naribus, (vt ad arteriã ſimul & caput raperetur) non tantùm nihil omninò me offendit, ſed etiam profuit, propter catarrhos & frigiditatẽ cerebri. tu ſi eo vti velles, ſuccini aliquid fortè commodè adderes, ſed parum: & eodem, repletum etiam pannum duplicatum capiti circunuolueres. Sed quid ego noctuas Athenas? Syrupi domeſtici tui ſoluentis, per ocium aliquando deſcriptionem à te expectabo. Oxymel elleboratum meum maius, manifeſtè aluum ſoluit, etiam ℥.ſ. ſumpta: minus etiam quibuſdã: vtrunq; licet non ſoluat, alijs tamen modis ad morbos & ſymptomata diuerſa prodeſt, vt pluribus in Euporiſtis Dioſcor. expoſui. Si tamen materia non ſit craſſa, & à capite ad thoracem defluat, non æquè iuuat. Tu fortè non meũ oxymel, id eſt, meæ deſcriptionis, ſed Iulianicum (quod in Antidotario veſtro, viribus longè diuerſis habetur) accepiſti. Vltimis meis literis, an fortè etiam de his & alijs tibi ſcripſerim, non equidem memini: ignoſce obliuioni meæ, quam mihi nõ tam ætas adhuc puto (quinquagenarius ſum) quàm occupationum varietas parit. De cauſa acidularum adhuc ἐπέχω. Andernaci librum nondum legi. Bibere ſimul aquas medicatas & lauare in eis, ego ſæpe ægrotis noſtris conſulo, & conferre video. Si quis tamen copioſius ad alui purgationem bibere velit, eum balneo (ingreſſu) abſtinere iubeo eo die, aut ante prandium ſaltem, donec purgatio ceſſarit, in noſtris thermis ſulfureis. Myrepſum accepi, euolui, multa in eo, inſtituto meo vtilia reperi, & gratias ingentes iterum atque iterum ago. Inprimis verò in eo, honorifica patris & aui mentio delectauit. Ex picturis tuis ſtirpium; tres retinui, cæteras quòd non opus haberem, proximè remiſi. Pro his ſimul & ſeminibus raris D. Stöcklin plurimum tibi debeo: ſub tempus vernum de meis etiam ſeminibus rarioribus aliqua, ſi admonear, miſſurus. Tulipam illam, aut fortè Satyrion verum, quam in horto D. Hervuarti olim vidi, non putabam in Fuggerorum etiam hortis inueniri. Gratiſſima erit, vndecunq; mihi nactus fueris ſub ver proximum, ſi vixerimus: ſicut & Roſę luteæ & Muſcatæ plantæ, quarum ſpem mihi facis. Doronici antiballomenon primus ego ante annos aliquot in epiſtola ad Guilandinum ſcripſi: quam ſententiam meam ſequitur nunc Matthiolus, nulla tamen noſtri mentione, vt homines inuidi & ambitioſi ſolent. Pro Been albo & rubro, (quoniam nunc iterum vrges & requiris ſententiam meam) flores caryophyllorum (aut Veronicæ altilis à quibuſdam dictos) eiuſdem coloris, id eſt, al-

bos & rubros ſaccharo conditos ſubſtituerim. ij ſubdulces & odorati ſunt, & cordi roborando conueniunt: etſi fortè non item ad Venerem ciendam. Eſt autem Vetonica altilis noſtra, omnino de polemonij genere herba: & quod pharmacopolæ Chriſtianorum, omnes puto, ben album vocitant, polemonion veterum eſt: cuius ſpecies plurimæ mihi cognitæ ſunt. In Logadij hiera pro ſemine Thymelææ, ego Laureolæ Germanicæ, quam Zylandt vocant, ſemen acceperim. non maiore differentia puto, quàm ſi pro Rhætico vino, Falernum acciperes, aut contra. [Chamelæa Germani æquè ac Thymelæa carent] non multum autem peccauerit qui lathyridis (id eſt, cataputiæ minoris, non maioris, vt tu ſcribis) grana, pro Thymelæa acceperit. æqualis enim vtriuſque vis & facultas mihi videtur, quod ad acrimoniam & educendas aquas. Chamelæa amarior eſt, &c. Cardamomum Græcorum, aut illud ipſum eſt, quod noſtri ſimpliciter Cardamomum vocant, (cuius tamen tres ferè differentiæ magnitudinis inueniuntur) aut pro eo rectè vſurpari poteſt, meo quidem iudicio. inquirere autem in ſchedis meis obſeruationes varias diſperſas nondum licuit. Matthiolus ſuſpicatur Melegetas vulgò dictas, Cardamomum maius eſſe: ſed illæ profectò longè calidiores ſunt Cardamomo; & acrimonia piperi non cedunt: & quod Matthiolus ignorauit, Arabicum ſeu Arabum Cardamomum ſunt, Sacolla etiam & alijs nominibus apud Arabes dictum, apud Actuarium modò Cacula, modò Cachrys, modò Capſicum: quod poſtremum indocti aliqui in compoſitionibus quibuſdam in Tapſiam mutarunt, (vt in Diamargariton Auicennæ quadam deſcriptione, quæ mortis quorundam occaſio extitit, vt teſtatur Lacuna in ſui Dioſcoridis Hiſpanici Præfatione: alij verò in Caſſiam ligneam, vt Matthiolus in Epiſtolis. ego Capſicum, id eſt, Cardamomum Arabum eſſe legendum, primus (ni fallor, nam hactenus nemo prodidit) animaduerti. Quod ſi quis etiam cubebis pro Græcorum Cardamomo vteretur, non aberraret is meo iudicio. Vides feſtinationem. Si quid ex his tibi pluribus confirmari petes, fiet aliâs, μυνὰ θεῷ. Mihi Melegeta non videtur cum Matthiolo magis reſipere aroma, quàm alia cardamomi nomine dicta ſemina: quæ quidem, cum nonnihil ſubamara ſint, vt Cardamomum, mihi viſa ſunt: Melegeta verò acerrima, abſque amaritudine, neſcio quid ſomniarit Matthiolus, vt Melegetam potius Cardamomũ Græcorum eſſe putaret, quàm id quod nomen retinuit. Cordus præter Melegetam, Cardamomi tria genera facit,

magni-

magnitudine tantùm diſtincta,(quæ omnia me habere puto.)Mat thiolus duo ſolùm. Cæterùm cum omnia hæc quatuor genera, ſua ſemina folliculis includant, ridiculum eſt,quod nugatur Matthiolus, Melegetam ſibi præ cæteris videri Cardamomum Græcorum, quoniam folliculos habeat. Melegeta dicitur etiam Nux ſarca, & Nunteſarcas Myrepſo, &c. quaſi nux cachrya vel cachrys. Temere etiam Matthiolus pro Cardamomo, myrti baccas ſupponit, corruptam Maruati Rotæ Ἀντιβαλλομένων verſionem ſectatus: melius iuniperi baccas aut cedri ſubſtituturus. Piper Indicum ſeu ſiliquaſtrum quorundam, primus ego (ni fallor) ante plurimos annos capſicum aut Cardamomum Arabicum mihi videri ſcripſi: in quo erraſſe me agnoſco: etſi ſententiam illam meam aliqui non indocti, ſunt ſequuti. Cæterum minus Cardamomum Serapionis, nullo capitulo aut folliculo incluſum, mihi ignotum eſt. Quod ſi quæ compoſitio Cardamomum duplex maius & minus requirit, Cardamomum, quodcunque habemus, ex tribus illis magnitudine tantùm differētibus, duplicatum ponerem, aut cubebas pro altero. Pro ſacolla autē & capſia vel capſico cacalaue, &c. In Lexico Græco rei herbariæ, quod D. Sambucus nunc ad me miſit, innumeris erroribus refertum, verba hæc inuenio: Καρδάμωμον, κακόνα: & rurſus, καγρία ἐστὶ κακόνα τὸ μέγα. Ex eodem didici crocolytum, (quod non ſemel in libello Raſis de peſte nominatur, Andernacus & alij duo interpretes Itali, quid eſſet ignorarunt, vt & alia plura à me inuenta) non aliud quàm Lycium eſſe. In Diambra, etſi quædam folij antiballomena requirantur, vnum tamen ex eis, vt macis, aut aliud duplicari, nihil vetat. Mihi iam hæc multa nocte & ſomniculoſo ſcribenti (vt poſtridie ſummo mane literas dem tabellario) compoſitionem ipſam inſpicere non licet. Licebit & cinnamomi aut caſſiæ foliū ſubſtituere. Pro iis, quæ de ſerpentibus quibuſdam & rattis vulgò dictis, ſcripſiſti, gratias ago. Cæcos illos ſerpentes (die Blindenſchleicher) Cæculas, Græcè Τυφλῖνας & Τυφλώνας appello, non aſpidas, vt tu: iis Baſilienſes quidam pro viperis ad theriacam vtuntur, eo argumento, quoniam & ipſæ, vt veræ viperæ, non oua, ſed catulos pariunt. De beryllo tua proximè ad te ſcripſi, & gratias egi: remiſi ad D. Funckiū. Katzenaug gemmam habeo, id eſt, oculum felis non Beli, quam Beloculo eandem eſſe ignorabā. Coſtum quoque à te miſſum, zinziberi ſimilem, amariorem, iam prius habebam. ego Luſitanicum coſtum, Antuerpia accerſendum, probo. Vale. Tiguri. 1565. Nouemb. die 5.

EPISTOLARVM ME-
DICINALIVM CONRADI GESNERI PHILOSOPHI ET MEDICI Tigurini, Liber tertius.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio, Medico excellenti Scaphuſiæ.*

DEBEBAM nunc tibi, vir humaniſſime, ingentes gratias agere, pro ſuauiſſima illa humanitate tua, qua me cum ſocijs nuper apud vos, proſequutus es. Sed quoniam nec ego rhetoricari peritus ſum, neq; tu pro modeſtia tua tale aliquid à nobis expectas, ſimpliciter & abſq; proœmio ad te ſcribo, & gratias habeo agoq; immortales: hortorq; vt tu etiam noſtram apud nos aliquando hoſpitalitatem qualemcunque experiaris. Quòd ſi hortulum noſtrum inuiſere olim volueris, ſtirpibus innumeris, pro ſua magnitudine refertum, intra menſem aut prius inſtructiſſimum illum inuenies, non noſtratibus tantùm & alpinis, ſed etiam exoticis plantis, quæ nondum ſatis adoleuerunt ex ſeminibus proximo vere terræ mandatis. Deſiderat te etiam Friſius noſter & amici alij. Ego quidem, quandiu nobiſcum eſſe tibi libuerit, totus ero tuus ſine vlla negotiorum exceptione. Veni igitur, vt nos & amicos inuiſas, & de rebus medicis nobiſcum conferas, quandocunque ocium tibi fuerit: aut ſi id per ſe non detur, vi tibi viam facito, vt amicis morem geras. In præſentia mitto munuſculum chartaceum tibi & pharmacopolæ commune: cuius ego ſum author, ſed nomine meo diſſimulato. Expectabo iudicium ſuper eo veſtrum, tuum inquam & pharmacopolæ, quem rei deſtillatoriæ peritiſſimum eſſe, ex breui in officina eius colloquio, facilè intellexi. Exemplaria omnia diſtracta ſunt, & breui denuo ædetur: quamobrem cupio ab amicis iuuari, vt emendatior & locupletior liber exeat, alicubi etiam breuior, ſuperfluis, ſi quæ videbuntur, reciſis. His diebus Lithotomus quidam apud nos, ante ſex aut ſeptem ſeptimanas à cane rabido morſus, cum aliquandiu nihil mali ſenſiſſet, ſubito timoris aquæ ſuperuentu, intra biduum miſerrimè perijt. Morſa eſt

etiam

etiam vxor eius, ſed leuiſſimè, cui ego quotidie aliquid gentianæ propino, ſed tormentillæ aliquid addo, quia menſes alioquin nimios experitur. Vale, & me ama. Tiguri 1554. Septemb. 6.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

PHarmacopolæ tuo, magnis meis verbis gratias ages, quòd tam liberaliter ſuas, aquę cinnamomi & olei de baccis iuniperi, egregias certè confectiones, mihi communicarit. Quod ſi & tu & ipſe ſucciſiuis aliquando horis in noſtro libello mutandum, emendandumúe aliquid deprehenderitis, déque eo admonendum me dignati fueritis, rem mihi gratiſſimam facietis. Eſt enim argumentum huiuſmodi, quod ſubinde, experientia præſertim docente (cuius mihi facultas non datur) emendari poſſit. Aquæ aluminoſæ deſcriptio quam miſiſti, mirificè mihi placet, & ſanè apud nullum authorem de ea quicquam legi. Aquæ vel oleo vitrioli rectè paratæ, eandem ferè facultatem tribuerim ad vlcera oris, aliaq́; corroſiua. Hoc obiter addam, reſciuiſſe me his diebus de Conſtantienſi quodam, qui nunc noſter ciuis eſt, quòd cum quater aut quinquies diuerſis temporibus epidemio capitis dolore (cuius in mentionem cum vobiſcum eſſem incidimus) correptus fuiſſet, ſemper ab eo ſectione venæ ſub lingua, liberatus fuerit. His diebus etiam, cum ad mulierē vteri ſuffocatione grauiſſimè afflictam accerſerer, propinaui primùm caſtorei ſemidrachmam cum aqua hyſſopi, & linteolum aqua ardente intinctum, vmbilico impoſui: cœpit illa mox melius habere, ſed poſt aliquot horas, culpa fortaſſis mulierum, quæ odorata naribus admouerant, rediijt malum: tum ego ex aqua hyſſopi diſſolutum hoc remedium obtuli, quod recipit.

Caſtorei, ſinapis albi, rutæ ana. ʒ. i. theriacæ ℥. i. quo illa non calido, ſed vt erat, epoto, dormire cœpit, & multis iam diebus optimè habet, cum deplorata iam fuiſſet, totius corporis tremore, ſpaſmo, vomitibus, capitis dolore, ſymptomatibus pariter vexata. Sed ſimul etiam in ſacculo calefacto in aqua, abſinthium & athanaſiam ſuper ventriculo impoſui. Sed quid ego hæc ad te, hoc eſt, noctuas Athenas? Tu quidem ſi caſus aliquos rariores & experimenta tua aliquando ad me ſcripſeris, non parum me oblectaris. Vale in Domino. Tiguri 1553. Iunij die vigeſimo ſecundo.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

PErgratus mihi fuit Catalogus ſeminum quæ accepiſti, tum propter rem ipſam, qua mirificè delector, tum quòd inde amoris tui ac beneuolentiæ erga me, coniecturam facio non inanem. Ex ijs peto, quoniam tu petere iuſsiſti, Semē ſparganij, Aſteris Attici, Medicæ, Been albi, Merueilles, Polij montani, &c. Sat erit ſi paucula vel vnum aut alterum de rarioribus, miſeris. Dabo enim operā omnē, vt proueniăt. Stirpes his dieb. aridas folijs chartaceis affixas è Bononia circiter trecentas accepi, & ſuperiore anno centenas. Pro oleo de cera, magnas tibi gratias habeo. id me admonet petrolei, quòd nuper hic quidam agyrtæ vendiderunt, è Bauaria (vt aiebant) allatum: Illic colligitur in lacu quodā, Dägerſfelden (ſi bene memini nominis) non procul Monaco, vbi eccleſia eſt S. Quirini: habebant etiam chartam, in qua copioſè eius vires erant deſcriptæ. Aliud eſt à petroleo citrino communi, colore eodem, ſed multò denſiore ſubſtantia. De hoc, ſi vacat, pharmacopolam veſtrum interrogabis: eumq; meo nomine rogabis, vt de oleo illo naturali (timeo enim ne agyrtæ illi adulterent) circiter vnciam per occaſionem accerſat & ad me mittat, quocunque pretio. Si qui fontes apud vos aut balnea ſunt alicuius naturæ peculiaris, aliquando otium nactus ad me ſcribe, vt noſtro de fontibus & balneis Heluetiæ Germaniæq; libro denuo edendo, adijciam. Nullas te literas ad me dare vellem ſine aliquo περὶ τὴν ἰατρικὴν τέχνην fructu. Olei vitrioli vires iam aliquoties expertus admiror: tàm ſubito agit, modo ſudores copioſiſsimos, modo aluum aut vomitū citat, craſſa omnia attenuat, potentiſsimè ſiccat. Nullus medicus eo carere deberet; ego pauxillum habeo, vt communicare poſsim: iube Pharmacopolam veſtrum (quem ſalutabis) ex Euonymo, eius (ſi placuerit) apparatum experiri. Per omnem Italiam, ad nos vſq; & vltra longè lateq; nouo quodam morbo tentata eſt innumera aliquot myriadum multitudo. Nulla ferè hic domus, idem non experta eſt. Nemo tamen adhuc inde perijt, præter puerperā vnam à partu quoq; imbecillem. Cauſam aliam non video, præter auſtrinam totius ferè æſtatis conſtitutionem. Morbus in caſtris Italię cœpit: vbi ex tanto vtrinq; militum collectorum numero in tali aëris conſtitutione, & infecto, forſan etiam ex crementis & cadaueribus hominum equorumq; (permultos enim in Gallorum caſtris ante hunc morbum neſcio quo alio interijſſe

audio)

audio) aëre, lues ſerpere & contagioſa eſſe cœpit, & epidemia, ſed ſalutaris, non pernicioſa. Remedia hic nemo curat. Venæ ſectionem non probo (cum morbi magnitudo non poſtulet, & phlegma potius cum aliqua bile, quàm ſanguis in cauſa ſit) niſi in paucis plethoricis. Venas tamen ſub lingua, vbi magnus dolor capitis eſt, & alia non impediunt, vtiliter ſecari puto. Clyſteres prodeſſe. Decoctum violarum, hordei et liquiritię cum ſaccharo bibendum per ſe, vel admixto apomelite modico vel ſyrupo de glycyrrhiza: poſt aliquot dies aluum mouendam, cum ſyrupo de roſis perſicis, mixto cum decoctione polypodij, &c. Vale. Tiguri eo anno, quo morbus ille, quem Galli coqueleuche, noſtri das hünerwee/ paſſim graſſabatur.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

AVtumno ſuperiori ad te ſcripſi, clariſsime Holtzachi, ac ſimul libellos duos miſi, vnum pro te, Pędotrophiam Iulij Alexandrini: alterum pro pharmacopola veſtro, libellū quendam de deſtillatione oleorum, quæ ſi tibi reddita non ſunt, vt epiſtola tua præ ſe fert, doleo: non tam pro ipſis tantilli precij libellis, quàm quòd memoris veſtrûm animi argumento tandiu caruiſtis. Sed cur epiſtola tua adeò nullo artis noſtræ condimento inſtructa, ad me peruenit? quin hiſtoriam aliquam raram ſcribis, vti receperas? vel aliquid de experimentis tuis: quæ neceſſe eſt multa & varia eſſe, in tot occupationibus tuis. Ego quanquam alijs rebus potius quàm medendo occupatus, ſubinde tamen aliquid obſeruo: ex quibus hoc in præſentia accipe. Elleborus vterq;, ſi cum aceto & melle decoquatur, vt ſyrupus fiat: medicamentum innoxium, et ad pleroſq; phlegmaticos morbos (thoracis & capitis inprimis vt aſthma, dyſpnœam, epilepſiam) πολύχρηστον, vt ego iam ſæpe vtiliſsime expertus ſum. addo alia purgantia & corrigentia quędam pro arbitrio, &c. ferè vt oxymel Iuliani eſt. aluum, vrinam, & meatus omnes, etiam cutis, mirificè nulla moleſtia expurgat. Audio apud vos in horto quodam reperiri wyß kappen blůmen / id eſt, Napellum album, albis floribus, qui alioquin ſolet cœruleos flores producere. De hoc obſecro mihi inquire, & radicem integram viridem ſaltem vnam, mitte in pegmatio aliquo, cum pauca terra vt plantare poſsim: ego inuicem aliud quidpiam & pulchrius mittam; habeo enim Hieroſolymitanos flores elegantiſsimos, & alia quædam. Radicis Salſæ parillæ vſus, paſsim inualeſcit, re-

licto Guaiaco. Gaſſerus noſter nuper ſenem ferè leproſum hoc remedio à ſe reſtitutum ſcripſit. Si nihil de eius vtendi modo habes & deſideras: puto me habere aliquid ab amicis, quod mittam aliàs. σὺ δὲ δός τι (φίλη κεφαλή) καὶ λάβε τι. Vale. Tiguri 1560. Februarij die 23.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

PRo pecunia ad me miſſa, vir clariſſ. gratias habeo maximas, et huius beneficij tui memor ero perpetuò. Vitam maximè negotioſam te agere facilè tibi credo, ego etiam niſi plurimis implicarer occupationibus, hoc tempore copioſius tuis reſpondere literis: Diſtrahunt me profeſsio Ariſtotelis Græca quotidiana, lucubrationes quædam, ægroti, & literæ ſubinde in diuerſas regiones exarandæ. Quod ad iſchiadem, mihi potius opus eſſet tuo conſilio, quàm vt ego tibi dare poſsim. Laboraui hoc malo acerrimè, cum prius ferè ignorarem quid dolor eſſet, in coxendice quidẽ leuis dolor fuit, ſed ingens ad quatuor ſub genu digitos parte exteriore: vbi etiamnum manent reliquię, ſi digito pręſertim premam. Cum doloris vehementia ceſſaret, ſtupor quidam & grauitas excepit, tum nactus fortè nauim, ad thermas noſtras deſcendi: quarum vſus dolorem mihi mitigauit, non omnino ſuſtulit: nullo quidem impedimento, Dei gratia, longius etiam ambulo. Quid verò ante balneum potiſsimũ mihi profuerit, non facilè dixerim, multa enim variaq; adhibui: emplaſtra, fomenta, clyſteres acres, &c. Fumus ſiue calor certè ex aqua vitæ ardente, crure in lagenam vbi accenderam, demiſſo, profuiſſe videtur. in primis etiam vomitus vehementior cum oxymelite meo concitatus. A principio etiam morbi, ſponte ortum eſt vlcus in eiuſdem lateris nate, quod mihi profuiſſe non dubito, & cauterij alicuius vicem præſtitiſſe. Audio certè aliquos vomitu maximè curatos, alios Guaiaco, clyſterijs, interim alijsq; non neglectis: alios terebinthina mixta cum chamæpity aliquandiu continuata: alios pilulis quibuſdam, alios fontanella infra genu. Ego in iſchiadicis aliquot, non infeliciter vſus ſum emplaſtro quodam: quod conſtat pice, martiato, aro, euphorbio, inula, oleo de iunipero, poſſet etiam ſulfur addi. Clyſteribus præter centaurium minus, ſabinam, periclymenum, hypericum, aliqui terebinthinam, & interdum colocynthidem addunt. Vena in malleolo foris ſecta, plurimos iuuat, non ſolùm ſanguineos, ſed etiam phlegmaticos, ni fallor. Dyſenteria nobis ra-

riſsima eſt. Curaui aliquando eo potu quem tu propinas, in clyſteribus dato, nempe lacte chalybeato: primùm per ſe, deinde aſtringentibus ſimul coctis. Feliciter aliâs dedi panem paruum, factum è farina fabacea, cui nucem moſchatam & bolum præparatum admiſcebam, & piſtori coquendum dabam. Vtiliſsimam crederem aquam deſtillatam è ſucco pirorum, prçſertim ſylueſtrium. Sed quid ego noctuas Athenas? Oculorũ affectus non ſolitus ſum curare, tum quia ego ipſe hebetiſsimo viſu ſum, & affectus eorum aliquos non bene diſcernerem, tum vt aliquid empiricis & ophthalmicis noſtris relinquam. M. Petrus Lithotomus noſter, priuignus M. Iacobi noſtri defuncti, in oculorum curatione bene exercitatus eſt: empiricus autem ille Bumannus παντολμότερος ἢ ἐμπειρότερος ἀνὴρ, cuius oculos hactenus curauerit, nondum accepi: aiunt illum etiã ſuffuſiones aggredi. Ego in vetere ophthalmia, venas ſub lingua ſecare iuſsi olim feliciter, quo facto & corpore purgato, victuq́; inſtituto, poſſes vxori tuæ deſtillare aquam hoc ferè modo.

℞. mellis deſpumati ℥.v. ſacchari candi ℥.ij. roſ. rubear. M.ij. radicum conſolidæ mai. ℥.j.ſ. fœnogrçci aqua tepida ter abluti & reſiccati ℥.j.ſ. cornu cerui vſti & abluti vino ℥.ſ. ſpodij de ebore ʒ.ij. camphoræ ʒ.j.ſ. limaturæ chalybis ʒ.vj. aquæ fontanæ chalybeatæ q.ſ. aut pro ea alterius aquæ alicuius deſtillatæ. Trita infundantur per 4. aut 5. dies ad fornacem: tum deſtillentur in cinere lento igne ſecundum artem. Colligi autẽ debet liquor, qui primùm emanat craſsior. Hunc liquorem nunquam feci, nec fieri vidi, ſed erit proculdubio optimus: interim alia etiam fieri poterunt, & collyrium Nihili aut ſimile palpebris canthisq́; interdum adhiberi: & oculi primùm lauari mulſa, in qua fœnogræci loti aliquid bullierit. Tandem ſi magis aſtringendum putâris, momentũ chalcanthi addere poteris, ſi videbitur. Sed vide an ſit fiſtula lachrymalis vel encanthis. His vale in Domino, & me tandem aliquando inuiſe. Accepi nuper res Indicas quaſdam, Balſamum, Succinum album pellucidum, Takamahaka reſinam. Tiguri 1560. Nouemb. die 15.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

ACcepi ſemina; gratias habeo, ſerã & curabo diligenter. Balthaſaris Brauch (quem in Italia olim vidi, humanitatem eius expertus) ad nos aduentus, longè gratiſsimus nobis fuit. Herbæ Nyßlekraut / vt noſtri vocant, nomen Latinum non habeo. Her-

molaus in Corollario, ſi bene memini; locuſtam appellat. & has
aliqui locuſtas eſſe nugantur, quibus in deſerto Ioh. Baptiſta pa-
ſtus ſit. Herbam eſſe iudico frigidam & humidam in ſecundo gra-
du, & lactucæ hortenſis ferè facultates habere. Herbam Zülan, vel
vt noſtri proferunt Zyland/thymelęæ congenerē eſſe puto. Spe-
cies eius altera & minor, in altis montibus naſcitur, quam pro thy-
melæa quidam pingunt. Scio in Gallia circa Monſpeſſulum aliam
& veram oſtendi thymelæam. Vires omnium eaſdem eſſe iudico,
ex eadem omniū exulcerante acrimonia, ſed Zylandiæ noſtræ ve-
hementiſsimas, quæ mihi linguam & fauces ſæpe aduſsit, vt recu-
rare vix valuerim: calidæ & ſiccę ſunt in quarto exceſſu. Vale cum
amicis. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS COSMAE.
Holtzachio medico.

PRo miſsis ad me plantis, tibi V. CL. & optimo viro Pharma-
copœo veſtro gratias habeo maximas. Pulmonarię Plinij ſpe
cies, vt primo aſpectu conijciebam, non eſt: etſi flore ſimillimo:
ſed echij, ni fallor nunc etiam. Plantabo & conſiderabo diligen-
tius. Scorpioides illud Rondeletio dictum, ego quoq; ſic vocare,
ſed cognomento paluſtris (quoniam in aquoſis ferè prouenit) ſo-
leo: Hafnerus noſter de alia quadam mihi loquutus videbatur, &
nobis rariore. Filipendula quæ tibi videtur, omnino ſic vocanda
eſt. Monſpelienſem, quæ cum deſcriptione melius facit, ego quoq;
obſeruaui & depinxi, Turcæ Byzantij Antoram vocant, id eſt, an-
titoram, quoniam Torę, id eſt, Napelli vel Aconiti veneno reſiſtat,
hoc enim nuper, è Conſtantinopoli miſſam radicem, accepi; &c.
Ea quam pro Smyrnio Monſpelij demonſtratam ſcribis, non ma-
lè eius deſcriptionem repræſentat, ſemine excepto, quod braſsicæ
ſimile rotundum ac nigrum non habet: Germani ſchwartz hirtz-
wurtz appellant. Fuchſius olim malè inter Daucos, nunc melius
inter Seſelis genera reponit. Frutex ye lenger ye lieber vulgò di-
ctus, Circæa eſſe non poteſt, cum milij ſemen in quibuſdam veluti
corniculis naſcens, non habeat, nec radicem odoratam, &c. Sola-
ni ſpeciem eſſe, flos, acini & folia teſtantur. Tutiam albam, Pom-
pholygem voco: nec aliud eſſe puto, quàm puluerem illum candi-
diſsimum, quē Nihili vocat veſter Pharmacopola, Norimberga
allatum: quamobrem non mitto, vt neq; Vnguentum Nihili no-
ſtrum, quòd ex rebus valde aſtringentibus conſtat, tutia cinerea,
corallio, vitriolo, camphora, carabe (ni fallor) & butyro. Si ta-
men

men voles, parum mittam alias. Heri in colico, feliciter vſus ſum clyſtere ex vrina puerorum & oleo. Ardorem vrinæ diuturnum, potu balneorum Badenſium noſtrorum per quinque dies paulatim aucto, vt ſolent Itali, curaui. Talia quędam, ex curationibus tuis à te quoque tuis epiſtolis breuiſsimè aſcribi vellem. Saluta amicos omnes. Vale. Tiguri, anno 1561. Maij penultimo.

CONRADVS GESNERVS COSMAE
Holtzachio medico.

ABſui toto menſe in Rhæticis alpibus vallibusque ad ſummam vſque Tellinam vallem progreſſus, ſtirpes & fontes maximè inſpiciundi cauſa, meque exercendi: duobus in locis balneo vſus ſum ad paucos dies, in vno etiã ſtillicidio, &c. Literis tuis eo die, quo diſcedendum mihi erat, acceptis, reſpondere non potui. Commiſi autem negocium M. Petro noſtro, qui ſe ait Vnguentum Nihili cum eius deſcriptione ad te miſiſſe: Tutiæ albæ oblitus eſt, quã ego nunc mitto, vt petijſti: etſi reuera nihil ab illa, quam Pharmacopola veſter habet, differre eam puto. Tubercula illa ad oculos, ego me vidiſſe non memini, vtpote & luſcioſus homo, & qui oculorum vitia (ne proprium mihi obijceretur) rarò curare voluerim. M. Petrus ſe vidiſſe ait, ſed ſuppurata. Fortè iam melius vxor tua ab eo tempore habet, quod optamus: ſin minus, tu pro tua eruditione & prudentia, optimè ei conſules. Herba, quam moniales in Dieſſenhoffen colunt, mihi quoque tecum Plinij Dioſcoridis videtur, neque nobis hic deeſt, ſed propter Calami (Kalmus) nomẽ aliud quidpiam eſſe putabã. Tuæ humanitati pro illa miſſa, gratias habeo: ſicuti etiam pro illa, quam alia quædam monialis è Sueuia tibi miſit, ea ad manum nunc non eſt, repoſita alicubi: puto autẽ Algæ ſpeciẽ eſſe, vel Ampeli (vt Aelianus vocitat) aquaticæ. Varices antiquæ vxorem meam excruciant: aduerſus quas, aut conuulſorios earum dolores, ſi quid habes auxilij, communica. Abeſt nunc in balneo quodã aluminoſo vff Engſt/ quod ei conferre videtur, ſed metuo ne ſtatim recurrat malum, ſicut & antea factum eſt. Colicum aluo aſtricta non ſine febri virum, his diebus curaui, cum omnia reuomeret, &c. primùm clyſtere communi iniecto, qui nihil proficiebat, deinde alio ex ſola vrina puerorum, qui egregiè ſubduxit, & vomitus ſedauit, non tamen dolores ventris. Itaque inſeſſionem ex herbis mollientibus & anodynis, meliloto, camomilla, malua præſcripſi, & mox, ſedato omni dolore (Dei gratia) conualuit. Nitrum verum, quo multis ſeculis ars medica caruit, & quod

nuper vir quidam doctiſsimus in Europa inueniri negauit, deco-cta fontis cuiuſdã aqua, in Rhætis, copioſum inueni, cuius aliquid ad te mitterem, ſed parum ſupereſt, quo ad experimenta quædam indigebo. Mittam autem aliâs vbi copioſius fuero nactus. Vale. Tiguri, 18. Iulij, anno 1561.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

PRo conſilio tuo in caſu varicum, maximas tibi gratias habeo. Remiſit nunc dolor Dei gratia, vlcere ferè curato. fecimus enim ei cauterium ante tres ſeptimanas, quo varix, quæ inter alias maior videbatur, & per vlcus tranſibat, tota eroſa per tranſuerſum eſt. Nunc & cauterij vlcus, & quod antea fuerat, ferè ſanata ſunt: ſed quoniam inueteratum eſt malum, ab annis quindecim ferè; & ipſa victus rationem nullam ſatis obſeruat, metuo ne breui recrudeſcat. Chirurgiam tentaturus fueram ex Aeginetæ præſcripto, & venam ſupra genu amputaturus, ſed nullus chirurgorũ noſtrorum tentare auſus eſt: ego tamẽ facere ipſos coëgiſſem, niſi vxoris impatientiam, & in victu inobedientiam prænouiſſem. Vale. Tiguri 1561. Octob. die 10.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

AD vltimam epiſtolam tuam putaui profectò me reſpondiſſe, adeò memoriã mihi intricarunt nimiæ occupationes: à quibus paululum reſpirans hodie, dum chartas in Muſæo meo confuſas diſpono, inuenio literas tuas (& miror) ſine ſigno, quo notare ſoleo illas, ad quas reſpondi, quamobrem ignoſces homini vt occupatiſsimo, ita obliuioſiſsimo omnium, tui verò ſemper amantiſsimo. Guaiaci vſum conſulis vxori meæ, nec mihi diſpliceret: ſed ipſa moroſior eſt, & auerſatur. Video illi perpetuò cum ſua valetudine & varicibus præſertim, rem futuram. per interualla quidem, vt nunc quoq;, meliuſculè habet. Condylomata & huiuſmodi vitia, ani præſertim, nunquam obſeruaui, vt ne honeſtiora quidem conſpectu multa, tum propter oculorum meorum hebetudinem, tum quia chirurgica tractare non libebat. Gaudeo tamen obiter in illis quoq; nõ nihil addiſcere. His diebus tõſillas in muliere valde inflammatas curaui: et ęgilopẽ habenti mulieri nuper conſiliũ dedi, vt venas ſub lingua ſecaret, et pilulis quibuſdã purgaretur, &c.

vnde melius habuit. Guttam roſaceam ſi percuraſti, remediū communica, & quo pacto ſe habeat ruſticus, qui latis lumbricis laborabat, ſcribe. Ego ad grauidarum varices nihil ſanè certi habeo, coniicio tamen oleum de ranis & lumbricis profuturum: nam & vxor mea ſæpe laudauit, & victum minus craſſum, & crurū quietem profutura: & ſi dolor vrgeat, aliaq́ non diſſuadeant, ſectionem venæ alicuius in manibus. Ab Iliaca vidiſti ne vnquam ſeruatum aliquem & quibus remediis? Nuper mulier quędam robuſta hic, propter peritonæi rupturam circa vmbilicum, in hoc malum incidit (quo planè ſimili duos alios hîc periiſſe vidi) & ab empirico cum accepiſſet parū ellebori albi, ſupra infraq́ purgata, conualuit. Vale. Tiguri anno 1562. pridie Kal. Febr.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

GRatias tibi ago, vir doctiſsime, pro duobus monſtris, humano quod deſcripſiſti: herbaceo, quod miſiſti. Herbā illam laticaulem de cichorii genere eſſe non dubito: nam & mihi in horto, vt ſtatim dixit cum videret vxor mea, talis nata eſt: & in ſylueſtribus etiā cichoriis memini obſeruare. Tu futura ęſtate diligentius obſeruabis: nam ſi ex huius ſemine alia naſcatur ſimilis herba, rem ſecundum naturam eſſe coniicies: ſin minus, præter naturam. Ἀτρήτων muliebris ſexus meatum ſæpius, anum verò ita affectum nec legi nec audiui vnquā: quare miram hanc quam perſcribis hiſtoriā, cum memorabilibus meis reponā. Vale. Tiguri anno 1562. 15. Ian.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

SYrupi de roſis Perſicis nomine, intelligo illum, quem tu laxatiuum vocas ex multiplici roſarum infuſione: quē ego primus ante annos viginti quinq́ è Gallia rediens, apud nos parandum curaui, & de roſis Perſicis appellaui: quoniam ſic alibi etiam ab aliis vocari audieram. Libellum habeo Nicolai Monardi Hiſpalenſis, in quo ipſe etiam has roſas ſic vocat, authoritate Auicennæ, qui vim ſoluendi aluum eis tribuit: etſi non incarnatas, ſed rubras interpretatur ipſe Auicenna aut eius interpres. Conſtat autem mihi non ſolùm ex incarnatis noſtris (quas Alexandrinas multi nominant) ſed etiam rubris noſtris communibus, ſæpius

infuſis, ſyrupum probè laxantem, & ſtomacho gratiorem parari. Ex incarnatis factus, teſte Monardo, non ſolùm ventrem lenit, ſed etiam vtramque bilem & pituitam deijcit, & humores aquoſos potenter attrahit. Sic ille: quo magis ſperandum fuerit, ſtranguriæ quoque eum ſalutarem futurum. Sunt qui cum rore decoquũt, &c. Nigrum illud aculeatum, quod ad me miſiſti, non radix eſt, vt pauper ille putabat, ſed fructus, nempe Tribuli aquatici: peruelim autem obſeruari à te, quo in loco creſcat (audiui & ego olim in lacu aut ſtagno aliquo agri Tigurini inueniri, Andelfingæ ſi bene memini) vt poſſim mandare mittendum ad me cum floret: nam cum flore à nemine adhuc (puto) picta eſt hæc planta. Ano non perforato multos naſci, apud Cardanum nuper legi. Vaccam fuiſſe Perinthi, cui cibi excrementum attenuatum per veſicam tranſmittebatur, ſcribit Ariſtoteles: diſſectusq; anus denuo properè coaleſcebat, inquit, nec reſecando euincere vitium poterant. Vale. Tiguri. Anno 1563. Aprilis 15.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

REmedium illud rarum ſincipiti imponendum, tibi ſoli & vni ex medicis Cæſaris à me promiſſum, vt à Cardano acceperam doctiſſime Holtzachi, non inuenio, neſcio vbi inter myriades ſchedarum mearũ & foliorum tanquam Sybillæ latitat. diu ac diligenter ſed fruſtra quæſiui: vbi primùm inuenero, ne dubita, accipies. Non omnino quidem deſcriptio illa à Cardano miſſa ſatisfacit: ad aſthma & catarrhos præcipuum eius vſum facit: conſtare ait ex dropace Pauli & cantharidibus, ſed modum & pondera miſcendorum non exprimit; & Pauli dropax duplex eſt, maior ac minor. Medicus induſtrius ipſe componere ritè poterit, vt fiat cauterium potentiale, vt aqua è cerebro extrahatur. Quòd ſi curandum tibi aliquando diuturnum aſthma contigerit, vel alia cauſa ex catarrho diuturno orta vel aucta, ſignificabis mihi: interea enim fortè Cardanus plenius ad me ſcribet; & ſi hoc raro & difficulter facit, & nunc vbi ſit ignoro: putant relicto Mediolano, Bononiam migraſſe. Sin minus, aliam quandam dropacis eundem in vſum deſcriptionem habeo; cum alijs quoque ad aſthma remedijs, &c. quæ communicabo tibi candidè, modò aliquis certus nuncius à te mittatur, ne mihi intercidat (exemplar enim vnicum habeo) & tu breui, hoc eſt, intra dies octo remittas. Ad varices prægnantium nihil ſingulare habeo: vt neque circa ſtrangu-
riam

riam earum, anguſta & perexigua mea praxis eſt: permulti hic ſumus medici: ego ad lucubrationes me contraho, & praxim minimè affecto, ita fit, vt pauca admodum experiri liceat. Sperarim autem ſtranguriam in grauidis mitigari poſſe, ſi per interualla aluus eis ſoluatur cum ſyrupo de roſis Perſicis: ſic enim partim euacuantur, partim reuelluntur humores: & interdum, ſi biberint decoctum de radicibus althææ recentis cum paſſulis & ſaccharo, ita vt ad palatum earum temperetur, & iucundè ſumatur: & cum ſimili decocto lac amygdalatum paretur. Victus ſit emplaſticus, minimè mordax, & potus parcior: acidis omnibus abſtineant, & ſalſis ferè. Vale. Aprilis ſecundo.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

QVòd tibi curæ ſunt deſideria mea, vir clariſſime, eo nomine plurimum te amo, & debeo tibi quantum tute volueris. Semina abs te miſſa, pergrata ſunt: prodijt mihi Anagyris non ſemel ad cubiti altitudinem: ſed poſtea frigore perijt, vt & aliæ peregrinæ quædam arbuſculæ. Meliſſa illa à quibuſdam Turcica cognominatur, odore omnino ingrato & proximè ad cimicis accedente: cum noſtra vulgaris non ingrata ſit (etſi Fuchſij naribus aliter videatur) & ad citri odorem accedat. Papauer album diligenter feram (vt etiam reliqua) vt videam quid ab alijs generibus papaueris, quorum multa habui habeoq́, differat. Semen iſtud nigrum, νεφροειδὲς ficut & Anagyridis, ſemel prius aut iterum vidiſſe me puto, Cayrinæ nomine, ſeminibus è Cairo Ægypti primùm miſſis: his ſeminatis, nil mihi prouenit. Quæ autem ſit eius planta, cum non viderim, dicere non poſſum: Conijcio tamen Ebenum eſſe, cui Laburnum Plinij quoq; arborem cognatam faciũt eruditi quidam. Naſcitur autem Laburnũ in noſtris etiam regionibus, (circa Toggemburgum, & in Valleſiæ alpibus) Anagyridi ſimillima. ego duas eius arbuſculas alo in prato. Origanũ peregrinum, acrius longè noſtro, iam pridem mihi in horto creſcit, ſemina, ſi voles, accipies. Dictamum Creticum ſiccum etiam cum floribus habeo. Interim voluntas tua mihi grata eſt. Vagatur apud nos, verius quàm graſſatur, pleuritis quædam maligna & contagioſa, in qua nihil ferè expuitur. Moriuntur autem inde multi quarto aut ſexto die. De remedijs adhuc dubitamus. Videtur tamen ſecta malleoli vena eiuſdem lateris, potius quàm brachij conuenire: & antidotus aliqua aliudue remedium cum ſudore ab ini-

rio. Si apud vos etiam eſt, tuam ſententiam expecto. Vale, ſaluta pharmacopolam, & amicos cæteros. Tiguri 1564. Aprilis die decimoquarto.

CONRADVS GESNERVS COSMAE *Holtzachio medico.*

PEſtis apud nos mediocris eſt. Dominus miſereatur noſtri, & vt peccata noſtra, ac flagelli authorem agnoſcamus, & ita leuemus cladem, largiatur. Ex literis quidem tuis κοσμιώτατε φίλων, eiuſdem apud vos quoque initium eſſe intelligo. Electuarij de ouo deſcriptiones ego etiam varias habeo: probo autem præ cæteris quæ camphoræ aliquid accipit, cuius deſcriptionem ex Diſpenſatorio Auguſtanorum medicorum impreſſo, ad te mitto, & inde nos etiã hic confecimus: iuſſi tamen pharmacopolas noſtros addere deſcriptioni ſulfuris citrini ʒ. j. & nucis vomicæ pondus duplicare. Pimpinella à Germanis vulgò dicta, Bibernell/ ab Italis rectè ſaxifraga hircina vocatur. Pimpinella autem vera alia eſt, Sanguiſorba Fuchſij, cui à peponis ſeu cucumeris odore nomen inditum puto: M. autem literam ante P. recentiores indocti, ſæpe ponunt, & Græci hodie præſertim: quare pro peponella, pimpinella ab indoctis vocata eſt. Vtraque autem vires aduerſus peſtilentiam habere videtur non vulgares. Poſterior enim Tormentillæ & Pentaphylli facultatibus inſignis eſt: ſiccat, aſtringit, roborat, & refrigerat modicè. Prior autem, hoc eſt, Saxifraga hircina, calida eſt in tertio gradu, ſicca in ſecundo, meo quidem iudicio, minimè aſtrictoria, tenuium partium, incidens, & aperiens, diuretica admodum, & calculos vel arenas potius propeliens. In receptis Latinè ſcriptis pro Pimpinella, eam quæ propriè ſic vocatur, ponerem. In Germanicis verò, vel è Germanico ſermone translatis, Saxifragam hircinam (id eſt, Pimpinellam à Germanis falſo ſic dictam ponerem) vt in Electuarij etiam de Ouo compoſitione, ſi fortè in deſcriptione veſtra ingreditur. Audiuiſti fortè rythmum illum è cœlo, ſcilicet delapſum.

Nemmend Bibernell/
So gnãſend jr ſchnell/ vbi omnino Saxifraga hircina intelligitur, &c. Herba Tunici non aliud eſt, quàm quæ flores, caryophyllos vulgò dictos, fert: Betonica altilis à quibuſdam dicta, cuius ſiue vrbanæ ſiue ſylueſtris radicibus aliqui vtuntur: Licebit autem etiam floribus vti, qui & ſaccharo conditi, ſeruari poſſunt, & pro Been albo rubróque vſurpari, cum illis veris careamus.

In pe-

In peſtis curatione, ſi quid vtile expertus es aut experieris, communica mihi: vndique enim viciniam meam inuaſit, & ægrotantes aliquot ego ſubinde inuiſo ac periclitor, niſi Deus me ſeruet. Commendo me precibus tuis, Ego viciſsim, ſi petas, maiori ocio, de noſtris obſeruationibus aliquid ad te dabo. Vale in Domino. Tiguri 1564. Septemb. die 24.

CONRADVS GESNERVS TADdæo Duno Locarnenſi medico.

Accepi mi D. Dune, quæ miſiſti ab Aloiſio Mundella: & gratias habeo, reſpondebo autem illi, vbi certior fuero de Theatro ipſius, quando tandẽ ſit abſoluendũ, & an ſeorſim, quod ipſe cupit, & ego ſatago. Hinc Baſileam ad Typographum ſcribam, ac ſimul eius literas mittã. Quòd ſi commodus eius nuncius nunc aut breui contigerit, has ipſas velim ad Mundellam mitti: ijs enim acquieſcet, donec certius ſcripſero. Nunc enim in Thermis plura mihi ſcribere permoleſtum eſt. Iſchias mea paulò leuius habet, ſed iam ante Thermas (vt ſcis) remittebat, integram reſtitutionem vix ſperò: fiat voluntas Domini. Fortè etiam D. Mundella his cognitis, aliquid conſilij aut remedij ad hunc morbum dabit. Vale. Badæ apud inferos, ſic enim Thermas, quibus vtor, vocant. Auguſti die 20. Anno 1560.

CONRADVS GESNERVS IOANNI Fabricio Montano, Curienſis eccleſiæ miniſtro.

Mitto vnciam theriacæ noſtræ, ea modò recentior, modò antiquior à medicis laudatur, pro affectuum diſcrimine. Ego mediam tibi magis conuenire puto, eamq́ mitto. De illa ſumere poteris drachmæ, id eſt, aurei nummi pondus, admixto modico vino albo generoſo, in quo pulegij ramuli tres aut quatuor cœperint efferueſcere ſemel aut iterum: vel ipſa pulegij aqua admixta, ſi bona & quæ pulegium redoleat, reperitur. Sumes autem diluculo, ita vt horis minimum quatuor poſtea ieiunes, neque quotidie, ſed ſecundo aut tertio modò die ſumes, & ſi fortè vt ſit aliquando, ſomniculoſum te faciat, abſtineto eo die quo concionandum tibi fuerit. Tempeſtiuior eius vſus, vbi dolor aliquis, aut aliud morbi indicium ſe prodit. Si aluum fortè ſiſti ab ea animaduertas, alio die medicamento aliquo emollienda erit,

præſertim leuioribus pilulis, quas ſine cura vocant. Sed his in rebus veſtros quoque medicos conſules. Vterque pharmacopola noſter probè parant hanc antidotum, ſingulis expoſitis, vt medici omnes ſpectent & iudicent ante compoſitionem : ea quam nunc mitto, à Sebaſtiano noſtro confecta eſt, quam pro munuſculo dono, nec eſt quod pro tantillo gratias agas: aliàs, ſi voles, mittam alterius pharmacopolæ: intereſt enim nonnihil, quoniam pro opobalſamo, non eundem liquorem admiſcuerunt, &c. Cotonaſtri baccas & ſeſeleos ſpeciem, cum commodum erit mittes, ante hyemem & niues: ſin minus, expectandum erit vernum tempus. Vale. Tiguri 1560. Octob. die 25.

CONRADVS GESNERVS IOHANNI *Fabricio Eccleſiæ Curienſis miniſtro.*

PRo iis quæ per affinem meum miſiſti, D. Fabrici, gratias habeo maximas: ex iis rarus mihi fuit frutex, cui folia ſunt cotonei mali ferè, vnde cotonaſtrum, vel cydonaginem appellarim, ſupina parte candicantia non ſine lanugine, rotunda ferè, baccis rutilis, ſiccis, carne & ſucco nullis, ſeminibus intus quaternis triangulis. Is quidem qualis quantusq́ ſit frutex, per ocium pluribus mihi deſcribi velim, & ſemina pauca maturiora mitti. Breuius hæc & inconditè ſcribo, propter iſchiadem mihi recentem, quo malo totum crus dextrum obſtupefactum mihi eſt non ſine moleſto dolore. Alter erat frutex, nigricantibus, rotundis pomis potius quàm baccis, ſucco dulci dilutoq́ plenis, vmbilicatis, myrti baccarum ſimilitudine: qui etiam in Albio noſtro creſcit, ſed fructum hactenus maturum, nondum obſeruaueram. huius etiam ſemina, ſi occaſio ferat, hoc eſt, poma maturiora pauca mihi leges. Itali puto quidam Pyrum ceruinam nominant. Ego quia antiquum nomen non inuenio, Myrtomalidẽ aut Petromelidem tantiſper nominabo. Picturam eiuſdem accepi, vt hodie à Theodoro affine tuo, Sedi parui cuiuſdam: quanquam id Sedum non eſt, ſed Linariæ vulgò dictæ ſpecies; nam anno ſuperiore in horto mihi creuerat. Ampliſſimo D. Regis Gallorum Legato, libros noſtros non ingratos fuiſſe, gaudeo, tu meo nomine officioſiſſimam ei ſalutem dices: & quòd non ſcripſerim, valetudinem excuſabis: gratias quoq; ages pro liberalitate eius in pictorem, qui quanquam imperitior mihi videtur, quàm vt accuratè pingat, tamen in rarioribus pingendis, mihi ſatisfaceret, ſed quoniam pleræque ſtir-

pes iam prius mihi depictæ ſunt, ſicut & Myrtomalis, & Linaria violacea, de quibus iam ſcripſi, ne ſumptus iam fruſtra fiant. Poſt hac nõ cupio mihi aliquid pingi, niſi nominatim fortè expreſſero: præſertim cum quædam recentes abs te miſſæ, in horto mihi viuant, & ſiccæ etiam melius à meo pictore exprimantur, quàm à veſtro recentes. Animus & voluntas veſtra, rei ipſius inſtar mihi eſt, &c. Vale. Tiguri 1560. Iulij die 12.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

LIteris tuis mi D. Fabrici, quas accepi hactenus, certè reſpondi omnibus, ſed video aliquas mihi non redditas: nam & nuper ſcripſiſti te quaſdam miſiſſe ad D. Funckium, aut per adoleſcentem qui cum ipſo degat: quas non accepi, & nunc de deſtillatione Rhætici vini reſponſum à me quæris, ego verò nihil tale à te ſcriptum accepi. De picturis ſtirpium ante octo dies ſcripſi, & alia quædam ſatis copioſe, literis M. Theodoro affini tuo commiſſis, ſed illæ, vt video, malè curatæ ſunt. Nunc etiam quamuis ægrè tibi ſcribo, propter iſchiadis morbum, quo grauiter laborare nuper cœpi: quapropter ignoſces inconditis literis. Quod picturas tam varias mihi fieri curaſti, maximas tibi gratias habeo, animi quidem tui in me propenſiſſimi reſpectu, nam pictoris artẽ laudare non poſſum, ac malim in poſterum, ſi quid tibi rariuſculum videbitur, vel recens, ſi fieri poteſt, vel ſiccum etiam floribus & folijs præſertim in libro compreſſis, ad me mitti: tum quia noſtri pictores vel aridas plantas melius & viuidiores pingũt quàm veſter recentes: tum quia ita cauebitur, ne aliquæ mihi pingantur, quas iam ante probè pictas habeo, ſicuti illas quas nuper miſiſti. Pyraſtrum Idæam dico (ſic enim voco fruticem illum baccis nigricantibus, dulcibus) & Sedum paruũ cœruleis floribus, eſt enim illud non Sedi, ſed Linariæ genus. Plantaginem etiam alpinam ſcitiſſimè pictam prius habeo: ſicuti etiam Polyanthemon illam alpinam, quam Polycalathon dixeris, cuius flores caui & calathorũ ferè inſtar multi confertiꝙ coliculũ rubentem ambiũt, è radice (vt ſcribis) lateſcẽte. Frutices duo, vnus Perſici ferè folijs, alter rotundioribus, omnino nihil aliud quã Salices quędã alpinæ ſunt, quod in vtroque ſapor, in altero etiam ſeminis ſpecies oſtendit. Solent autem in montibus naſci ſtirpes quædam, congeneres quidem ijs quæ in planitie naſcuntur, ſed longè minores: & foliorum figura ita differentes, vt non temerè ſtatim dignoſcantur, vt Tuſſilago

alpina, Viola alpina & aliæ complures. Sed nihilo minus ingen-
tes vobis gratias habeo, quòd me iuuandi & exhilarandi ſtudio,
tantum laboris ſuſcepiſtis: nec ego minus ero gratus, ac ſi omnia
& mihi noua eſſent, & à pictore veſtro optimè expreſſa. Quòd ſi
non maiorem amicitiæ noſtræ vim eſſe exiſtimarem, quàm vt vl-
la ſcribendi libertate diſſolui poſſet, non ita candidè libereꝗ; hæc
ſcriberem. Muſcum alpinũ floribus purpureis, niſi fallor, moſchi
odore aliquando in montibus legi, quem an in tuo etiam obſer-
uaris, ſcire velim, & aliâs maiorem huius generis ſtirpem, vnâ
cum radice lignoſa ad me mitti. Naſturtiolum alpinum denuo vi-
dere gratum fuit, perſæpe in excelſis montium mihi repertum.
Rariſſima mihi fuit vna, quam in ſummis iugis D. Pontiſella (vt
ſcribis) inuenit in rupium ſciſſuris, ἐν ταῖς τῶν πετρῶν ἀποῤῥωξί: luteo flo-
re ranunculi, maiore, ſatis amplo, &c. hanc etiam peto aliâs ad
me mitti, fruticoſiorem vt ſcribis: curabo enim à meo pictore de-
pingi ſiccam. Frutex ille folijs molliculis, ſubrotundis, lanugino-
ſis, ignotus mihi eſt, & florem fructumꝗ; quales ferat, cognoſcere
aueo. Stare amplius nequeo, minus etiam ſedere, ita me fatigat
mea iſchias, quamobrem ignoſce. Vale. Tiguri. Anno. 1560.
Iulij die 19.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

QVæ hactenus ſcripſiſti & miſiſti, clariſſime D. Fabrici, gra-
ta fuerunt omnia, & plurima ſanè ignorarem, niſi abs te
accepiſſem, quod ingenuè profiteor. Quod verò liberius indicaui
pictoris veſtri picturas parum mihi placere, & ſumptui hac in re
parcendum eſſe, malle me ipſas herbas vel recentes vel aridas: no-
lim te idcirco in poſterum vel ſcribendo vel mittendo parciorem
eſſe. Itaꝗ; rogo ſi quid offendi, vt ignoſcas: ſcio te amantiſſimo mei
animo omnia feciſſe, nihil abs te peccatũ eſt, ſed ſi quid eſt, culpa in
γραμματοφόρων tarditate fuit. Scio grauiora eſſe tua negotia, & nefas
te ab equis ad aſinos (vt aiunt) trahi. Sed quoniam partim natura
rei herbariæ ſtudium tibi conciliauit, partim ita corporis exerci-
tijs ſaluberrimis frueris, ac ſimul mihi gratificaris: ego, quantũ in
me eſt, oro ne hoc ſtudiũ prorſus intermittas, hoc præſertim tem-
pore, quo ego hoc vnum ago, & propter iſchiadẽ ſemiclaudus do-
mi aut in vrbe ſaltem ſemper me continere cogor. Tua quidẽ erga
me dicendi ſcribendiue libertate, quacunꝗ; vſus fueris, nunquã of-
fendar. Perplacuit mihi carmen tuum, quo noſtram illam Halicre-
nence-

men celebraſti, & pro eo ingentes humanitati tuę gratias agó: nam & mihi lectu iucundiſſimũ fuit, erit'q, dum viuam, aliquoties: & librum meum De fontibus medicatis, ſi quando recudetur, ornabit. Lemnij verſus quoq; libenter vidi, an verò operi meo conueniant, nondum ſatis deliberaui. Quòd fontiũ caloris cauſam in ſulfur & minium reijcit, non probabunt eruditi. Quamuis enim Ariſtoteles putauit aquam ſine ſulfure nullam calêre: conſtat tamen calidos fontes non paucos, ſulfuris expertes eſſe: & contra, in quibus ſulfur abundat, frigêre. Circa minium verò prorſus ſomniaſſe videtur, nec vllo authore hanc ſuam opinionem tueri. Interim officium tuum gratum eſt. Onocrotalum quem miſi, ad me reuolare iubebis. nam hic nulli ſunt venales, & argumentum hoc meę curioſitati conuenit. Vale. Tiguri. Anno 1561. Martij die 20.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

NImis tu quidem officioſe mecum ſemper agis, chariſſime Fabrici, & tenuia etiam mea prædicas: quibus ego longè maiora me tibi debere, vt agnoſco libenter, ita præſtabo ſtudioſe, ſi tempus poſtularit, & meæ facultates tulerint. Rogo autem, vt ſimplicius & familiarius in poſterum ad me ſcribas. animus tuus, tanquam veri amici, & fratris in Chriſto, magnorum mihi munenerum inſtar eſt. Equidem amicos genuinos, nihil non inuicem debere iudico: neque debito illo abſolui quandiu viuunt, & hoc ipſum debere, eis longè ſuauiſſimum eſſe, & ipſiſſimum mutui amoris vinculum. Carmen Græcũ meum tibi placuiſſe gaudeo, nec minus quòd in lucem non veniat characterum penuria. Hebetior enim eius genius eſt, quàm qui lucem bene ferat. Sat fuit mihi, tibi gratificari, quantum eius potui. Mutuum verò carmen nullum à te, quem rebus magnis, hoc tempore in primis, occupatiſſimum eſſe ſcio, deſidero. Scio fœcundam & felicem ingenij tui in condendis carminibus venam eſſe, & aliquando fortè aliquid ex illo fonte petam. Monachi illius Franciſcani ὑψαντικώτατον ingenium admiror. Mitte aliquando aliquod de picturis eius ſpecimen. Balneą Bormij tibi ſalutaria fore, exiſtimarim: nec dubitarim mihi quoque profutura, ſi iſchias mea, cuius reliquiæ manent, tàm longum iter pateretur. Sed ad Auguſti vſque initium multæ mutationes contingent, quibus conſilia noſtra ceu nauigium ventis, accommodabimus. Vale. Tiguri. Anno 1561. Aprilis die 13.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

DOleo valetudinis tuæ vicem. Quanquam autem lumbri-cum vnum aut alterum excreuiſti, non eſt neceſſe plures ad-eſſe. Memini multos vnum aut duos excreuiſſe, & ſimul omni moleſtia liberatos, quòd vel plures non adeſſent, vel diſſoluti pau latim aluo redderentur. Corallinæ (marinæ herbæ) ſemunciam mitto & dono, eius dimidiam aut tertiam partem in puluerem tritam, non cribratam, manè ſumere poteris è iure piſorum be-ne ſalſo, in quo etiam vna aut altera betæ radix, ſi haberi poteſt, incocta ſit. Sed pridie veſperi ſub ſomnum, vellem te deuorare drachmam ſemis pilularum vitę ſeu communium, è qua ferè pilu-læ quinq; factæ ſint cum oxymelite ſcyllitico: nam alioquin Co-rallina pueris ferè ſolùm dari ſolet, tanquam infirmior pro adul-tis. A prandij initio memineris, vt plurimum nucleos perſicorum ſex aut ſeptem deuorare; nam & lumbricos eliminant, & aliâs v-tiles ſunt valetudini. Suadeo etiã vt abſinthati vini ad aliquot dies hauſtum in prandeo primum bibas, poſtquam parum cibi ingeſ-ſeris: deinde diebus aliquot intermiſsis, repetas. Si paratum non habes; vino bono abſinthium ſiccum inijce cum pauco cinnamomi, inulæ, & galangæ ac modico ſale. Poteris etiam quotidie, vel ſæ-pius, manè quantum piſum eſt vel faba, grumum ſalis deglutire. Cappares, aut oliuas menſæ adhibeto. Ex radicibus betarum & cichorij in aqua elixis per ſe, vel cum naſturtio aquatico elixo mo dicè, ſale & oleo, & aceto aut vino copioſe adiectis acetarium pa-rato: Et cum flores perſicorum eruperint, vnum aut alterum ma-nipulum in acetario edas: aut ex multiplici eorum infuſione, ſyru-pum ſolutiuũ parari iubeto. Ex ſiccis cardui benedicti folijs, cum pauco cinnamomo, fœniculo & ſaccharo puluerẽ parato ſeu tra-geam, qua vtaris cum pauco pane toſto madente vino, manè, vel à cœna. Hæc & lumbricos pellent, & valetudini tuæ in vniuer-ſum, vt ſpero, conferent. Si opus erit, quod non puto, aliâs valen-tiora mittã. Memini me non ſemel lumbricos tredecim cubitorum expuliſſe, &c. Vale in Domino, Tiguri anno 1561. Martij die 7.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

NObiliſſimi viri D. Friderici à Salice, doctiſsimã ad te epiſtolã ſumma cũ lętitia & voluptate plegi, eruditè. n. & planè dili-

genter fontem illum acidulũ, ita vt deſiderabã, deſcripſit: & corollarium de altero etiã fonte ſeu riuo, ſanè memorabili, addidit. Et quanquam ego de medicatis ſolùm fontibus lucubrationem inſtitueram, tamen hunc quoq; non prętermittam, ſi vixero. Specimen illud ex fontis decoctione, ſummopere mihi placuit. raram enim & omnino peculiarem aquæ illius naturam ex eo facilè conijcio: materia eſt ſalſa & amara: quam equidem nitrum amarum dixerim: nam illud quod è fonte Scultini excoximus, ſalſum magis eſt, & acrius. Sed cõſiderabo diligentius paulatim, & in libro hyeme proxima ædendo, vt ſpero, iudicium meum, vnà cum D. Friderici deſcriptionibus & honorifica eius mentione exponam. Epiſtolam eius ad te remittam, vel cum hac nunc, ſi potero, vel die Veneris proximo. Cùm ad D. Fridericũ ſcripſeris, ſummas meo nomine gratias ei ages, quòd in hoc officij genere adeò promptam & diligentem operam nobis nauarit: meq; huius beneficij memorem gratumq; futurum promittes, & exemplar libri, quandocunque editus fuerit, me tranſmiſſurum. Gratulatus mihi ſum certè plurimum ex epiſtola eius perlecta, de tanti viri nobilitate, doctrina & authoritate præcellentis, non vulgari erga me beneuolentia: Deinde quòd te quoq; & D. Bullingerum noſtrum (cui epiſtolam exhibui) tanti faciat, cognoſcere iucundiſsimum fuit. Debebam ſanè tibi quoq;, ſuauiſsime mi D. Fabrici, horum bonorum mihi conciliatori, vel plauſtra gratiarum agere, ſed non dubito animum ergà te meum; ita tibi notum eſſe; vt etiamſi ſimplicius & inciuilius ſæpè tecum agam, minimè commouearis. Vale. Tiguri, Anno 1561. Septembr. die 3.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

Nimium tu verò officioſus es chariſsime Fabrici: quaſi verò amicitia noſtra non maior ſit, quàm quæ tale quicquam requirat, adde etiam occupationes vtrinq; noſtras, maiores, quàm vt hoc officioſo genere ſcribendi, occupari nos ſinant. Sed tua quidem erudita epiſtola me oblectauit, ego qui breuius reſcribo, nec tecum certo ciuilitate atq; humanitate, veniam peto. Gaudeo aliquid eſſe quòd te oblectet in eo quod miſi volumine. Præceptoris nomen, quod mihi tribuis, non agnoſco, & vt eo in poſterum abſtineas, rogo. Flores qui apud vos media hac bruma florent, miratus ſum. Floret nunc in hortulo meo Arthriticę ſpecies olim à te

miſſa, quæ ſingulos flores ſingulis petiolis ſuſtinet. Floret etiam Hypogloſsis ſeu Laurus Alexandrina, cuius folium ad te mitto: prominet è medio folio lingula, è qua floſculi terni prodire ſolēt: ſed vnus tantum in eo, quod mitto, explicitus eſt. Ex Italia plantas duas accepi. Arbuſcula cuius flores miſiſti, Dioſpyros à nonnullis vocatur, in Creta Codomalon: Bernenſibus, flübirle / noſtris wild küttenen / ꝛc. Electuarium ex eius fructu paratum habeo: abundat in Albio monte noſtro. Vale. Tiguri, Anno 1561. Decemb. die ipſo brumali, hoc eſt, breuiſsimo.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

NObilem hunc & eruditum iuuenem, qui has tibi reddit, Scipionem N. nomine, humanitati tuæ, chariſsime D. Fabrici, etiam atq; etiam commendo. Noui ipſum diu familiariter, in vicinia enim apud M. Petrum Correctorem, ante duos aut tres circiter annos, hoſpitium habuit: menſa verò vſus eſt D.D. Petri Martyris. Virtus eius & pietas nobis omnibus notiſsima & luculenta eſt; eoq; nomine meritò à nobis omnibus mirificè amatur. Vixit aliquandiu Geneuæ, vnde nunc venit, & inde à viris pijs & eruditis, ad me aliosq; literas, quæ de eius virtute & pietate ampliſsime teſtantur, attulit. Quid petat, aut qua in re ei adeſſe poſsis, ex ipſo melius intelliges: & proculdubio D. Bullingerus ad te et ampliſsimos conſules veſtros perſcribit. Id quidem præſtare vobis facile eſt, ipſi verò & pijs ex Italia quorum nomine petit, neceſſarium. Fac obſecro mi D. Fabrici, vt intelligat, ſe & commendatum tibi à me eſſe, & meam quoq; in gratiam; ſi opus foret, te aliquid facturum. Etſi res ipſa eiuſmodi eſt, vt ipſo pietatis officio exigente, non in vllius hominis gratiam, te aliosq; viros bonos æquos & fautores ac promotores habere mereatur. Sena illa ſylueſtris, Colutea quibuſdam dicta, cuius folliculi inanes & inflati, ſemina quædam φακοειδῆ continent, naſcitur ne ſponte apud vos? nos in hortis colimus, verbꝛunne küchle quidam vocant: folia ferè, vt Senę folia, aluum ſoluunt, ſed ignauius. Baccæ illæ rubræ rotundæ, vmbilico quinque partito inſignes, quas miſiſti, non ſunt Cotonaſtri, ſed Chamæmeſpili, quam ego ſic vocaui & deſcripſi cum operibus Cordi pagina 214. vbi proceritatem eius cubitalem ſolùm eſſe ſcripſi, proceriorem enim non videram: itaque bene cecidit quòd aberraſtis, vt hoc obiter addiſcerem. Coto-

naſtri

aſtri folia maiora ſunt, baccæ non adeò rubræ, nec ita rotundæ, neq; vmbilico ſimiliter diuiſo. Huius quoq; aliquando plantã paruam (parua enim facilius quàm magna creſcit, & commodius portatur,) vnam aut alteram ad me mitti velim, ſiue hoc vere adhuc, ſiue autumno, ſi vixerimus. Vale. Tiguri, anno 1562. Martij die 20.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabritio, Curiæ.*

QVod tanto itinere in meam gratiã tu & D. Pontiſella vos fatigaſtis, nouo et maximo beneficio me vobis obligaſtis. Det Deus vt aliquando me vobis gratum exhibeã. Quod ad hiſtoriam ſtirpium meam maturandam, antequam humanitus aliquid accidat, in hac præſertim ætate, tam eleganter & grauiter me hortaris, rectè tu quidem & amicè facis, daboq; operã vt quoad eius fieri poteſt deinceps admonitioni tuę paream. Nam & ipſe indies magis magisq; ſentio me hominem, nec procul à mortalitatis fine abeſſe. Quæ de fontibus acidis duobus illis in pratis montanis ſupra Curiam ſcripſiſti, non ſine voluptate legi: ac pro miſſo experimento ac limo gratias habeo, conferam illud cum experimento alterius quod pridem miſiſti. Sandthorn veſtrum video prorſus eundem eſſe cum Oleaſtro Germanico Cordi: in cuius deſcriptione lacunæ quædã à Cordo relictæ ſunt, quas tu & D. Pontiſella facilè poteritis ſupplere per ociũ, ſi florentẽ obſeruaſtis, etc. Alaſaſæ arboris, vt Engadini vocant, nomina & magnitudinẽ diſcere iucundum fuit: nam apud nos multò minor naſcitur circa Silam torrentem propè urbem. Non eſt autem ceraſus illa ſylueſtris quæ Mahaleb Arabicè dicitur, vt tu putas: etſi pictura illa in Cordi libris folio & fructu ei perſimilis ſit. Mahalebi veræ fructum M. Iacobo dedi, & locum ſupra Vueſam vbi naſcatur, edocui. Eius nuclei duntaxat propter odorẽ & remedia quædam, & calculum renum præcipuè, expetuntur. Alaſas nomen forſan, ab Alaterno detortum eſt: quod nomen Latini veteres vni cuidam arbuſculæ ſylueſtri tribuebant. Hodie à Gallis & Italis ad diuerſas, ni fallor, refertur. Cum poſterioribus tuis accepi folia & flores Coluteæ à quibuſdam dictę, ego Senam ſylueſtrẽ vocare malim: nõ quòd verè gentilis ſit Senę, ſed quia magnam in folijs, fructu ac viribus ſimilitudinẽ habet: ſoluit enim aluum paulò minus efficaciter quàm ipſa Sena. Aliqui propter raritatem ac pulchritudinem, aut etiam vſum medicum, in hortis alunt. Vale. Anno 1562. Octobris die 12.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

OCcupationibus tuis ignoſco mi D. Fabrici: & mihi viciſsim veniam peto, ſiue ſcribendo fortè, ſiue aliter officio meo minus ſatis fecero. Quod ad calculum, condoleo tibi: eius quidem rudimenta in me quoque ſentio. Non dubito, quin fraga adhuc apud vos reperiantur: Ea bene matura in phialam aqua ardente optima plenam conijcito, poſt horas quadraginta circiter, colato, & rurſus noua fraga in eandem aquam ardentem inijcito, ac ſic relinquito optime tecta et munita, ne quid expiret. Prima autem fraga quę poſt colaturam ſuperſunt, per linteum validè exprimere poteris, & expreſſum eum liquorē, ſeorſim ſeruare. Cum vti voles, ter aut quater in menſe, cochlearium plenum ſumes manè, & addes puluerem de ſacchar o cando. Gratum & efficaciſsimū hoc remedium eſt, quod aliqui vltra viginti annos calculo conflictati, præ cęteris omnibus, quę innumera eis diuerſi medici præſcripſere, mihi commendarunt. Sed in victus ratione curam adhibebis, ne craſsi & viſcoſi humores generentur. Conſule igitur medicos veſtros, & ter aut quater in anno leui purgatione vteris: interdum ſolio aquæ calidæ, cui incocta ſit copioſa malua, chamæmalum, hedera terreſtris, artemiſia, melilotus, vacuo ventriculo. Mitto nunc aliam herbam, Bärlapp Germani vocant: eſt autem ceu muſcus quidā lignoſus & vimineus, vt huius quoque nomen exploretis mihi, ſi quod ſit apud vos, aut D. Pontiſella Italicum quoque aut ſuæ patriæ: amat enim montana loca, & vbique ferè celebris. Semen ei in panniculis pulueri ſimile, quod mirè efficax eſt contra calculos. Pulmonariam aliqui vocant, à remedio pulmonibus celebrato: inijcitur & vino pendulo (mucido) vt ipſum reſtituat. Repit per terram, & radices agit vbi contingit, per interualla, &c. Dubito an Sandtdorn frutex, poſsit eſſe Lonchitis Indica Dioſcoridis. Videat D. Pontiſella per ocium, an virgę eius rectę ſint, tricubitales aut maiores, à radice ſtatim numeroſæ & rubo craſsiores, & an cortex fractus ſubrubeat. Velim etiam ſuccum mihi exprimi ex acinis & decoqui ad ſpiſsitudinem mediocrem. Audio te habere probatiſſimum quoddam remedium pro mammillis mulierū. Id ex te cognoſcere velim vbi vacabit: interim hoc meum tu accipe. Ad Cataractas (Latinius ſuffuſiones oculorum dicunt, noſtri ſtarren) quas plerique omnes chirurgia tantum curari poſſe exiſtimant, à doctiſsimo & amiciſsimo mihi medico perſæpe experto, his die-

bus

bus myſterium hoc ad me perſcriptum eſt. Ex fece olei & omphacio, id eſt, de vuis acerbis expreſſo ſucco, vnguentum fit, quo malum hoc ſine morſu & periculo curatur. Placet remedium Theophraſti ad peſtem, adhibitis gallorum podicibus, &c. nam & alij quidam doctiſsimi de peſte ſcriptores, idē tradiderunt. Sed prius euocari toto corpore ſudor debet, tali medicamento plerunque, (pueros enim excipio.)

℞. theriacæ optimæ ℈. ij. philonij Romani ʒ. ſ. camphoræ, euphorbij ana gran. iiij. cornu monocerotis, aut terræ ſigillatæ ℈. ſ. cum pauco aceto diluta bibantur, & ſuperſudet æger. Huic ego (cum gratia Dei) plurimum confido. Vale. Tiguri 64. Iulij die 21.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

PErgrata mihi fuit epiſtola tua doctiſsime Fabrici, qua non ſolum amicitiam noſtram officioſè confirmare voluiſti, ſed condimentum etiam addidiſti, quo ego quidem maximè delector. Quamobrem gratias tibi habeo, & ſi quid poſthac etiam rariuſculum inueneris, mecum vt communices, oro. Ex tribus illis herbis quas miſiſti, prima, quam vulgò ab auro denominant, Polium eſt, aut Polij ſpecies, & à medicis ac pharmacopolis pro vero Polio vſurpatur. Noſtri ſpeciem aliam, Dioſcoridis deſcriptioni magis conſentaneam, Lugduno accerſunt. Sed omnino generis vnius ſpecies duæ ſunt. Naſcitur apud nos quoq; ſatis copioſè, ſed vno tantum in loco, & anguſto tractu. Altera Apio ſatiuo ſimilis, nulla apud nos eſt: memini tamen circa lacum à felibus dictum, inueniſſe. Seſeleos ſpeciem neq; ipſe putarim. Nam omne Seſeli radices vegetas & ſatis validas habet, & caput radicis ſetoſum, quod & alijs quibuſdam vmbelliferis, ſed paucis contingit. Sed neq; Petroſelinum Macedonicum. hoc enim Galenus in petris quidem montium, præſertim Macedoniæ, naſci ſcribit: ſed adeò medicatum & vehemens, vt nullum Apij genus acrius, amariusq; reperiatur, quibus etiam qualitatibus vniuerſam theriacam inficiat. Ego Aſtrantiam in eius vicem ſuppono. Oreoſelinum appellemus licet, quòd & montana ſit herba, & ſelino quam ſimillima. Semen eius maturum ad me mitti cupio, vt certius iudicem. Tribuit enim ei Dioſcorides ſemen cumini, oblongum, acre, odoratum, tenue. Noui & alias duas Oreoſelini ſpecies. Exiſtimandum eſt autem nullas propemodum herbas eſſe, quæ non genus aliquod conſti-

ſtuant, in duas aut plures ſpecies diuerſas diuidendum. Gentianam vnam priſci deſcribunt, mihi decem aut plures ſpecies notæ ſunt. Tertia, Caryophyllata alpina, quæ vt cætera minor eſt campeſtri & vrbana, ſic capitulum ſeminum multò maius habet, inſtar penicilli hirſutum, & ſi bene memini, incanum. Vale, Iunij die 4.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

PRopoſueram vos inuiſere hac æſtate, ornatiſsime Fabrici, ſed Voluminis mei περὶ ἐνύδρων editio, diutius, quàm putabam, protracta, & ædium mearum ędificatio, hactenus diu & adhuc me occupat: itaq́ in aliud tempus differre cogor. Herbas montanas abs te miſſas libentiſsime vidi. Doronicum, quod Müterwurtz appellatis, aliqui Graſſoy/vel Gemſenwurtz: non aliud orientale quàm noſtrum eſt: niſi quòd ſolum natale diſcrimen aliquod facit. Montana verò illa herba, flore quidem Doronici, ſed folijs plantaginis, radice aromatica, ſui omnino generis eſt, cuius equidem vetus nomen ignoro. Nimirum quod in Oceani piſcibus nobis vſu venit, vt multorũ veterũ nomina ignoremus, quòd Oceani piſces, ab antiquis non ſint deſcripti, ſed mediterranei duntaxat maris, cuius Græci Latiniq́ accolæ fuerunt: idem περὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα contingere non eſt mirum: alpinas enim herbas pauciſsimas memorant authores, & ſuas ſingulis fermè regionibus peculiares haberi certum eſt. Herba illa folijs tenuiter inciſis, flore aureo rutilante, hactenus nunquam à me viſa, plurimũ me oblectauit, magnam eius vim, vehemens in guſtatu acrimonia, arguit. Oblectauit me etiam rarum illud Piloſellæ genus: quanquam etiam prius videram, & pinxeram. Gnaphalium alpinum vocemus licet. Herbula illa tibi incognita, vmbellis aut potius corymbis florum luteolis & ſuaue olentibus, vt ſcribis, aridi quidem nihil olent; θλάσπεως ſpecies quibuſdam videtur: ego vero ἐπέχω, qui ſeminum vaſcula nondum viderim. Thlaſpi enim omne, τὰ [illegible] habeat oportet vt φερώνυμον ſit, id eſt, ſuo nomini reſpondeat. Vale. Auguſti die 2.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Fabricio, Curiæ.*

PRo literis tuis, nimium quidem officioſis illis, doctiſsime Fabrici, & rebus varijs pulcherrimisq́, quibus vnà miſsis me ditaſti, plurimum tibi debeo. Philonem tibi gratum eſſe, gaudeo, ſed

quota

quota pars hæc eſt debiti mei? Meminero, ne dubita, officij mei, & alijs aliâs miſsitandis me ſaltem non vndiquaq; ingratum tibi declarabo. Vellem equidẽ te aliquid à me petere, nunc quia nõ petis, leuicula quędam & nimijs interuallis, mitto. Da obſecro mihi veniam, qui te hominem grauioribus & ſacris ſtudijs occupatiſſimũ, nugis meis toties interpellare non erubeſcam. Si mihi hoc medici veſtri aut Pontiſella præſtarent, deſinerẽ tibi eſſe moleſtus. Gladiolus minor tuus, proculdubio Crocus montanus eſt, antiquis etiam memoratus: talẽ enim omnino qualẽ miſiſti, croci floribus, Benedict⁹ Martinus, vir eruditus, Bernẽſis, ante bienniũ ſuis coloribus pictũ ad me miſit: ſemina hactenus nõ videram. Creſcit ne apud vos copioſè? quo loco? quali ſolo? an in vllo vſu aut honore? radices pluſculas, vt pangã, cum occaſiõ fuerit, vt promittis, expectabo. Lunariam Græcam, quam Flitteren appellant, multam iam hic habemus, ſed floribus inodoris: quibus odoratis genus alterum reperiri audio, hactenus mihi non viſum. Violam quoq; alpinam illam, cœruleis floribus ſcitè diſſectis inſignem, quã abs te miſſam plantaui, aliqui Lunarijs adnumerant, & vim ferri attrahendi; (ita vt equorum etiam tranſeuntium vngulæ ſoleis ferreis priuentur) attribuunt: quàm verè, ipſi viderint. Rara mihi eſt etiam arthriticæ (von Schlüſſelblůmlinen) illa ſpecies, floribus ſingulis, non in corymbis. Miſiſti cum reliquis ſpeciem Aquifoliæ, (deß Stechenden palmens) nullis per marginem foliorum ſpinis, præterquàm in mucrone: quod an ei perpetuum ſit, & ad quam altitudinem perueniat, ſcribes aliquando, & fructus maturos mittes, ſi commodè fieri poterit olim: aut plantam exiguam cum radice. Vale, Iunij die 16. Anno 1559.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Funckio medico doctiſſimo, Memmingæ.*

GRatiſsimum eſt officium tuum, quo meas ad amicos & illorum ad me literas, ſubinde tranſmittis, chariſsime D. affinis: & æquum erit, vt aliquando de gratitudine cogitem. Flos à te miſſus, hepaticæ albæ nomine deſcribitur à Valerio Cordo deſcriptionis plantarum libro 2. capite 115. vbi ego iconem quoque præmiſi. Antiquum eius nomen apud Græcos aut Latinos nullum inuenio. Saxones & alij quidam Germani Läber Blůmli vocãt, vnde Hepaticę nomẽ Cordus finxit: exiſtimatur enim hepati prodeſſe, eſt quidẽ ſubamara. Poloni vocabulo quodã ſuo appellant, quod noſtra lingua ſonaret Neünkrafft / Græce ἐννεαδύναμιν,

vt Schneebergerus meus annotauit. Ego his diebus me purgaui ſcrupulo vno Gratiolæ herbæ tritæ, admixto cum rob ſambuci acinorũ: vnde copioſe & vomitu & aluo purgatus ſum à pituita viſcoſa & aquis maximè, non ſine moleſtia. Hoc etiam D. Occoni ſcripſi. Nuper cum remedia quædam darem pleuriticę anui, decoctionem fœnogræci meam, & parum oxymelitis, &c. ea melius habere cœpit, & per aluum deiecit ſcarabei genus nigrum, longis pedibus, & cornibus quoq; longis, ac flexilibus, articulatis, vndique plenum pure, viuum, longitudine duorum articulorum digiti: prius autem aliquandiu in ventre neſcio quid inquietum et vellicans ſentire ſe querebatur. Vale. Tiguri 1564. Martij die 26.

CONRADVS GESNERVS IOHANNI *Funckio medico.*

ACcepi quæ D. Occo miſit, & gratias tibi ago. Vxoris tuę valetudinem Deus Opt. Max. reſtituat ſua gratia. Quod vrina interdùm craſſa & ferè nigra eſt, nõ malum in hoc morbo ſignum videtur, præſertim cum in hypochondrijs et lumbis non malè habeat. Menſes fortè non ſatis purgati ante hunc morbum; & nunc etiam in ipſo morbo; huius rei cauſa ſunt: interim verò niſi natura & facultas expultrix validior eſſet, non poſſet malam hanc materiam expellere: quamobrem ſpero eam ante ſolſtitium; Deo fauente, melius habituram. Tu interim pro tua induſtria ei proſpicies, ita vt non niſi leuiter euacues per interualla. Primùm velim eam ſumere oxymelitis noſtri ℥. i. ſ. cum duplo ſyrupi de limonibus, aut de liquiritia; ſi tuſsis adhuc infeſtet, & hoc vel lambere, vel, ſi malit, bibere, cum aquis hyſſopi et cichorij ana ℥. ſ. idq; continuare triduo. Si oxymeli meum non habes, Auguſta habere poteris, nam D. Achilles paratũ habere ſolebat. Poſt hæc leuiter purgabis cum decocto communi, aut ſimili, optimè colato, cui ſyrupum de roſis ſolutiuũ vel de cichorio cum rhabarbaro, vel vtrunque addas. Deinde olei vitrioli guttas quinq; ex vncia i. ſ. aquæ abſinthij cum ℥. ſ. ſyrupi violarum dabis ſi placet per biduum: poteris autem Auguſta habere D. Occonis opera, qui vel aliunde vel à Sigharto Pharmacopola mihi chariſsimo accipiet. Sic ſperarim omninò, & febrim primùm deſituram, & quæ eam comitantur ſymptomata. Matri tuæ his diebus calculus moleſtus fuit: nunc meliuſculè, lapillo excreto, habet. Vale. Tiguri 1564. poſtridie Penteceoſtes.

CON-

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Funckio medico.*

LIteræ tuæ ſeptimo Decembris datæ, tardius huc perlatæ ſunt. In iis attingis quæſtionem illam. Vtrum venæ ſectio fieri debeat in peſte ante aut poſt ſudorem: quam ego certè veluti dubiam & diſtinctione indigentem relinquo. Vt plurimum tamen & in pleriſque, ſi ea opus habere æger videatur, ante ſudorem, aut etiam ſine ſudore quandoque imperanda videtur. Nos hactenus experiundo nihil ferè effecimus, nulla in tempore data occaſione. Nunc Dei gratia in totum fermè remittit peſtis, maximo frigore oborto. Nos iam perſæpe vtiliſſimum experti ſumus aceti ſtillatitium liquorem, cuius compoſitionem etſi te habere puto, hic adſcribam.

Nuces iuglandes immaturæ (*in iuglandium defectu ſemel & iterum cortices Tamariſci radicis accepimus: licebit & Fraxini corticem ponere*) circa diem S. Iohannis in primis (nos hic in Octobri etiam immaturas adhuc inuenimus de ſpecie quadam iuglandis, quæ non ante Solſtitium germinat) numero centum, minutatim contundantur aut concidantur. Scabioſæ, Verbenæ, Solani, Semperuiui ana: M. j. miſceantur, & affuſo aceto optimo bulliant: dein ſic maneant per noctem, poſtridie deſtilentur igne leui. Sic habet deſcriptio, quam reperi in libro Germanico Auguſtæ olim excuſo: cuius titulus eſt. Kalender von aller hand artzny durch anzeigung der ſiben Planeten/ꝛc. ſub finem eius in libello ſanè vtili Michaëlis Schrick de aquis deſtillatis: tribuit autem hanc compoſitionem medico Turcæ innominato. Doſis eſt, vt ſcribit, cochleare j, ægroto ditum. Ego ad præſeruandum tam parum darem, ad curandum verò vnam aut alteram vnciam. Omnino ſudorem ſtatim mouet. Miſceri poterit ei, theriacæ vel alterius antidoti doſis conueniens. Gratus omnino liquor eſt, & internos æſtus ægregiè extinguit ſine vlla noxa; ac vires labantes reuocat mirè, ſiue per ſe, ſiue cũ ſyrupo de acido citri ſucco detur. Deſperatos etiam refocillat. Nuper virgini tertio die à decubitu conſilium quærenti, duo cochlearia eius dedimus: vnde cum ſtatim circa cor melius haberet, neque ſudaſſet antea, paulò poſt remedium ſudorificum dedimus, ſudauit, conualuit. D. G. Viro iam deſperato, cum dediſſet mulier quædam, quæ à nobis acceperat: hoc, inquit ille, omnia quæ medici hactenus dederunt, remedia ſuperat. Plurima teſtimonia addere poſſem, ſed hæc ſufficiunt. Ego ſolidi parum expe-

periri poſſum : in tota enim hac peſte, nunquam à principio vo-
catus ſum, non ſumpto prius remedio aut ſecta iam vena ab ægro
tis. Aliqui medici eruditi in ea ſententia ſunt, non dandas eſſe an-
tidotos nimium calidas, vt ſunt theriaca, elect. de ouo, &c. & ſu-
dorem non à principio ſtatim mouendum : ſed poſt leuem purga-
tionem, tertio ferè die aut quarto : neque tandiu ſudandum, vt fieri
ſolet. Hiſpani Album animæ, vel Anymum album vocitant, liquo
rem quendam concretum : quem Amatus Luſitanus Laccam eſſe
ſomniat, eum nuper Pharmacopola quidam ad me miſit: eſt autem
(quod ſtatim deprehendi) ſuccini (Galli ambram vocant) Indici
vel ex nouo orbe, ſpecies albicans, translucida. Habeo & Aethio-
pici ſuccini candidi, tranſparentis & ſuauiter odorati particulam.
Vale. Tiguri 1564. Nouemb. die 19.

CONRADVS GESNERVS IOANNI
Funckio medico.

RESpondeo D. Occoni : ad quem literas meas non obſignare
cum ſtatuiſſem, neſcio quomodo oblitus ſum: ſed reſeraui vt
tu quoque legas, ſi placet, & poſtea mittas. Tertias qualitates aut
facultates è ſecundis manare puto, ſecundas è primis. Interim fa-
teor multas rerum multarum rationes nobis eſſe incognitas, qua-
rum fortè aliquæ, nulla qualitate ſenſibili, ſed à meliore cauſa, for
ma eſſentiali fiunt: multa verò formæ tribuere puto homines, pro
pter inſcitiam, quoniam cauſas rerum, quas inuenire poterant,
non indagant. De tempeſtiua ſectione venæ ante vel poſt ſudo-
rem, vix aliquid ſtabile decerni poteſt, cum circumſtantiæ infini-
tæ accidere poſſint, propter quas medicus ex arte & induſtria ſua
aliquid mutare poteſt ac debet. Omnia mea præpropera, αὐτοσχέδια,
& præ feſtinatione penè abortiua ſunt. Ignoſce occupationibus
meis. D. Bullingerus te reſalutat. is ante biduũ primùm exiuit, &
cōcionem habuit. Oxymeli meum experior peſte correptis etiam
vtile, ſiue à principio dentur drachmæ duæ, circiter cũ aliqua leui
aluum ſoluente potiuncula, ſiue etiam poſtea, vt venenum pro-
trudatur à centro ad ſuperficiem & apoſtemata, vtꝗ meatus cor-
poris diuerſi aperiantur drachma vna, vel j. ſ. cum ſapa aut alio
grato liquore. Mitto editionem ſecundam libelli noſtri, in qua de
phlebotomia præſertim paulò fuſius. Vale. Tiguri 1564. De-
cembris decimoſeptimo.

CON-

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Funckio medico.*

HOdie alteras tuas accepi, vnà cum gratiſſimis mihi D. Occo-nis, & D. Culmanni literis, quibus reſpondebo vel nunc, ſi liceat, vel proximè. D. Culmannum noſti puto, conuictorem meum olim fuiſſe, anno aut amplius. Vir eſt planè bonus & eruditus. Pro tuo officio quod nobis in tranſmittendis mutuis literis offers, gratias ago. Gratum fuit & quod de cichorij puris floribus deſtillatis ſcribis: an verò calculi illi eius vſu in puero expulſi, à renibus aut veſica oriundi fuerint, non ſatis exprimis. De arteriotomia illa, quæ meo conſilio feliciter ſucceſſit, non vacat nunc ſcribere. Summa eſt: Chirurgus hic laborans immani hemicranico dolore, meo conſilio arteriam in crotapho affecto (vbi arteria inflata apparebat) per tranſuerſum amputauit, & ſubitò conualuit, & hactenus multis iam annis non rediјt dolor: cum prius anno interpoſito rediјſſet. Mira eſt hiſtoria, aderat & D. Thaddæus Dunus. Oxymeli quoque meum non vacat iam deſcribere; multum quidem à Iulianico diſtat. His diebus pleuriticum ſenem bibliopolam ſeptuagenarium, vena non ſecta, oxymelitis vſu & decoctione fœnogræci mea, curaui, Dei gratia, probè. Is verò ſibi antequam me accerſeret, cataplaſma ex abſinthio in aceto ferueſacto, calidum ter quaterue adhibuerat, quo aliâs ſe adiutum aiebat, nunc ferè nihil prodeſſe. Hoc quidem ex abſinthio remedium aliâs etiam ab Empirico quodam valde mihi eſt commendatum in pleuritide, vt nō dubitem ipſe etiam eius periculum facere aliâs. Hæc ſcio te cum D. Adolpho communia habere, cui me excuſa, quòd non ſcribam: conniuent oculi, nimia iam nocte. Vale. Tiguri 1565. Ianuarij die 21.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Funckio medico.*

ACcepi chariſs. D. affinis, numos D. Simleri noſtri, & alia à D. Occone miſſa: & magnas tibi gratias ago. Beryllū quoq; gemmam cum cæteris, libentiſſimè vidi: & eam cum his remittam in pegmatio ſeu vaſculo ligneo, ſi mater tua tutò fieri poſſe putarit: ſi acceperis, tu quoq; curabis, vt non niſi certiſſimo nuncio D. Occoni remittas, vbi tu prius inſpexeris. Eſt ſanè pulcherrima & magni precij, nec vidi pulchriorē. Si ſub die ſereno, imò ſub tecto etiam: in Muſęo mihi intuenti, ſpecularium (feneſtrarum) imagine

κατόπτρου δίκην mihi regerebat, intuearis, præter candidum ſplendorem, cœrulei vireſcentis aliquid animaduertes. Τοῦτ' ἐστὶ θαλαττοφαβοῦσας καὶ γλαυκίζουσαν χρόαν τὴν τοῦ βηρύλλου ἰδίαν τοῦ πρώτου εἴδους κατὰ Ἐπιφάνιον. Ego rude quoddam ſpecimen olim à gemmario emi (cuius color plus cœrulei habet) non berylli, ſed aquæ marinæ nomine. Aurifabri noſtri quoque Berylli nomen non agnoſcunt: ſapphiri autem ſpeciem hanc gemmam eſſe putant, & præduram eſſe, ideóque inter ſculpendum in ſima eius parte aliquid reſiliiſſe. Plura de Beryllo ex Collectaneis meis nondum impreſſis perquirerem ac deſcriberem tibi, vt maiori voluptate inſpiceres: ſed non vocat. Folium è Galliis Auguſtam tranſmiſſum planè nouum mihi fuit: quamobrem guſtare volui. illico autem magnam acrimoniam ſenſi, tertii gradus, quæ plurimum ſaliuæ aquoſæ elicit, vt ea ferè quę ſumpta purgant aquas, Laureola, Thymelæa & huiuſmodi. paulò poſt etiam vertiginem ſenſi, cui alioquin non ſum obnoxius, & poſtridie cum rurſus manderem, ſingultum & vertiginem rurſus: quare os ablui, & cochleare aceti ſorpſi, ita diſcuſſa eſt vertigo. Quicquid eſt, veneno carere non puto: in cane experirer ſi pluſculum haberem, ſed folium integrum inuitus diſcerpo. Depingam, donec integrius, aut plantam (quod optarim) integram aſſequar: & ne prorſus ἀνώνυμος, Vertiginoſam vocabo, donec aliud nomen audiam. Vtinam D. Occo plantam integram & ſemen mihi acquirere poſſet vndecunque, & quæ de eius natalibus, nomine, viribus feruntur, percunctatus ad me ſcriberet aliquando. Eadem verò opera de alia etiam noua herba in Gallias nuper allata (& Lugduni nota, Nicotianam à legati nomine, alii Pontianam vel Potium Theueti qui Galliam Antarcticam ſcripſit, vocant) inquirat & ſemen petat: iconem eius, ſed imperfectam habeo, & mira quędam de facultatibus eius ad me perſcripta. Cæterum planta illa, quam D. Occo in ſylua quadam ducatus Vuirtembergenſis vnicam reperit, frequens nobis eſt, Vnſer frauwen ſchůle appellāt, hoc eſt, Calceolos virginis à forma floris, qui magnus, luteus, pulcherrimus, & planè calcei forma eſt. Vſus apud nos nullus. De veteri nomine dubito, quidam vir doctus Lonchitin primam eſſe putat: ego ad Aliſmatis ſpecies refero. Fructus, ſemen, odor & ſapor cum ſucco glutinoſo & ſubacri, τοῖς ὄρχεσι λεγομένοις cognatam eſſe arguunt, etſi radix teſticulata non ſit. Coſmoſandalos Pauſaniæ fortè fuerit: nam & ſandalii formam refert flos, & punctis ceu literis quibuſdam notatur, etſi Pauſanias Hyacinthum eſſe coniicit, ſed huic cum ſandalio nihil. Domino Simlero noſtro podagrico,

dagrico, ſi quid tu quoque conſilij, de ſententia Rondelletij, vel aliud dare potes, rem nobis gratiſsimam feceris. Oblitus ſum ad D. Occonē ſcribere de puluere Iouis dicto, quo D. Achilles Gaſſerus, ni fallor, in podagricis vtitur, vt de eo quoque ſententiam ſuam perſcriberet. Remedium quoddam eſt ſimile fere Diateſſaron theriacæ, ſed pluribus admixtis: puluis fit peramarus, cui aliqui etiam oſſa combuſta addunt, idq; pro magno arcano cælant, & per totum ferè annum, quotidie drachmam ſumi iubent. Ego medicamenta varianda, tum quia natura aliâs alia deſiderat, tum quia vni aſſueta parum amplius ab eo mouetur, cenſeo: & periculum videtur, ne tam longo vnius medicamenti tam validi vſu, totus corporis habitus nimium exiccetur. His Vale. Tiguri 1564. Nouembris die quinto. Oleo vitrioli aliâs, & aliâs oxymelite noſtro, quartanarios quoſdam curaui: nūc cuidam neutrum horum à me datum, profuit, ſuccus autem gentianæ bis datus, illicò febrim omnem licet grauiſsimam, ademit: ſicut & aliâs prius, vt tertianam notham, &c. D. Vuolphius & ego curamus cholericum quendam cholera morbo acuto laborantem: cui heri dedimus oleum vitrioli, & viſum eſt profuiſſe, ac mouiſſe aluum, de euentu, ſi meminero, aliâs. Vale iterum.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero Doctori medico Baſilienſi.*

PRo beneuolentia tua, doctiſsime Plattere, quam verbis prætetuliſti, cum æſtate ſuperiore nobiſcum eſſes, magnas tibi gratias habeo. expecto autem vt reipſa quoque eorum quæ deſidero aliquid præſtes. quod ſi feceris, & amari me abs te intelligam: & officij erga te viciſsim mei, memor ero. Theophraſti Paracelſi ſcripta quæcunque habes aut habere potes, cupio & oro enixè vt mittas, vnà cum libello quodam eiuſdem authoris apud vos (vt referebas) impreſſo. Ex rebus marinis tuis Paſtinacam, Polypum, Spadam & Lacertum, ſi placet, mitte: ſiue commodato ad aliquod tempus: ſiue dono, non ſine mutui muneris ſpe: ſiue precio. Aquatilium εἰκόνας ſeorſim nunc edendas curo, cum nomenclaturis variarum gentium diligenter & copioſe adſcriptis, quas, cum abſolutæ fuerint, ſi te deſiderare cognouero, mittam, & ſi quid aliud petes. Nam propter multa & magna optimi parentis tui in me beneficia, nihil eſt in rebus meis quod tibi negare aut poſsim, aut

debeam. Vale, & parentem meis verbis quàm officioſiſsimè ſaluta. Tiguri. Anno 1558. pridie Kal. Nouemb.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero Doctori medico Baſilienſi.*

POlypum, Paſtinacæ marinæ caudam, & Lacerti caput accepi: pro quibus humanitati tuæ, optime & chariſsime Plattere, maximas habeo gratias: vbi volueris remittam. Eſt ne hic Lacertus viridis? an vulgaris circa Monſpelium, & quantus? Imperatoris ſeu Gladij piſcis caput cum roſtro, per D. Simlerum noſtrum nunc vt mittas, rogo: & ſi opus eſt, ne frangatur, vaſe, vel aliter caueas. Remittam ad te, ſi voles, omnia: & ſi quid præterea volueris de noſtris rebus aut libris. Vtinam etiam herbas tuas aridas omnes ad me mitteres inſpiciendas, ſi quid fortè rari ineſſet: aut ſaltem Catalogum earum. ſi miſeris, integras remittam ſtatim. Theophraſti libros duos impreſſos accepi, quorum precium proximis literis indicabis. Ficus Indica mea, metuo ne quid patiatur: apparent enim in folijs paſsim maculæ multæ quaſi rubiginoſæ. Vas in quo eſt, collocaui in cubiculo tepido, contiguo hypocauſto meo. Gratiſsimum mihi erit iudicium tuum de compoſitione trochiſcorum theriacalium. Habeo Rondeletij de theriaca ſcriptum, in quo is, ſi bene memini, parum intereſſe putat, ſi pro vipera alij ſerpentes communes accipiantur. Quicquid à te proficiſcetur, non poterit non pergratum eſſe. Breui, vt ſpero, aliquid de noſtris lucubrationibus videbis. Vale. Tiguri. 1559. Ianuarij die 16.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

ICones animalium ad te perueniſſe gaudeo. Pro dente apri, maximas ago gratias. Oſteocollum lapidem nominaui, quem mihi retuleras in Palatinatu vel circa Heidelbergam reperiri, mirè in reſtituendis oſsibus fractis efficacem, cuius ſpecimen, id eſt, fruſtulum, peto, vt promiſiſti: ego forſan copioſius acquirere potero. Beinwell (puto) vocabas. Experimenta tua quæ ſeorſim conſcribis, vt matures, & ad me mittas, opto: idq; mutuò tantum. reddibit ad te tuum exemplar. & ſic me inuitabis, omnium alioquin occupatiſsimum, vt vicissim mea aliqua non vulgaria, tibi & in-

tuam-

tuam vnius gratiam conſcribam. interim cum ad me ſcribes, ſingula ſaltem aliqua mittito aut ſcribito, quod idem ego faciam, ne literæ noſtræ vltro citróque ſine aliquo rei medicæ fructu perferantur. Remedia tua ad elephantiaſin accuratè mihi perſcribi, rogo. Auocat nunc me cœna, & multa negotia: quamobrem ignoſce. Vale. Tiguri Maij die 16. Anno 1561.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

VIuis ne mi Plattere? & quid rerum agis, quæ noſtri memoriam tamdiu excutiunt? Nunquam ad vltimas meas reſpondiſti, & promiſſa quædam olim, nondum præſtitiſti. adeón' rei familiari augendæ totum te mancipaſti, vt nullus amicis locus apud te ſuperſit? Sed ignoſco: modò breui longam hanc taciturnitatem ſoluas, & vel verbulo ad nos ſcribas. In præſentia iuuenem hunc doctorem medicum pereruditum tibi commendo, nunc primùm ex Italia & à Concilio redit, &c. ignoſce neceſſariæ breuitati. oſtendas ei roſtrum Gladij, & ſi quid rarum habes. Vale. Tiguri. 1562.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

CVm vicinus hic meus ſubitò ſe deſcenſurum ad vos moneret, ſubitò etiam has effudi. Euporiſton Dioſcoridis liber Argentinæ impreſſus vt breui ad te perueniat, curabo. Tu munuſculum boni conſules. Plantas ſiccas tuas rogo vt iterum mittas, iam nunc enim ijs opus in primis haberem. Reddam integras bona fide. Sed malim dolio includi, quàm huic tradi: niſi commodè admodum ferre poſsit. Populum albam ſi paruula inueniretur, ad me perferret. Scripſi de eo ad D. Zuinggerum, &c. Bene valerem ego, Dei gratia, niſi me infeſtaret interdum dolor in dorſo & lumbis: quem partim iſchiadis reliquijs tribuo, partim præludenti in me calculo. Arenulas enim ſubinde reddo. tu ſi quid habes auxilij, mi D. Felix, communica, vt grauiſsimo huic malo (calculi dico, à quo magis quàm iſchiade mihi metuo) maturè reſiſtam. ego viciſsim, quid in calculo præſente & paroxyſmo ipſo feliciter ſim expertus aliquoties, ſcribam proximè. Nunc tabellarius moram non fert. Sorbus eſt ne tibi nota? an Baſileæ aut propè reperitur? florem pictum valde deſidero. Vale. Tiguri 1563. Martij 22.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

DE diuturno ſilentio tuo, doctiſsime D. Plattere, accuſare te non poſſum, cum ego quoque eiuſdem culpæ ſim reus: etſi ego mihi venia magis dignus videor. nam cum vterque noſtrum ſuas occupationes habeat; tuæ (ni fallor) priuatæ ſolùm, meæ verò publicam vtilitatem reſpiciunt, quam edendis meis in Stirpium hiſtoria tam diuturnis laboribus, promotum iri confido. Deinde cum tu poſtremis tuis ad nos literis, de tuo ad nos aduentu ſpem aliquam nobis feceris, ita factum eſt, vt officium literarum aliquandiu intermiſerim. Nunc quidem ea maximè cauſa ſcribo, vt te ſalutem, & me tui memorem eſſe declarem: deinde vt petam mihi veniam dari, quòd plantas tuas aridas tandiu retineo. Aeſtate proxima tota occupatiſsimus fui circa ſtirpes florentes & virides depingendas, ſumq; etiamnum. Hyeme autem inſtante, cum virides non ſuppetent, ad ſiccas me conuertam neceſſe erit: itaq; peto, vt ad Ver vſque proximum pro tua benignitate plantas tuas mihi permittas: quas integras cum gratiarum actione recipies. Mitto ſpecimen iconum noſtrarum, vt me ſeriò agere videas. Sorbus nulla apud nos reperitur. Tu ſi ramulum cum fructu, vel vtrunque ſeorſim, mittere poteris, rem facies mihi gratiſsimam. In Alſatia abundare audio. Ramulum vnum libro imponere poteris, donec mittendi occaſio ſit. fructus etiam adhuc reperiri ſpero, ſunt enim ſerotini: de iis paucos (ſex aut ſeptem) in vaſculo aut papyro inuolutos mitte. quod ſi in certa forma, vt botri, aliâue, creſcunt, plures coniunctos mittito. Si arbor paruula inueniretur, quæ plantari poſſet: gratiſsimum faceres, eam mittendo ante hyemem. poſſet autem tradi aurigæ alicui. Peto etiam arbuſculam minimam, vnam aut alteram populi albæ, quæ hîc non reperitur. Baſileæ autem in prædio parentis tui vidiſſe memini, ad ſtagnum puto. Poſtremò vnam alterámue plantam Eryngii deſidero; perfectas duas cum fructu (nam florem non amplius haberi metuo) & duas iuniores plantari aptas. & ſeminis aliquid in cucullo papyri. Aurigæ qui attulerit, ſatisfaciam. Plura nunc præ negotiis non licet. Saluta honeſtiſsimos parentes. Vtinam ante hyemem ad nos venires: facerem (Deo dante) ne te pœniteret aduentus tui. Audio excuſum eſſe recens Theophraſti quendam librum, ab Adamo à Bodenſtein editum: quicquid id eſt, cupio te indicare M. Petro Mechlinienſi,

vt ad

vt ad me mittat. Vale fœlicisſimè, Tiguri 1563. Octobris die 17.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

PEſtilentia, chariſsime mi D. Plattere, apud nos quoq; iam incepit, ſex aut ſeptem domibus infectis: & (vt audio) in vicinis quoq; oppidis ac pagis. Deus & vobis & nobis omnibus pro ſua infinita gratia ſit propitius. Optimi viri parentis tui & præceptoris mei conualeſcentiæ ex animo gratulor. Iniunxit nobis medicis magiſtratus, vt aliquo ſcripto breui pręſeruandi & curandi rationem communem aliquam, quoad eius fieri poſſet, complecteremur: quod vbi factum fuerit, hoc eſt, propediem ad te mittam. Singularia & ſecreta remedia ſi quæ haberem, tibi vni præ omnibus lubentiſsimè aperirem. Sed nihil ferè eſt, quod nō in editis aliquibus libris inueniatur. Aliqua tamen ſcribam, vt deſiderio tuo ſatisfaciam. De phlebotomia quæ nobis viſa ſint, D. Vuolphius noſter, ſe ſcripturum ad te recepit, & alia quædam. Ego miſſurus fueram deſcriptiones remediorum ex euphorbio duas vel tres, quibus plurimum tribuunt Itali & alij quidam: ſed iam non inuenio. Vnam in libello ſuo de peſte ponit Andreas Lacuna, ſi illum fortè habes. Mitto Euſtathij Quercetani, qui medicinam Franckfordiæ facit, epiſtolam: mittam autem propediem alia cum inuenero. Vtinam meliora ad te dare poſſem; in tanta rerum afflictione, ita me Deus amet, vel vitam meam tibi communicare paratus forem. Venio ad tua interrogata. Antidotus Saxonica, vt contra venena, ita & contra peſtem mirè efficax eſt. Amicus quidam meus, medicus nunc Argentinæ, (Erſchenreuterus nomine) ante annos aliquot Tubingæ peſte laborauit, & curatus eſt. Ante menſes autem decem ferè puto, Argentinæ, cum huius antidoti ʒ. j. ſumpſiſſet, præſeruandi ſe gratia, & in lecto ſudaret, eodem in loco vbi antea fuerat apoſtema, rurſus emerſit, ſed mox diſcuſſum eſt, nec mali quicquam eſt paſſus. Vtere igitur ea audacter. nam & calidiſsima quędam remedia continet, vt laureolam noſtram, zylanb dictam: & frigidiſsimam herbam Paris, quam noſtri Früẞle krut/ & Blater krut/ & einbeer aliqui vocant, quòd acinum vnicum inter folia quaterna habeat: inuenitur autem vbique circa ſyluas. Fuchſius aconitum primum ineptè facit. Reuera enim ſolanis cognata eſt herba. acinis eius deuoratis gallinas mori audio. Siccam vnam ad te mitto. Acinos iam in ſyluis defluxiſſe puto: in quorum locum ſubſtitui poſſent acini alterius ſyluatici ſolani, quod Woll-

wurtz / noſtri ſchlaffbeere cognominant: ſed tanto pauciores, quanto ſunt maiores. Vincetoxicum etiam, quod ad hanc antidotum requiritur, vbiq; circa colles & ſyluas reperitur: pharmacopolæ, & tonſores vbique habent, & ſchwalmenwurtz vocant. quamobrem non mitto. Angelicam ſylueſtrem ſatiuæ ſimilem, circa riuos & aquas inuenies. Germanicum nomen Bůchholter/ audiuiſſe aut legiſſe me non memini: neque caulis tanquam diſſecti memor ſum. radix liquorem luteum remittit, odoratum, acrem. Pro ea ſi hortenſem angelicam duplicaueris, nihil errabis. Sudorificis medicamentis ſanè plurimum tribuo, ſi nihil impediat & tempeſtiuè fiant. Habes in Euonymo meo deſcriptionem aquæ vitæ cuiuſdam, qua Io. Leo von Riehen vſus eſt in peſte Solodori fœlicisſimè: cuius deſcriptionem & vſum prolixè iſtic leges inter alias aquas vitæ. facilè autem inuenies, cum Solodori mentio fiat, in titulo. Item in eiuſdem Euonymi noſtri capite De decoctis, chelidonij ex aceto decoctionem, & ſimiles quaſdam, plurimùm in curanda lue peſtilenti per ſudorem, valere inuenies. Exhibenda autem huiuſmodi ſudorifica, puto, pleriſq; à principio, præſertim quibus ſanguis non detrahitur, ita vt per horam poſt in lecto collocentur, aluo tamen prius ſoluta balano, & ſudent. Quòd ſi vena etiam ſecanda videbitur, antidotus tamen primò ſtatim danda videtur, ſiue ſudorifica, vt plurimùm, ſiue non ſudorifica: tum paulo pòſt ſecanda vena, & danda paulo pòſt quæ corroborent, ſiue medicamenta tantùm, ſiue alimenta debilioribus: & horis quatuor elapſis, ſudorificum iterum dandum, atq; tum demum ſudandum, non autem ante phlebotomiam. At ſi copioſa ſanguinis detractio fiat, vt in ſanguine abundantibus, ſudorifico omiſſo, antidotus aliqua ſine ſudore, tum ante tum poſt venæ ſectionem, tribus aut quatuor horis interpoſitis, dari poterit. Cacochymi etiam, præſertim phlegmatici & debiliores, omiſſa ſectione venæ, principio purgari poterunt antidoto ſimul & purgatorio medicamento mixtis: deinde cibo corroborante accepto, & breui tempore interpoſito, antidoto data, ſudare. Hæc nobis ferè deliberantibus viſa ſunt, certam verò experientiam nullam dum habemus. Calida illa cum aqua vitæ remedia, non puto nocere, cum non vltra ℥ .ſ. ferè detur. ſemel autem dari ſufficit ad ſudorem plerunque. poſtea verò aliæ antidoti dentur, theriaca præſertim, cum aqua conuenienti, vel aceto, vel etiam paucis (ſeptem vel nouem) vitrioli guttis, quæ etiam à principio ad ſudorem mouendum miſceri poterunt. in præſeruatione enim minus accipitur. Si caliditas nimia

videbitur,

videbitur, mel roſaceum vel ſaccharum candi addatur: vel aqua refrigerans, vt endiuiæ, borraginis. Sudorificum, ſi videbitur, huiuſmodi fuerit:

℞. Theriacæ duorum, trium vel quatuor annorum, ʒ. j. Electuarij de ouo, ʒ. ſ. olei vitrioli guttas viij. aceti fortiſsimi, aquæ borrag. ana ℥. j. Miſce, fiat potus: qui detur tepidus, aut frigidus, pro arbitrio medici. Vel ſic:

℞. Antidoti Saxonicæ ʒ. j. boli armeniæ præpa. ʒ. ſ. vini (vel aceti) & aquæ endiuiæ ana ℥. j. Miſce. Vel,

℞. Philonij, ʒ. ſ. maſtiches, angelicæ, tormentillæ, euphorbij, (in calidioribus, & iunioribus loco euphorbij, camphoram poſueris) ana ℈. ſ. Miſce cum aquæ meliſſæ ℥. j. ſ. aceti ℥. ſ. fiat potus. Rondeletij librum de febribus non habeo, nec puto excuſum eſſe. D. Vuolphius habet, qui aliquid fortè ex eo ad te ſcribit. In ſchedis meis hoc tantùm inuenio, D. Rondeletium in peſte dare theriacam recentem (ne magis commoueantur humores) cum bolo. Bardanæ & fraxini aquas ritè deſtillatas, in præſeruatione non improbo: adderem autem illis acetum deſtillatum: ſed omnia in vitreis vaſis. Sudorifica, quibus Auguſtani & Argentinenſes vtuntur, iam neſcio quæ ſint, nec libros in promptu habeo. Aurum potabile quidam extollunt tum contra peſtem, tum contra alia multa: cuius ſi bonam aliquam deſcriptionem habes, cui confidas, mitte: forſitan enim ego fieri curabo. His Vale in Domino cum tuis omnibus, qui vos omnes ſua bonitate conſeruet. Ad nos quidem quandocunque veneris, gratiſsimus hoſpes eris, & ſemper (ſi vixero) domi me inuenies toto hoc autumno inſtante, & poſtea hyeme. Iterum Vale, & ſaluta parentes. Tiguri 1564. Auguſti die 23.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

MItto libellum de communi ſententia noſtra his diebus à nobis (Cellario, Vuolphio & me) editum iuſſu magiſtratus. Super quo iudicium tuum candidè vt feras peto, & tuas quoque obſeruationes (quas cupidiſsimè expecto) mittas. Venam ſecuimus nuper grauidę, peſte correptę, vicinę partui ad hebdomadas quinque: & cum in inguine tumor paruus appareret, ad malleolũ miſſus eſt ſanguis, ſatis copioſus. erat. n. bene habita boniq; coloris. Malũ ex cõtagio in ea ortũ. Cogitabamus autẽ fœtũ iam propè perfectũ eſſe; & parum etiam, ſi ante tempus pareret, periculi futurum: itaque

etiam medicamentum dedimus, aquæ theriacalis aliquid cum aceto deſtillato & bolo præparato, quo ſumpto modicè ſudauit. His factis, tertio die (puto) peperit viuum infantem & ſatis perfectum: ſed cum à principio morbi ſemper æſtus internus, capitis dolor, aliaq́ſymptomata augerentur, quarto die extincta eſt. Puto equidem ſanguinis copiam maiorem quàm oportuerit ei detractam fuiſſe. ego venæ ſectioni non interfui. Hic quæro iudicium tuum, doctiſsime Plattere, vt candidè feras, tum aliàs, tum an grauidis intra menſem ferè parituris, detrahendum ſanguinem peſte correptis conſulas, ſi iuuenes & ſanguineæ ſint, item ſi malum ex contagio ſit, an venæ ſectione abſtinendum tum exiſtimes, vt eruditos quoſdam ſentire video. Eryngium ſi viret, cura vt vnam aut duas plantas virentes accipiam, vt depingere & plantare poſsim, cum radicibus integris effoſsis. Aurigæ alicui committere poteris: cui ſatis faciam. Fructus & ſemina ſeorſim etiam in charta mitti poterunt: & flos vel nunc, vel ſuo tempore. Saluta parentes & amicos. Vale. Tiguri 1564. Nouemb. 6.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

NVper ad te ſcripſi, doctiſsime Plattere, & vt neptis mea tibi curæ eſſet, rogaui: quæ quomodo ſe habeat, ſolicitè vt vel vno verbo ſignifices, quod dudum expectabam, oro. Fefellit me fortè auriga, cui literas ad te tradidi. aiebat enim ſe ſtatim diſceſſurum. ſed vidi eum poſt aliquot dies, neſcio an famulum aut alium pro ſe miſerit. Mitto libellum noſtrum de peſte ex ſecunda editione, in quo nihil ferè mutauimus, ſed adiecimus quædam, de phlebotomia præſertim: deq́ iis iam rurſus iudicij tui candorem expetimus. Acetum deſtillatum grauidæ nos exhibuiſſe miraris, cum nihil efficacius fœtum pellat. nos certè hanc eius vim ignoramus, & diſcere à te cupimus, experimentis ne tuis aut ſcriptoris alicuius teſtimonio doctus, aceto fœtum pelli exiſtimes. Ego apud medicos veteres, Græcos, Arabes, Latinos, nihil tale legiſſe memini. Deſtillatum etiam acetum nihilo tenuius aut ſaltem vehementius quàm non deſtillatum fieri videtur, ſi odoratum & guſtatum conſulas, ante & poſt deſtillationem, vt ſæpiſsimè obſeruaui. Præterea ſedum & aſtringentia quædam, aceto noſtro contra peſtem deſtillando, addere ſolemus. Herbas ſiccas tuas mitte cum vecturæ commoditas erit. Pro ſeminibus tritici tam fœcundi,

vt ex vno grano ſiliquæ (ſpicas puto voluiſti dicere) triginta proueniant, maximas tibi gratias ago. Seram ſi vixero, vere proximo. Saluta meo nomine D. Zuinggerum: ad quem his diebus ſcripſi, ab eoq; roga, an Chriſtophori Oroſcij Annotationes in Aegínetam & eius interpretes viderit: ac vbi ſint impreſſæ, deſidero enim eas. In Aëtium quidem annotata eiuſdem Robertus Vuinter olim procudit. Vale. Tiguri 1564. Decembris die 20.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

REmiſit apud nos Dei gratia peſtis: vt apud vos quoq;, vt audio, & gratulor vobis. Det nobis Deus ne ſuam iram peccatis noſtris breui iterum prouocemus. Commendo tibi neptem meam, quæ apud CL. V. D. Cælium ancillatur, vt valetudinis eius, cum opus erit, rationem habeas. Scripſit ad me poſtremò D. Cælius, neptem meam moleſtis quibuſdam circa naſum intus foriſq; puſtulis laborare: & vt ad eam rem aliquid remedij, ſi quod norim, mittam, monuit. Sed cum tu præſens videre poſsis, & conſulere melius, rogo vt hac in re ei opem feras, ne fortè tædium ſui aut abominationem familiaribus & intuentibus pariat. Miſiſſem vnguentum citrinum dictum: ſed quod hic habet alter pharmacopola, nimis ſiccum & durum vetusq; mihi videtur. Quid ſi aliquid ſulfuris, thuris, tartari, iridis, & cochlearum vſtarum in linteolo ebulliat in oleo, cum pauco aceto, ad aceti conſumptionem. & eo deinde puella ſub noctem præſertim, ſe inungat: aut cum linteolo etiam perfricet? Craſſos humores eſſe puto: tenuiter enim cum parentibus vixit, & cibis craſsis aſſueta eſt. Proinde ſi opus tibi videbitur, purgatione vtatur, nunc, aut potius initio veris: deinde ſuffitus aliquis cum thure aliiſue pro tuo conſilio fiat. A frigore et aquea humiditate caueat. Mater ait ſub menſium tempus præcipuè hoc in ea vitium animaduerſum. Sumptum quem feceris, ego reſtituam. Hac de re me ſcripſiſſe ad te diligenter, rogo vt clariſsimo D. Cælio indices, eumq; cum tota familia ex me ſalutes amantiſsimè. Antimonio præparato an hactenus vnquam ſis vſus, & quo ſucceſſu, ſcribe per ocium, & tuum de eo iudicium. quod ſi feceris, à me vicißim audies de eodem non indigna cognitu. Nunc feſtino. Vale in Domino. Tiguri 1565. Ianuarij die 28.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

ACcepi herbas ſiccas tuas mi D. Plattere, gratias ago: vtar illis quàm poſſum primùm, & remittam vt petis. Nepos meus ex ſorore qui attulit, ait te habere etiam alias Lugduno miſſas, & eas quoq; mihi offerre. Pro qua tam candida in me voluntate tua, plurimùm tibi debeo. Si raræ ſunt, (poſſes autem mihi aliquot earum rariores nominare,) & ſatis integræ, vt pictori vſui eſſe poſſint, gratum facies, ſi miſeris. Habeo quidem & ego multas aridas, & à D. Bauhino collectas omnes: ſed grata eſt mihi optio inter duas aut plures eiuſdem generis, cum in vna ferè inueniatur, quod alteri deeſt. Petieram à te ad naſcentem in renibus meis calculum auxilij vel conſilij aliquid: tu verò hactenus me deſeris: agnoſco occupationes tuas, & ignoſco, modò ne diutius differas, ſi me amas. Thermarum Badenſium noſtrarũ potus mihi aliquoties iam profuit quod ad reliquam valetudinem: aduerſus calculi initia an prodeſſe queat, fermè dubito. Vale cum parentibus & familia. Tiguri 1565. Maij die 5.

CONRADVS GESNERVS FELICI *Plattero medico.*

ACcepi tuum conſilium, doctiſsime Plattere, quod mihi non diſplicet: à ſcorpionum quidem cinere, vel propter ipſum nomen abhorreo: Cicadarum aut Aſellorum cinis ſubſtitui poterit: omnis enim ferè cinis in hoc malo vtilis eſt: cum innumera vſta contra id prædicentur. Peto autem vt reliqua etiam, ſicut polliceris, addas breui. Pro geniſta tua etiam gratias habeo, etſi metuo ne duret: tenerior eſt, cacumine iam nutat. Maluiſſem ad ver ſeruaſſes, vt confirmatior fuiſſet. Pro Eryngio etiam gratias ago: doleo tamen iam defloruiſſe. poterit aliquando flos ſeorſim mitti. Millefolium mittis, non aliud quàm hic paſsim creſcit. Aliud omnino genus eſt, quod apud vos naſcitur, non alio in loco, quàm extra portam illam, quæ proxima eſt D. Hugualdi domui, Steinenthor appellant, puto: cum exiueris ad torrentem, locis arenoſis quære, facilè ſe offeret. Odor ei tanaceti. hoc valde cuperem ad me mitti: hoc eſt, duas aut tres plantas cum radice & flore integras, vt plantare & pingere poſſem. Ibidem in proximo inuenitur & Eryngium. Da mihi quæſo horulam vnam; & deſiderio meo ſatis facito. Mitte & Caſsiæ ligneæ falſæ ſeu vulgaris ſpecimen aliquod.

aliquod. nam noſtri pharmacopolæ non habent. Ariſtolochiam longam cum fructu,(aut hunc ſaltem ſeorſim,) valde deſidero. Si Baſileæ non inuenitur, ex Alſatia, vbi naſci audio, vel vndecunque mihi accerſe quæſo: nam noſtra fructum non fert. Vale.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano, theologo, & philoſophiæ rationalis in inclyta Baſilienſium Academia profeſſori eximio.*

NImiũ verò tu vir officioſus es, mi Hoſpiniane, inq; gratijs agẽdis nimius, nimis accuratus, καὶ ἀκριβέστερος τοῦ δέοντος. atqui in amicitia eadem eſt ratio, quæ περὶ τὴν δίαιταν· τὰ γὰρ ἁπλούστερα καὶ λιτότερα, ὑγιεινότερα. βλαβερὰ δὲ καὶ δυσπεπτότερα τὰ πολυτελῆ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὰ ποικιλώτερα, τὰ μετὰ τῶν πολλῶν ἀρτυμάτων καὶ ἡδυσμάτων ἐσκευασμένα. Sed ne ego quoq; qui te τῆς ποικιλότητος καὶ τῆς ἄγαν σκευασίας reum facio, in idem ποικιλώτερον te reprehendendo vitium incidam, deſino. Tuus ſum optime Hoſpiniane quantuſcunq; ſum. poſtulat hoc virtus & doctrina tua: religionis vinculum, patria, & quæ admodum adoleſcentibus nobis interceſsit familiaritas. Nihil hactenus amicitia noſtra dignũ tibi præſtiti: in poſterum tamen ſi occaſio tulerit, perpetuò me tui amantiſsimum tibi declarabo. quod viciſsim à te quoq; expecto. Non ſinunt me plura piſces mei. quamobrem ignoſces. Audio piſcem quendã apud vos vocari, ein Semperin (ſiue Lemperin) gröſſer dann ein Nüneug. de eo nomine obſecro à piſcatore aliquo mihi inquire: & eâdem opera, omnium qui in Rheno capiuntur piſcium nomina, mihi conſigna, vocato ad te vel conuento piſcatore aliquo ſene & perito: ita vt minimorum quoq; & viliſsimorum nomina non prætereas: & ſi quæ fortè meminerit in alijs regionibus aliter efferri, id quoque addas. Paruo labore hoc perfeceris, mihi verò gratiſsimo, præſertim ſi maturius fiat. Vale. Tiguri. 8. die Octob. anno 57.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano Organi Ariſtot. profeſſori.*

PRo tuo piſciũ Rheni, doctiſsime Hoſpiniane, catalogo, quẽ et maturè accepi, & nihil planè in illo aut diligẽtia tua deſidero, maximas humanitati tuæ ago gratias: & ignoſci cupio quòd id iã pridem non fecerim: adeò enim negociorum multitudine plerunque obruor, vt vix egomet mei meminerim. Epiſtolã illam tuam ligaueram cum libello quodam meo argumenti de piſcibus. vnde factum eſt, vt reſpondere oblitus ſim. Medicamentũ illud tuum δι᾽ ἀρκευθίδων, quoniã quid miſceatur et quomodo præparetur ignoro:

multum autem horum vtrumq; refert, iudicium meum interponere non poſſum, id quod faciam libenter ſimul ac diligenter, ſi apparatum eius deſcripſeris. Videor ſanè & ipſe mihi iam circa renes grauior, & calculi generationem metuo: à quo ſi tua illa προφυλακὴ me tueri poſſet; multùm tibi deberem. quanquam & aliud quoddam habeo, magnæ experientiæ ad eam rem medicamentū. ſed præſtat aliquando mutare. πρὸς γὰρ τῶν αὐτῶν φαρμάκων διὰ συνήθειαν ἧττον ἀεὶ πάσχει καὶ ἀπονοῦται τὰ σώματα ἡμῶν: ἐνίοτε δὲ καὶ ἄγαν πάσχει, (σφοδροτέρων ὄντων) ἑκάτερον δὲ τῇ μεταβολῇ καὶ παραλλάξει τῶν φαρμάκων διορθοῦμεν. Vale. Tiguri. Martij die 5. anno 58. Feſtinabam, cum αὐθωρὶ multæ aliæ epiſtolæ mihi eſſent exarandæ.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano Organi Ariſtot. profeſſori.*

QVod rarius ad te ſcribo, mi D. Hoſpiniane, condonabis negocijs meis: præſertim cum nihil ferè operæprecium habeam; quod ſcribere poſsim: & mallem (ſiue tu hoc mihi credis, ſiue non credis) reipſa meum erga te amorem, quàm multis verbis aut literis oſtendere. Occupatiſsimus ſum in lucubrationibus quibuſdã medicis, ita vt ferè aliud non cogitem: nec ſoleo ſcribere officij tãtùm gratia, præſertim ad amicos veteres, inter quos te præcipuum numero. Literas ad me tuas Friſio noſtro legi: & vt aliquando ad te ſcriberet, hortatus ſum. Scheccij Analytica, quæ breui in lucem prodire vehementer opto, ſi apud vos cudantur, bene eſt: ſin minus, de rebus omnibus maturè me certiorem facito: vt ad typographos mihi notos in Gallia, præſertim Lugduni ſcribã. Hanc meam voluntatem rogo vt D. Scheccio ſignifices: meq; excuſes: hinc enim ad ipſum literas dare difficillimum eſt. Abfui nuper aliquandiu in balneis quibuſdam Rhætorum, in ſumma Valle tellina, valetudinis meæ cauſa: meq; abſente Iuſtus Velſius huc venit: ſed ad publicum colloquium (vt audio) admiſſus non eſt, nec eorum quæ voluit perfecit quicquam. Vale feliciſsimè: & de meo erga te animo dubitare (quod mihi permoleſtum eſt) deſine. nullam enim hactenus cauſam reperi, quò minus te amare ſicuti cœpi, propter doctrinam tuam, virtutes, & beneficia in me collata, pergere debeam. Tiguri. Auguſti die 24. anno 61.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano Organi Ariſtot. profeſſori.*

SI ita eſſemus affecti, doctiſsime Hoſpiniane, vt hominum vulgus ferè, ex diuturno ſilentio periculum forſan amicitię noſtrę

oboriretur,

oboriretur, & alter de altero ſuſpicari quippiam poſſet. nunc vero cum philoſophia; nõ ſolùm ἡ κατ᾽ ἄνθρωπον λογική, ſed multò magis ἡ πνευματική, ἡ κατὰ τὸν ἡμέτερον χριστὸν ἀληθῶς θεία καὶ θαυμαστή, minimè vulgari amicitiæ copula nos coniunxerit, nihil tale nobis metuendum arbitror. Ego certè ita te amo, & ob oculos mentis fero, ac ſi præſentẽ ſubinde conſpicerẽ, & colloquia indies conferrẽ: cuperemq; literis ſubinde tecum agere varijs de rebus, tum officij tũ diſcendi aliquid ab illa qua excellis doctrinę cauſa. Sed ea fortuna mea eſt, vt perpetuis occupationibus diſtrictus viuam, vt aliâs etiam ad te ſcripſi. Quamobrem ignoſces, & nihilominus amantiſsimum me tui eſſe perſuaſus redamare perges. Iuuenis ille pius & eruditus abs te commendatus, domi meæ nugas quaſdam peregrinas & picturas vidit: ſi ocium & valetudo vxoris permiſiſſent, alia etiam in ipſum officia lubens contuliſſem. D. Scheccij libros doleo nondum prodire. Motus hi Galliarum plurimùm bonis literis ac libris edendis incommodant. Vale feliciter. Tiguri. 1562. Octobris die 13.

CONRADVS GESNERVS IOANNI
Hoſpiniano Organi-Ariſtot.
profeſſori.

VLtimæ tuæ, vir doctiſsime, ineunte hyeme ſuperiore mihi redditæ ſunt: in quibus, vt cæteris tuis omnibus, tuæ in me beneuolentiæ & amoris, luculentiſsima perſpicio argumenta. Nuper etiam Friſius noſter miſit ad me folium excuſum, quo continentur nomina iuuenum apud te promotorum ob ſuæ diligentiæ & eruditionis profectũ: inter quos filij tui Iohannis nomen principe loco poſitum, magna cum lætitia legi: & precor Deum Opt. Max. vt is ſicuti hactenus à pueritia ad hanc vſque ætatem filium parentibus obſequentem, diligentem, bonum & pium ſe præſtitit, ita deinceps pergat perpetuò ad longam vſque ſenectutem, ſuis virtutibus & doctrina vos ornare atq; exhilarare. Quod ſi fecerit, vt hominum beneuolentiam ſibi conciliabit, ita apud Deum gratiam ſingularem inueniet. Ego ſi vnquam vlla in re tibi ac filijs tuis gratificari potero, faciam quod hominem tui amantiſsimum & veluti fratrem germanum facere decet. Interea raris & breuibus epiſtolijs noſtris ignoſce. Friſius ædificando, ego lucubrando & alijs negotijs nimiùm ferè mundanis, ſubinde occupamur: feliciores vos quos meliora & cœleſtia occupant. Ludus Dialecticus meus interciderat mihi; ſed neque dignus erat inter meas lucu-

brationes numerare tantillus. Si tantum ocij daretur tibi ac filio, vt omnia vocabula ad ſuas decem prædicamentorum aliasq́ claſſes referrentur, felicius quàm, (ſi rectè nomino) Foxus ille Anglus fecit, cuius librum & tabulam Oporinus impreſsit, vtilis adoleſcentibus is labor foret: & ludus aliquis ſimilis, ſed maiore per vos ingenio excogitandus, iucundè accederet. Inſpicienda forent Græcorum ſcripta, Simplicij præſertim in Categorias & alia, quæ mihi voluere non vacat. Hic alius eruditior & commodior Ludus inſtitui poſſet, vocabulis omnibus in ſuas artes & ſcientias digeſtis, vt ego aliqua ex parte feci in ſecundo Bibliothecæ noſtræ Tomo, &c. Aliud quod ſcribam in præſentia ferè nec habeo, nec vacat. Vale candidiſsime amicorum, cum tota familia. Tiguri 1563. Aprilis die 8.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano Organi Ariſtot. profeſſori.*

Literæ tuæ priores abs te datæ ſunt, chariſsime frater, die Quaſimodo huius anni: ad quas hactenus non reſcripſi, quoniam in eis nihil continetur, quod reſponſum poſtulet. Cauſas tantùm reddis, cur filium tuum Io. in album magiſtrorum legi volueris, quas ego non improbo. His quædam de fortuna tua addis, & alia de Eccleſiæ ſtatu: hæc D. Bullingero legi. is quidem reſpondebat ſe intra annuum ante id tempus ſpacium nihil abs te literarum accepiſſe. Poſtremò de Ludo Categoriarum noſtro, & quàm difficile & propè ἀδύνατον foret vocabulis omnibus, ſuos in decem prædicamentis ordines & quaſi nidos aſsignare: id quod, ſi alius quiſquam, tu omnium optimè præſtares. Vltimas filij tui his diebus me abſente in Rapperſuilla rediderunt vxori meæ. poſtea verò ad me domum non venerunt, quanquam ſemel ad cœnam, poſtea ad prandiũ inuitati. an adhuc ſint venturi neſcio. Ego domi occupatiſsimus hæreo. in vico tranſiens fortuitò in eos incidi, ſed paucis ſum allocutus propter feſtinationem, & quia expectabam eos eo die ad cœnam vt promiſerant. ſed poſtea ad cœnam publicam ſunt vocati: quare ijs ſuccenſere nõ potui. ego quidem propter negotium ſubitò, tempore cœnæ, mihi exortum, adeſſe non potui. Petis vt crebrius ſcribam: quod ego etiam optarim, multas ob cauſas: ſed fieri id poſſe ſpem nullam video. quid facias, medico, profeſſori, elucubratori multorum & magnorum voluminum, patrifamiliâs, &c. Pro organo à te illuſtrato, quod

dono miſiſti, maximas tibi gratias ago, eroq́ memor beneficij per occaſionem. Dolet mihi filijs tuis nihil me hîc beneficij potuiſſe exhibere. Vale & amare me perge. Quantumcunq; mihi ocij à cæteris negotijs datur, ad lucubrationem hiſtoriæ ſtirpium ferè conuerto. Tiguri. 1563. Octob. die 3.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Hoſpiniano Organi Ariſtot. profeſſori.*

VLtimas tuas, chariſsime D. Hoſpiniane & fratris inſtar dilecte, nono Septemb. datas accepi, omnis officij, beneuolentiæ & pietatis erga me plenas: pro quibus tibi gratias ago. Eas quas ſimul ad fratrem mittebas, ſtatim curaui. Ego, vt hactenus, in laboribus meis pergo. Tu verò me multò felicior es: qui & ſacra ſtudia ſecteris, & in philoſophicis fortè grauiora. Ego ſubinde humi repere mihi videor circa res terrenas & caducas: quarum cognitionem philoſophi quidam ad claudicationem Vulcani & excitatum ſuper ea riſum deorum referunt. Interea tamen crebris ſed momentaneis diuerticulis, ſummum illius cœli naturæq́ conditorem, motorem & rectorem animus ſuſpirat: neque deſperat, ſe eius breui propter vnigenitum eius Chriſtum, compotem fore. Exercet nos nunc etiam peſtis, vt anno ſuperiore, ſed multò clementius: & fœminis ferè iniquior videtur. Suas ſibi nuper ereptas Gualtherus, Simlerus & Zuinglius luget. Deus Opt. Max. te cum tuis, coniunge & filio ſeruet perpetuò. Vale. Tiguri 1565. Nouemb. die 27.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Friſio Tigurino iuniori, Baſileæ agenti.*

MIror tandiu nihil literarum abs te, ad nos miſſum, chariſsime Ioannes. percupio equidē frequenter de valetudine tua certior fieri, & tui in bonis literis progreſſus ſpecimen aliquod ſubinde videre. Habes Baſileæ cùm alios viros eruditos & profeſſores doctiſsimos: tum M. Io. Hoſpinianum, virum in Dialectica & omni philoſophia incomparabilem: quem ego te quàm officioſiſsimè colere, atq; eius lectiones omni diligentia & ſummo ſtudio audire ac ruminare conſulo. Sic enim comparabis tibi iudicij atque eloquentiæ inſtrumentum, quo & ſacra & popularia argumenta doctè diſerteq́ tractare poteris quælibet: eſt enim ea

Dialecticæ methodi vis, in qua docenda profectò D. Hoſpinia-nus excellit, vt niſi omnibus alijs, quibus de verba facienda ſunt, rebus & argumentis adhibeatur, incondita prorſus inſulſaq́ ri-deantur. Ne igitur ſine ſale ad nos redeas, eloquentiæ præceptis, Dialecticæ ſimul Rhetoricæq́ ex D. Hoſpiniani conſilio & ſen-tentia ingenium imbuito. Quòd ſi interdum ſpecimen aliquod Me-ditationum tuarum, exercitiorum, ſtudiorum ad me miſeris: gra-tulabor ſtudijs tuis, & ea(quantum in me fuerit)promouebo: ac ſi quando ad nos redieris, quod breui(Deo fauente)futurum ſpero, aliqua librorum ſuppellectile te donabo, & in rebus omnibus quantum te amem declarabo. Tu modò, vt in pietate & doctrina ſemper proficias, operam da, vt optimos parentes virtutibus tuis exhilares, & patriæ vtilitati atque ornamento ſis. In Dialecticis quidem quæ plus ſubtilitatis quàm vtilitatis habent, nollem te diutius immorari. ſed ea in re D. Hoſpinianus conſulet. Rhetori-ca vniuerſaliora & vndiquaque vtilia videntur. Styli quoq́ ratio-nem habebis, vt eum quàm puriſſimum tibi compares. Sed hæc & alia optimus & doctiſsimus parens tuus, melius tibi præſcripſe-rit. Ego quoniam te veluti communem filium diligo, non potui non aliquid conſilij ad te ſcribere. Commenda me D. Hoſpinia-no, ad quem proximè ſcripſi. Debeo ei aliquid pecuniæ, ſexde-cim batzios cum dimidio: quam ſummam Iacobo Meiero vicino meo mandaui vt ipſi traderet. Quinam libri noui nuper Baſileæ procuſi ſint cùm ab alijs, tum à D. Oporino, fac vt cognoſcam. Vale. Tiguri 9. die Nouemb. Anno 1558.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero Medico & Philoſopho Ba-ſilienſi excellentißimo.*

GRatum eſt, quòd de ijs, quæ tibi in horto orta ſunt ſcribis, mi-hi ex ijs quæ attuliſti pauca prouenerunt, quæ verò in hortis meis alam, ex Bauhino, qui has tibi reddit, cognoſcere poteris. Fatigant me nunc duo præla: quibus icones aquatilium & qua-drupedum noſtræ cuduntur: vt vix digito caput ſcalpere liceat. Quod ἀνάλυσιν quandam in libros Galeni meditaris: rem vt diffi-cillimam, ita ingenio tuo dignam, & medicinæ ſtudioſis omnibus proculdubio gratam & vtilem futuram facis. Ego qui ſemper in minoribus & particularibus verſor, nihil aut parum ad ſublimio-ra iſta & vniuerſalia conſilij afferre poſſum, quicquid tamen poſ-

ſum, in tuam gratiam fecero omnia. Optimi & doctiſsimi viri D. Bechij vicem vehementer doleo. Deus Opt. Max. illum nobis reſtituat & conſeruet. Vtinam ego is eſſem: qui re aut conſilio eum iuuare poſſem. Scirrhum hepatis ſemel aut iterum in iuuenibus curaui; communibus ferè medicamentis & balneis, propter coniunctum hydropis initium. Solent aliqui in ictero & cachexia feliciter vti ruſtico hoc medicamento.

℞. Carbonum de quercu cribratorum, limaturæ chalybis aut ferri cribratæ ana. ℥. j. Miſce. hæc inijciunt in libras ij. aut iij. vini albi: & in eodem extinguunt candentis chalybis portionem quatuor aut quinque vnciarum: idq; ter ſtatim repetunt, tertiò extinctum chalybem in vino relinquunt: de hoc colato quotidie manè ad ij. aut iij. tepidas vncias bibunt: item veſperi, tribus ferè ante cœnam horis. Iuſsi aliquando cinnamomum addi & omnia in linteolo ſerico ligari: aliquando etiam iridem, ebur vſtum aut ſpodium ſinum. Quinto quoque die ſudandum eſt in labro obtecto, vel Laconico paruo, ita vt corpus non tangatur aqua: & in balneo ponatur lebes, in cuius aqua ebulliant auenæ & fabæ culmi cum cineris quinq; manipulis. Continuatur hoc ad duos aut tres menſes. Interim alia etiam ſecundum rationem fieri poſſunt. Nemini nocuiſſe hoc medicamentum ſcio, plurimis profuiſſe. De puluere ex limatura chalybis, ſi placet, lege Syluium, in librum tertium Meſuæ de antidotis, pag. 272. Salutabis ipſum D. Bechium meo nomine quàm amantiſsimè, & omnia mea officia ei deferes. Memor ero ipſius in orationibus meis erga Dominum. Saluta etiam D. Oporinum, & dices me accepiſſe quæ miſit ad me, gratias habere, breui me reſcripturum ac miſſurum: quæ petunt ipſe & Maſſarius. Tiguri raptim 1560. Iunij ſeptimo. D. Lycoſthenem ſaluum cupio.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

LIteras tuas accepi, neſcio iam an à Guldebecco, non ſimul autem, ſed alio tempore, ambrā Orientalem, à Gobelio miſſam. Ea nihil aliud quàm ſuccinum eſt, mollius & albius noſtro: & in hoc etiam diuerſum, quod cum album ſit, pelluceat: quale Germanica ora nullum ferunt. Eiuſdem ex Antuerpia & Auguſta portiunculas nuper ab amicis accepi: quibus res incognita eſt, anymū album vocant. Amatus Luſitanus Laccam facit, homo temerarius & indoctus. Guldebeccus noſter non ambram iſtam, ſed Indicam

quādam frugem(triticum puto)à Doctore Felice Plattero datam, mihi attulit, quod mihi impoſuit. Quod ad piſces meos, rogo vt D. D. Huobero me commendes, vt Senatui eos offerre maturet, ſcripſi etiam ad D. Henricum Petri, & ne in mora ſit rogaui. Bullingeri filius(hæmoptoicus) meliuſculè habet, Dei gratia. Tuum à Frizimelega remedium libēter cognoui, & gratias habeo. Inter alia ſemel ei edendum dedimus malum aſſum excauatum, & drachma thuris repletum: quod equidem profuiſſe auguror: eodem aliâs in vitijs pulmonis & dyſpnœa feliciter vſus ſum, Alexij Pedemontani verbis motus. Guldebecci vxor moribūda deplorato aſthmate, inde reuixit. Nautileum tuum ſomnium libentiſsimè vidi: & nihil certè multo tēpore eruditius, elegantius, ſuauiusq́ legi, quamobrem plurimum tibi debeo. Sed Nautilum concham tuā videre velim aliquando: quem in pegmate aliquo ad me mittere poſſes, breui & bona fide remiſſurū. Heri cognatus tuus, vir optimus & mihi chariſsimus, M. Petrus Corrector honorificē ad ſepulturam delatus eſt. Dominus nobis omnibus largiatur, vt feliciter moriamur. Cum diu dyſpnœa & ſumma ventriculi cruditate laboraſſet, icterus ſuperuenit, isq́ malignior cū exanthematis toto corpore ſparſis. Vale. Tiguri 1560, Decemb. die 7. Saluta parentes & D. Oporinum.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

PRo ſeminibus quæ dudum accepi, doctiſs. Zuinggere, maximas tibi gratias habeo. Specimen propoſitionum tuarum in arte medica Pet. Vinmañus ſuis literis his diebus mihi plurimum cōmendauit: eius igitur aliquando copiā mihi vt facias, rogo. An Chriſtophoriana vel barba de becco, eſt, quæ ab Hierony. Trago pingitur aut ſaltem deſcribitur. duas enim herbas, ſi bene memini, Bockebart nominat, & deſcribit in eodē capite, vna circa ſyluas naſcitur, altera iuxta riuos & aquas, cui pimpinellę vel cucumeris ferè odor eſt: vtrius harum coliculi edendo ſunt. Eſt apud vos Bouinus nomine medicus Flander, is inter Grataroli & Cælij domū habitat: cuius filius etiam medicinæ operam dat, ab eo petas meo nomine ſemina Camomillæ nobilis, & alterius herbæ ſimilis, quā in horto ſuo ſuperiori æſtate mihi demonſtrauit. Pro ijs alia quædam non vulgaria ad eum libenter mittam, ſi petierit. Literas D. Vinmanno inſcriptas, cura vt ſtatim accipiat. Vale felix. Tiguri. Decemb. die 14. Parentibus honeſtiſsimis plurimum ſalutis meis

verbis

verbis dicito. Ioan. Friſius noſter ante vnum aut alterum annum accepit à me Vuillichij in Georgica annotationes, & D. Oporino miſit: eas ad me redire cupio, aut exemplar aliud. Caſsiodori etiā varias ex Bibliotheca noſtra, ſi nondum remiſit, nec breui vſurus eſt, remittat, quoniam ego fidem meam interpoſui. Petro Mechlinienſi dices deſiderare me Ioan. Campenſis paraphraſin in Pſalmos, ſi non inuenitur Baſileæ, accerſat, quàm primùm poteſt, impreſſa eſt Lugduni, Argentinæ, Coloniæ. Auicennæ opera Baſileę quando impreſſa ſint, & an cum indice, ſignifica. Venetijs indicem copioſum excuſum audio, ſeorſim ni fallor: & faceret ſanè operæ pretium etiam Baſilienſis Typographus, ſi indicē tanto volumini adderet, iam enim indice id carere quidam mihi conquæſti ſunt. Mitto ad te literas binas, quas & quales his diebus ex Italia accepi. Vale iterum optime mi Theodore, & me ama: ac viciſsim quæcunq; tuo nomine perficere potero, iniungas omnia.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

REdditæ mihi ſunt doctiſsimæ lucubrationes tuæ, ſuauiſsime D. Zuinggere, pro quibus maximas liberalitati tuæ gratias habeo, donec viciſsim occaſio aliqua de te bene merēdi offeratur. Commodum autem hoc tempore illos accepi, quo noſtra in Frobenianam Galeni operum editionē Prolegomena adorno: in quibus eſt etiam Catalogus interpretum, & omnium qui quoquo modo Galenicam doctrinam illuſtrarunt, quorum numero tu quoq; acceſſiſti non ſine elogio noſtro, vt mereris. Ex quo nuptias cum honeſtiſsima vidua te celebraſſe accepimus, non vacauit ad te ſcribere: itaque nunc primùm illas tibi fœlices & fortunatas eſſe precor, καὶ παισὶ παίδων, καὶ τοῖ μετόπισθεν, ἐν χριστῷ σωτῆρι μόνῳ παντυπερτάτῳ ἡμῶν. Noui nihil hic habemus. D. Caſtalio ſi tibi familiaris eſt, papilionem lapideum dices me cupere, vt ad me mittat: illum enim in theſauris meis lapideis me non inuenire. D. Henricum Petri etiam ex me ſalutato, ſi vacat, vt per hunc aurigam Calepinum meum cum Onomaſtico & Lexicis, ad me mittat: aut Petro Mechlinienſi ſaltem tradat, indica. Mitto ad te oxymelitis elleborati noſtri deſcriptionem, quā certè in ſingulos annos multis aureis carere nollem: rogo autem illam tibi vt ſerues, inter κειμήλια καὶ μυστήρια tua: ac viciſsim ſi quid μυστικώτερον à præceptoribus aut amicis accepiſti, κοινωνεῖν μοι digneris: vt ad alia etiam, per-

pauca, ſed potiſsima) tibi communicanda me excites, fauco enim virtutibus & doctrinæ in te eximijs: quas tu ita magis magisq́ excoles, vt arti noſtræ perpetuum decus adferas. Optarim ſanè te ingenium quo excellis, ad præclaram & vtilem aliquam cõmentationem conferre, non verò ad ingenioſos quidem, minus verò vtiles libros, vt plurimi ſolent, condendos. Fr. Valleriolæ loci cõmunes totius medicinæ, Lugduni apud Gryphium nunc ſub prælo ſunt. Tu quid moliaris, & quæ apud vos cudãtur noua, per ocium ſignifica. Vale. Tiguri. Decembris die 16. D. Oporinum & amicos cæteros ſaluta.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

QVanquam nihil ferè argumenti ſuppetat, doctiſs. Zuinggere, ſalutare tamen commodum tabellionem nactus, te volui. Reſponſum ad vltimam epiſtolam tuam, iampridẽ tuliſſe te puto. Hæmoptyicus F. D. Bullingeri, Dei gratia, bene conualuit, ſed prius etiam non ſatis firmæ valetudinis erat. & nunc adhuc, manè præſertim, δύσπνοιαν aliquam ſentit. Commendabimus ei fortè bibendas fontis ad bouem in Badis noſtris aquas, qui aluminis nonnihil habet, ſulfuris nihil, ineunte vere. En tibi Electuarium Helidei ad αἱμόπτυσιν: quod nuper ab Auguſtano quodam medico nactus ſum: qui bona fide affirmat, hoc ipſiſsimũ eſſe, quo tanto ſucceſſu vtatur, illius electuarium: quod veluti ſecretiſſimum celare omnes ſoleat.

℞. Hyoſcyami (habetis ne Baſileæ? Si curare potes ſeminis aliquã copiã, libram aut ſemis quæſo facias: noſtri pharmacopolæ deſiderant, & ego: precium indicatum ſtatim numerabitur) albi, ſem. pap. albi, ana. ʒ. x. terræ ſigillatæ, corallorum rub. ana. ʒ. v. Zaccari roſ. q. ſ. antiquiſs. fi. electuarium: cuius doſis ℈. ſ. mane & veſperi: præmiſsis vniuerſalibus, &c. Hanc deſcriptionem cupio te tibi ſeruare, neq́ cuiquam (niſi intimo alicui amico, & bono medico) cõmunicare. Habuimus nos Electuarium Helidei, ex Italia aduectum, & Bullingero dedimus: ſed deſcriptionem ignorabamus. Vale. Tiguri. 30. Februarij. 1560.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

QVod meas lucubrationes editas elogio tuo honeſtas, Zuinggere doctiſsime, modeſtè & amanter facis: quod ad reliqua etiam quæ inchoaui, perficienda hortaris, grauiter. eritq́;

is mihi

is mihi quoq; ſtimulus ad maturanda quędam, οἱ γὰρ παρὰ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἔπαινοι, οἱονεί τινες καρποὶ ἢ μισθοὶ τῶν προγεγονότων πόνων τυγχάνουσιν, καὶ εἰς τὰ μέλλοντας παραμυθίαι. Inter alia nominaui quædam, quorum exemplaria tantum Typographis ego dedi, vt ita fortè emptores aliquos eis excitarem, vt Santis Ardoyni noſtri libros: quibus præfationem de venenis à te præfixam, addideram: ſed hæc & alia complura mihi delenda fuerunt; quòd chartę anguſtia non ſufficeret, vides enim ab initio & exitu libelli omnia ſic plena, &c. Faſciculum meum Rihelius Argentinæ accepit, quamobrem diligentiæ tuæ gratias habeo. Saluta meis verbis M. Petrum Mechlinienſem, & dicas me cupere vt meas rationes ſingulatim ad me perſcribat, ſimulq; mittat Donatũ ab Alto mari de febribus: & à D. Petro Perna libellos quos mihi promiſit, vnà cũ catalogis librorum ab ipſo impreſſorum, perat, vt coniungat. Vale. Tiguri. Octobris die 21. Anno 1562.

CONRADVS GESNERVS THEODORO Zuinggero medico.

EPiſcopij noſtri obitus non paruo me dolore affecit. Sed ita placuit Domino, qui etiam chariſsimam matrem meam octogenariam hiſce diebus mihi eripuit, Froſchouerum etiam ſeniorem amiſimus, pleuritide maligna quadam, quę hic non paucos extinguit, intra tres aut quinq; dies ferè, ſputo nullo ferè: cui quomodo et quibus potiſsimum remedijs ſit occurrendũ, valde dubitamus: non ſolùm enim cruda, ſed etiã peſtilens & contagioſa eſt. Opium an per ſe ſudorem moueat, non ſum expertus, cum neq; tutum, nec veriſimile ſit. cum diaphoreticis autem id præſtare, ratio & experientia teſtantur. Quę de facultatibus olei pomorum rubeorũ (quę aliqui puto Amoris cognominant) ad me ſcripſiſti, libentiſsimè cognoui, pręſertim quòd ad ſtirpium hiſtoriam faciant. Cupio autem vt ſemina pauca mittas, & olei parandi rationem indices: & pluribus experimentis vim eius confirmes. Memini me pomum integrum aliquando ediſſe, nec quicquam inde affectum. Catalogus horti tui iucundiſsimus mihi fuit: & rogo vt Teucrij plantam ad me mittas per hunc nunciũ cum ſua radice; ita vt plantari poſſit, ſi potes carere: vt cum florebit curem mihi ad viuum depingi. Item Dauci cretici, Arcæ angelicę, Cantabricę è Narbonenſi Prouincia, Seſeleos Peloponneſia. Hyacinthi veri, Tulipæ: ſingulas de ſingulis plantas, ita curatas, vt quàm tutiſsimè ad me perfe-

tantur. Bonus & fidelis hic nuncius eſt, vicinus et compater meus;
rectè curabit omnia. In pegmatio ligneo cum pauca terra radices
ponendæ erunt, ita vt herbæ emineant. Cytiſi ramulum vnum tan-
tùm mitte viridem aut ſiccum, vt cum meo conferã. Ego viciſsim
mittam aliâs, ſi iuſſeris, Gladiolum Græcorum, Gladiolum In-
dicum, cuius pulcherrima ſunt lilia, Crocum alpinum qui verè flo
ret, Pæoniam marem: Saniculam alpinam duplicem, quarum vna
ſpecies eſt primulę veris, altera verò Cotyledoni puto cognata:
primulam veris raram, quæ tota hyeme vſq; ad Paſcha floret, &c.
Feſtino, ignoſce. Pro libello Peletarij de peſte iam pridem puto
me tibi gratias egiſſe. Nos hic noui nihil. Vale. Tiguri 1564.
Aprilis die 7.

Mitto ſemina quædam quæ ad manum erant. Ruſci recentia,
nec dubito quin naſcantur, ſed tardè. Hundtsbeer / genus peri-
clymeni ex alpibus acinis nigris, medicam: chamæbatum Ge. Ae-
mylij: ſed verius eſt Rubus Idæus, alius quàm Hindtbeer vulgò
dictus. Oculi Chriſti ſemina D. Cælio miſi: à quo petes, ſi voles,
ſed paucula admodũ. D. Oporino pro donato mihi Cornacis me-
dici libro, maximas ago gratias: & ſaluto officioſè.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

REdeunt ad vos Staniſlai noſtri: quos iam viciſsim tibi com-
mendo, feſtinant autem Lipſiam. Pro Seminibus & Plantis
ad me miſsis, gratias ago: plantaui mox omnes diligenter, & ſpe-
ro prouenturas. Teucrium in primis gratum eſt, ſed timeo ne hac
æſtate non floreat mihi fortè: & peto, vt ſi tibi floruerit, ramulum
cum flore ad me mittas ſuo tempore. Tulipanis tuus, vt ſpero mul
tiplicabitur, vt ſolent bulborum genera nouellis adnaſcentibus: vt
poſsis aliquando participem me reddere ipſius plantæ: & ſeminis
etiam probè maturi hoc anno. Antehac aliquoties ſemina ex Ita-
lia miſſa, fruſtra ſeui. Si quod capitulum, in quo ſemen ſit, profe-
ret, eius iconem aliquam mihi fieri cura: (quod fieri poterit, vbi
ſemine iam benè maturo capitulum totum antequam excidat, de-
cerpes) ita vt ſeminum etiam ſitus in eo appareat. Sic enim ſoleo
fructus ac ſemina plerìſque picturis meis addere, vt in tanto ſtir-
pium numero ſingula facilius dignoſcantur: & ipſæ picturæ de-
ſcriptionum ferè loco, eſſe poſsint. Seſeli Peloponneſiacum tuum
iam prius in horto habebam, abundat in ſaxis & collibus circa

Badam noſtram, ego oreoſelini potius quàm σελίνου genus eſſe puto: Sed quod ad remedia parum intereſt. Daucum Creticum duplicem (niſi tanta ſimilitudo ſit, vt me fallat) ad me miſiſti. Cantabritin non inueni: & peto vt ramulum aut folium ſaltem, aliâs ad me mittas, non puto autem te ſentire de Cantabrica Plinij, quam ego Gentianæ cognatam iudico. Mitto ad te Gladiolum vtrunque, Crocum Alpinum, Saniculam alpinam, primulam veris quæ tota hyeme floret, ſi nix ſinat, pæoniam marem, & antoram: nam Toræ Valdenſium plantula vnica mihi ſupereſt. Ocimoides Creticum, Hieruſalem Blůmen / habes fortè: ſin minus, autumno mittam, ſi vita dabitur, nunc in caulem erupit, & fortè periret. Cytiſi tui plantam valde deſidero, multum enim à meo differt, tuum veriorem iudico, cum florebit, ramulum mitte. Aquilegia vulgò dicta an ſit Pothos Theoph. conſiderabo, interim quod monuiſti & locum Athenæi indicaſti. gratias ago: etſi Athenæum perlegi totum diligenter, & quicquid πρὸς τὴν τῶν φυτῶν ἱστορίαν pertinet, diligenter notaui. Audio Dominum Henricum Petri habere Athenæi exemplum Græcum auctum alicubi, & emendatum à D. Arlenio puto: quod ſi ad me mittere dignaretur ad breuiſsimum tempus, mox & bona fide ei remitterem, & meum quoque exemplar (ſi vellet) locis innumeris emendatum lubentiſsimè ei permitterem. Commendabis me igitur ornatiſsimo viro, & plurimam meis verbis ſalutem dices. Pleuritis peſtifera apud nos adhuc vagatur: de qua tuum iudicium ad D. Cellarium ſcriptum legi & probo. De eadem, ſi nondum vidiſti, in conſilijs Montani legere poteris, in duobus conſilijs. Ego nuper ſexto die vel ſeptimo à principio morbi ancillæ cuidam pleuritide hac laboranti, dedi ℥. iij. olei de ſemine lini, quas duobus hauſtibus breui interuallo ebibit: vnde & aluus (aſtricta prius) mota eſt octies: & mox melius habere cœpit. Heri etiam vicinæ mulieri die ſexto propinaui ℥. j. ſ. & ſimilter ſucceſsit; ſed cum ſputum ei ſiſteretur, iuſsi eam poſtea ſumere decoctionem quandam cum ſeminibus vrticę, ocimi, radicum altheę, &c. & lambere loch ſanum cum quarta parte oxymelitis mei elleborati, quod ei valde profuit, vt nunc de ſalute eius optimè ſperem. Vale vir doctiſsime & chariſsime, & in poſterum quæſo ne præceptoris nomen mihi aſcribas, ea enim tua eſt doctrina, vt docere ego te nihil ferè poſsim, niſi fortè pauca quædam τῶν καθέκαστα, quæ infinita ſunt, & quæ docti etiam à plebeijs & ruſticis quotidie diſcunt. Vale. Tiguri. 1564. Aprilis die 24. Addidi herbam Doriam dictam (maximam

ſtellarum quas mitto) panaces chironium quibuſdam. Arthriticæ
hybernæ plantæ ſunt duæ: cum minore coniungitur fragaria, quę
fructum album fert. Saniculæ alpinæ, quæ arthriticæ cognata eſt,
vnicam plantam habeo, à qua propaginem vnam abſcidi, plantato
loco ſucciuſculo, non nimis profundè, ne putreſcat. amat enim in
ſaxis montium naſci quibus pauca terra inſperſa eſt. ego tamen in
area plantaui. Croci alpini plantam vnicã habeo, quam mitto, etc.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

CAntabricam accepi cum flore, & gratiam ago. Sæpe eam in
iugis montium inueni, Bitterwurtz paſsim vocant: quod no-
men ſi indicaſſes, herbam mitti non opus fuiſſet. Sæpe in hortis e-
ducare fruſtra conatus ſum, cultum enim omnem aſpernatur. Can-
tabricæ nomen ego etiã ei poſui (ſiue ea ipſa ſit, ſiue generis eiuſ-
dem potius) & Dalechampio medico Lugduni hanc meam ſen-
tentiam aperui, is verò ſua omnia Conſtantino, à quo fortè phar-
macopola ille iuuenis Maſsilien. acceperit. Illum vnà cum Petro
Pena iuuene doctiſsimo domi meæ per dies quatuor retinui, &
mea omnia oſtendi, multa etiam donaui. Cytiſus meus à tuo di-
uerſus, quatuor ferè cubitorum arbuſcula, odoratis & oblongis
florum ceu ſpicis aut paniculis plus quàm millenis puto nunc mi-
hi floret. Athenæum à D. Henrico Petri (quem ſaluto) expectabo
ſat citò, quandocunq; oportunum fuerit. Pro iis quæ de oleo è ma-
lis amoris rubris ad me ſcripſiſti, multum tibi debeo. Peſtem apud
vos adeò ſæuire, doleo: et Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti oro, vt te & alios viros bonos ab hac lue in ſui nominis gloriã
conſeruet. Amen. Audio D. Acronium confectam à ſe habere the-
riacam, qua feliciter vtatur, in huius mali curatione: felicius for-
tè quam alij ſtibio ſuo. Ego theriacæ Andromachi cum philonio
& paucis camphoræ granis, aut etiam euphorbij plus tribuerim,
ſequente ſudore, &c. Mitto, quæ eſt ad manum, D. Euſtathij Quer-
cetani, de peſtis curatione, ad me epiſtolam: quam cupio vel hoc
nuncio, vel altero primo quoq; ad me redire. Mitto D. Mundellæ,
quam te legere cupio, & nunquid imprimendo pergat D. Epiſco-
pius, & quouſq; impreſſerit, vno verbo indicare. Pro hiſtoria A-
chatis, maximas gratias ago. Ferulaginem tuam et Scammoneam
diligenter à te ſeruari & viuere tibi opto, vt earum aliquando à te
picturas, & fortè etiam ſemina accipiam. Vale in Domino, qui te

cum

cum tuis omnibus conſeruet. Cuperem te his canicularibus diebus (relicto paulisper cœlo veſtro) nos inuiſere, & domo mea tanquam tua vti. Saluta D. Oporinum, & Gratarolum, cui propter occupationes perpetuas iamdiu ſcribere non potui. Item D. Epiſcopium, à quo remiſſum Auentini librum accepi. Tiguri 1564. Iulij 14.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

IN hac tam præcipiti & funebri tempeſtate, qua Deo vos viſitare placuit, vt is idem vos propitius reſpiciat, ſoletur & conſeruet, propter Vnigenitum ſuum, toto pectore oro: & te in primis, ſuauiſsime Theodore, donec & ea quæ præ manibus habes opera, & alia cumplura vitæ, literis & eccleſiæ vtilia perficias. Mundellæ ſcribam, & ſchedam D. Nicolai Epiſcopij (quem ſaluto) ei tranſmittam. Scio ipſum perægrè laturum, rem tandiu differri. Ego quo ad potero verbis, deſiderium eius leniam: & beneuolentiam tuam ad omnia officia ei paratam indicabo. Pro iis, quę de ſtimeos præparati vſu, deq; D. D. Oſualdi & Acronij remediis in hac lue ſcripſiſti, gratiam ago: ſicuti etiã pro ſpecimine Theatri tui, quod varietate argumenti & multiplici obſeruationum diligentia, ac eruditione, non parum me oblectauit. Herba à te miſſa, ἡ ἄβικτος χυδαίως λεγομένη, miram vim habet in cienda vrina, aqua deſtillata præſertim: quæ ſi copioſius hauriatur, vel diabeten inducit. Folia quinque in poculum vini nuper impoſuit mulier στραγγουρῶσα, & vino epoto melius habuit. Cani cum dediſſem iuſculum in quo manipulus eius decoctus erat, per ſeſquihoram poſtea copioſiſsimam vrinam reddidit, pluribus verò horis pòſt etiam aluus bis copioſè mota eſt. Nomen vetus ignoro, balſaminæ alteri Fuchſij cognatam conijcio, cuti impoſita φοινίαση. Rhodiam radicem, his diebus in hortulo meo effodi, & in tres partes diuiſi radicem bene craſſam: tum rurſus plantaui, partem vnam, ſi deſideras, per occaſionem indica. Vale in Domino cum tuis omnibus. Tiguri 22. Iulij, anno 1564.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

PEſtilentia iam aliquot ſeptimanis in eodẽ ſtatu apud nos perdurat, ita vt in ſeptimanas, homines 60. aut 70. ferè tollantur.

Deus noſtri miſereatur. Vni & alteri oxymelitis mei elleborati permodicum dedi: & profuit. aliꝭs ex alliꝭ rutæq́ ſucco cum theriaca, aceto & aqua ardente, liquoris non ingrati cochlearia duo ad ſudorem, aliꝭs antidotus Saxonica noſtra, quam D. Platterus ex me habet: Argentinæ quidem nunc publicè in pharmacopoliꝭs recepta, propter euidentem eius ἐνέργειαν in hac lue, à me quoque primùm ad illos miſſa, aliꝭs purgatio leuis. Aliꝭs nihil, ſiue ob morbi magnitudinem, ſiue quòd ſerò conſulerent. Me quidem hactenus vix duo aut tres maturè conſuluerunt. Ego me meaq́ omnia Deo commiſi; & lucubrando ἐν τῇ τῶν φυτῶν ἱστορίᾳ pergo. Tu vt valeas, quid agas, ſcire cupio. Miſeram nuper libellos duos noſtros de peſte hîc impreſſos ad Dominum Gratarolum, vt alterum tibi traderet: qui neſcio quomodo intercidit. Sed nunc recuditur auctior idem libellus: quare iterum mittam his diebus, quem vbi acceperis, & iudicium tuum ſuper eo ferre quàm candidiſsimè, & epiſtolio huic pauca reſpondere, dignaberis. Dominus Oporinus Varias Caſsiodori ex Bibliotheca noſtra iam annis aliquot habuit, me fideiuſſore. Bibliothecæ præfectus exemplar iam aliquoties à me repetiꝭt: & ego nuper ad Dominum Oporinum, vt remitteret ſcripſi: qui cum ad reliqua epiſtolæ meæ reſponderit, de hoc nihil reſcripſit, quare cupio eum à te admoneri, vt remittat: aliâs ſi denuò petat, facilè iterum obtinebit: vt ego datæ fidei ſatisfaciam. Vale. Tiguri 1564. Decemb. die 13.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

TRagicam illam hiſtoriam non prius audieram: & gratias ago. Deus publicas calamitates, quæ priuatas huiuſmodi ſæpe ſequuntur, auertat. D. Cellario communicabo epiſtolam tuam. ὑπόθεσα noſtra Argentinæ iam, ni fallor, impreſſa ſunt. Peſtis hîc etiam remiſit, Dei gratia. Solet enim ea (niſi Deus nos ὑπὲρ φύσιν punire velit) magnis tum frigoribus tum caloribus ſedari; ceu ſepticum quoddam venenum, vnde & medicamenta hanc putredinem curantia, vel calidiſsima vel frigidiſsima eſſe debent; vel ex vtriſque permixta, vt omnis bona & πολύχρηστος ἀντίδοτος. Iam aliꝭ quidam ἐπιδήμιοι morbi, cephalæa præſertim contagioſa cum catarrho in pleriſq́, apud nos incipit: & plurimi adoleſcentes vtriuſque ſexus circa domum meam decumbunt hoc malo, ad tres

fere

fere aut quatuor ſeptimanas, antequàm leuari incipiant. Obſer-uaui aliâs in hoc morbo, nullos ferè mori, licet nulla remedia adhibeantur, niſi epilepſia ſuperueniente, vt ijs qui vinum bi-bunt: aut catharticis validioribus datis: vnde vires exoluuntur: quæ alioqui propter ἀσιτίαν huic malo familiarem, nimis ſunt fra-ctæ. A caſia tamen & lenientibus non eſt abſtinendum. Dominum Oporinum ſaluto, à quo remiſſas Caſsiodori Varias accepi. De Brodæo eius, in Dioſcoridem, quem habeo, ad eum ſcripſeram proximè: ſed nihil reſpondit. Ad te quoque ſcripſi, & interro-gaui de Hallero quodam viro docto, (qui ſuperiore autumno ad Dominum Oporinum venire debuerat) quem Dominus Laureus Cæſaris medicus mihi commendarat: ſed cum tu nihil de eo re-ſpondeas, an literas meas acceperis, dubito. Vale. Tiguri 1564. Februarij die 15.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

PArricidam illum iam captum audiuimus, breui (ſpero) etiam ſupplicium eius audituri. Literas tuas multò ante ſcriptas, ante dies quatuor primùm accepi ab auriga quodam, neſcio an ipſius aut alius culpa. In ijs dubitationes quaſdam & argu-menta profers contra loca quędam libelli noſtri de Peſte, pro qui-bus in præſentia tibi gratias ago. Conſiderabo illa diligentius cum D.D. Cellario & Vuolphio, maiore ocio. D. Cellarius ma-gna ex parte libellum illum confecit, D. Vuolphio tamen & me approbantibus. Video multa poſſe melius dici & diſtinctius, ſed requirebatur à nobis hæc breuitas: & vulgo hominum ſcriptus eſt, non eruditis, quare ſemel & iterum monetur lector, conſulen-dos eſſe medicos, ſi fieri queat: non poſſe omnia ſatis explicari ſcriptis, &c. Quæ de antidoto Matthioli ſcribis, libenter co-gnoui. In Paracelſi de Peſte libellum confectam à te tabulam ſi miſeris, gratius erit ſynopſin illam paucis cognoſcere, quàm lon-gas eius deblaterationes legere. Remittam autem ſtatim. Anti-monij Peletarij deſcriptionem habere me puto: â qua tamen ab-horreo propter hydrargyrum. Arundo illa Indica, cuius ſemen Patauio attuliſti, viuit ne vobis adhuc? Semen à te miſſum iam non memini, ſeui quæcunque miſiſti: ſed Canna nulla prouenit.

Calycem licet vacuum, ſi habes, mitte: & ſemen, ſi plura non ſuppetunt, vel vnicum adde. Cuperem etiam ſpecimen Cannę Indicæ illius, è qua globulos horarios conficiunt, in vno alteroue globulo videre. Quæ de viribus miris olei de fructibus ſolani pomiferi (ſic enim ego voco) mihi communicaſti, perlibenter legi. Ego ſolanum herbam paris tetraphyllum quoque, vel ex eo oleum idem præſtiturum conſiderem, nam in graui hæmorhoidum dolore nuper id feliciſsimè expertus ſum: & ſcio alios in carbunculis & apoſtematis peſtilentibus, folijs aut acinis impoſitis feliciter vſos. Id verò an proprietate aliqua faciant, aut ſuæ qualitatis vi, in medio reliquerim. Hoc ſcio, valdè refrigerantia pleraque, vt mandragoram, cicutam, hyoſcyamum, tubercula dura, & quæ calidis mollientibus & digerentibus minimè cedunt, ex æquo diſsipare: lego etiam ebur ab eis molliri. Rhodia radix, ſi ſuperſtes fuerit ab hac hyeme, libenter ad te mittam: & ex tuis quorum ſpem mihi facis, expectabo cupidè: Theatrum tuum feliciſsimè & abſolui & diſtrahi opto. Fama eſt Lithuanos nuper cladem à Moſchis accepiſſe. His iunxi literas, quas rogo vt primò à certo nuncio, Friburgum mittas, peruelim autem te tradere veſtratium alicui ad vos redituro, vt & viuere Friburgenſem illum & literas curatas eſſe intelligam. Reſponſum etiam vrgeri vellem ad te mittendum: quod tu poſtea ad me dares, id enim plurimum mea refert. Quicquid expenderis in nuncium, indicato. Vale. Tiguri 1565. Februarij 23.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

MItto radicis Rhodiæ partem à me reſectam: quæ plantata tibi facilè creſcet, vt & aliàs expertus ſum, noli autem nimis profundè terra obruere, ſed ita vt gemmæ turgentes propè ſuperficiem ſint. Huic addidi pulegij ceruini plantulam, ab vna mea refractam. Monſpelio miſſum eſt Lugdunum ante annos aliquot, inde ego accepi, facilè creſcit, ſub hyemem ramuli in terram curuari & obrui debent. Item Cepææ plantulam folijs portulacæ: & bulbulos Ornithogali adnatos maiori, quem habeo, & perfoliatæ perennis ſeu montanæ plantam. Tu eiuſdem generis ἀντίδωρα viciſsim ſpero aliqua mittes. Ex ijs, quæ habes, deſidero in primis, Smyrnium verum, cytiſum, archangelicam, glaucium ſeu papauer cornutum.

nutum rubrum : malim autem plantas quàm ſemina, vt flores futura æſtate ſperare poſsim, & picturas curare. Tabellarius hic vicinus meus & compater rectè curabit, quicquid mandaueris. Populus alba cum florebit apud vos, quod fortè iam fit, cura quæſo, vt flos mihi pingatur ſuo colore & lineamentis omnibus bene expreſſus, & florem vnum chartula inuolutum mitte. Creſcebat in prædio D. Platteri, hortare ſtudioſum aliquem medicinæ, vt in noſtram gratiam obſeruet: vellem & arbuſculam vnam eius generis nouellam ad me mitti per hunc præcipuè nuncium, antequàm in germina aut ſurculos erumpat. Quicquid expenderis, indicabis. Euporiſton Dioſcoridis exemplaria quatuor curabo ad vos mitti Argentina ad Mechlinienſem, quorum vnum tibi donabo, alterum D. Huobero, tertium D. Plattero, quartum D. Gratarolo. Rihelius Argentinæ impreſsit : vrgebo vt mittat ante ſuũ diſceſſum Francfordiam, ſi fieri poterit. CL. V. D. Huobero me commenda : qui ſi voluerit mittere partem illam Raſis, in qua de medicamentis agitur ſimplicibus & compoſitis, gratum faciet, poterit autem includi dolio alicui huc mittendo à Mechlinienſi, ſiue nunc, ſiue poſt nundinas. Chamæmalum peregrinum odoratiſsimum, ſi habes, mittendis ad me adde: aut à D. Cælio nomine meo pete, qui forſan & ipſe aliquid addet. Perierunt mihi rhododendra aliquot, (quotquot habebam, quatuor aut quinque) hac hyeme, & myrti etiam præter vnam vix ſemidigitum longam. Si D. Cælio abundant : & crethmus, & aliquod fortè rarioris braſſicæ genus, gratiſsimum erit, ſi miſerit. Vale. Tiguri 1563. Martij die 22.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico*

MVndellæ theatri editionem perge quæſo vrgere. Hertelij mortem doleo. Pro ijs quæ de Ioan. Bund. ſcripſiſti, gratias habeo. Georg. Cellario de perficienda Maſſarij harmonia, locutus ſum : & forſan reciperet : ſed metuo ne longo admodum tempore immoraretur, etſi enim ingenio & doctrina valet, ad labores lucubrandi natus mihi non videtur. Vuolphius autem occupatur in alijs. Quas miſi plantas, rectè ad te perueniſſe: proq; illis quas viciſsim tu ἀντίδωρα miſiſti, gratias ago. Archangelica tua nobis ſponte paſsim circa riuos montanos abundat, vix puto tibi è ſemine natam. Panacis chironij, quod herbam Doriam Itali vo-

cant, pulchrè ſanè, & facillimè diutiſsiméque durantis in hortis noſtris, vnam & alteram plantulas, ſi deſideras, accipies aliâs. Chamæceraſi genus illud, quod Arabes Mahaleb vocitant (ego Petroceraſum vocari poſſe puto, quòd in petroſis montium locis naſcatur) plantã puto te in horto habere aut habuiſſe: nec procul Baſilea naſci, Tornaci nimirum. Cupio autem ſcire, ſi plantaſti, an tibi adhuc viuat. Vellem arbuſculam perexiguam, ſuperficie reſecta, ad me aliquando mitti, fortè ſtudioſus medicinæ aliquis pro luſtrandis herbis eò exiret admonitus, & vnam atque alteram plantam adferret. Difficilè effodiuntur inter ſaxa. Deligere oportet et nouellam aliquam, minimè annoſam. Apparent autem ſæpe nouellæ, quæ non ſunt, quod radicum magnitudo oſtendit. Nuclei eorum contra renum calculos valent, vt aliorum quoque ceraſorum, quibus tamen efficaciores multò ſunt, & odoratiores. Depictum habeo ramum cum fructu, floris picturam adhuc deſidero: ſicut & amygdali, & populi albæ, quã puto iulos quoſdam florum loco ferre. De his ſingulis ſat fuerit ramulum vnum exiguum cum flore pingi: ne ſumptus maior fiat, quàm opus ſit. Theatrũ tuũ libentiſsimè videbo: etſi munus illud ſplendidius erit, quàm ὑπόμνηστα noſtra, ſi ad te peruenerint, mereãtur, χρύσεον χαλκέων, in eo ſi quid animaduertero, de quo admonendus videare, faciam vt amicum candidum decet: quod à te viciſsim in Eupo2riſtis expectabo. Narciſſos periſſe miror, cum genus bulboſum non facilè pereat, ſaluis ſemper radicibus. Si tibi reuixerint, aut hyacinthi, memineris mei. Malum medicam pomiferam his diebus accepi, legatam mihi: & Berna miſſam viticem: quam D. Benedictus Aretius illic aliquot annis aluit, ita vt hyeme ſemper periſſe videretur, ſuperficie tota arefacta: ſed Maio menſe quotannis noua à radice pullities exorta eſt: quam ego etiam hoc anno ſperabo.

Ex Anglia nuper ad me ſcripſit Ioan. Caius medicus, ſe mittere ad Frobenium & Epiſcopium libellos quoſdam ſuos imprimendos: quos ſi non admiſerint, ſe velle vt ad me mittantur, eorum enim altero de canibus Britannicis agit, ὃν ἐμοὶ προσπεφώνηκε. Is iconibus opus habet, ni fallor. Quare peto mi D. Zuinggere, vt per occaſionem, huius aut illius filios Typographos hac de re alloquaris: vt an acceperint, & an impreſſuri ſint, & quando, ſciam. Canum quidem icones Froſchouerus noſter habet: qui hoc nomine commodius imprimeret: & ſi, an vellet, neſcio. Poſtremò ſcire à te cupio, an inuenire poſſem apud vos aliquem iuuenem

aut

aut adoleſcentem mediocriter inſtructum literis, medicinæ ſtudioſum, pauperem, modeſtum & bonum: qui mihi ſcribendo ac deſcribendo nauaret operam: poſſet interim lectionem vnam aut alteram publicam audire: & domi apud me obiter in menſa & aliâs proficere. Non ſufficio laboribus lucubrandi: quo doctior eſſet adoleſcens, eo plus me iuuaret. Si quem inueneris, qualis ſit, cuius ætatis & doctrinæ, & quando venturus, ſi peterem, ſignifica. Aeſtate futura forſan etiam alpes, eo comite aſcenderem. Vale. Tiguri. Aprilis 8. 1565. Saluta meis verbis D. Huoberum virum clariſsimum & bene meritum de me: & doctiſsimum Cælium cum Auguſtino F. cuius literas nuper accepi: & neptis meæ ſtatum intellexi, cum aliquid ipſis dignum habebo, reſcripturus.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

QVinto Maij ad te ſcripſi, hoc tẽpore nihil ſcripturus, quòd temet nos hic inuiſurum vnà cum D. Oporino, cupidiſsimè expectem, vti ambo ſpem nobis feciſtis. Sed cum D. Mundellæ felicis memoriæ nepos hodie ex Italia huc venerit, ad vos Baſilæam deſcenſurus, & tuus ad nos aduentus mihi dubius ſit, nolui eum ſine meis ad te literis dimittere: vt nunc iterum & poſtremò Theatrum patrui eius tibi commendem: quò omnem lapidem moueas, vt id non ſolùm excudatur (ſicuti receperunt, D. D. Epiſcopius & Frobenius primùm pariter, deinde Epiſcopius felicis memoriæ ſeorſim, ac poſtremò etiam filij) verùm etiam ita cudatur, vt excuſoribus vtile, ſtudioſis commodum, & authori honorificum ſit. Da quæſo ſingulare hoc pietatis genus in defunctos, manibus authoris: memini te viuenti ipſi operam tuam pollicitum. Gratum ſe futurum promittit etiam hic nepos eius, Ioannes Baptiſta nomine, iuuenis ſanè honeſtus ac literatus, quem tibi plurimum commendo. Scribo ad Epiſcopios quoque, deque mea ſententia, quam aliâs ad te perſcripſeram, aliqua repeto; ſed omnia tui iudicij trutinæ permitto. Scio te in multis maximis occupationibus literarijs præſertim, & lucubrationibus proprijs perpetuò verſari. Sed ſubtrahe quæſo tibi aliquantulum temporis, quò plenum ſolidúmque aliquod conſilium ad huius operis perfectionem depromas: & vel D. Gratarolum, vel alium in prima eius aggreſsione inſtituas ſimul ac iuues per aliquot folia. Mihi certè opus vtiliſsimum

futurum videtur, nec ita multo labore perfici poſſe, præ eo, ſi à principio nouũ tale tantumq́; opus fieri deberet. Vale & ad nos aduola quàm primùm, ne nos iam diu auidiſsimè aduentui tuo inhiantes fruſtreris. Tiguri raptim 1565. Iunij die 14. Mitto ad te D. Cratonis epiſtolam de peſte ad Peucerum ſcriptam: quam iam dudũ accepi ad te mittendam, tuum enim iudiciũ requirit, ſed neſcio quomodo mittere oblitus ſum. Aliquando, ſi placebit, mihi remittes, nondum enim perlegi: & tuum ſimul iudicium epiſtola non obſignata ad D. Cratonem; vt cum perlegerim, ipſe obſignem. Vide quantum de te mihi promitto.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

CVm vicinus hic meus ad vos deſcenderet, arripui chartam, vt nunc video ſordidam, adeò familiarem me tibi puto. Remitto D. Cratonis epiſtolam, quam apud me reliqueras. Multis iam menſibus nihil de eo cognoui: & valetudini eius timeo. Liber meus περὶ λίθων nondum eſt abſolutus: & adeò me occupat, vt aliud nihil ferè cogitare poſsim, etſi non magnus. Tuas in Ethica tabulas parum adhuc vidi: quæ autem vidi, perplacent: nec dubito quin omnia ſuo authori reſpondeant. Inſpexi etiam obiter Neandri ſcripta de ſuis collectaneis: quæ mihi ſummopere placẽt, & optarim locos communes ex omni optimorum authorum genere collectos extare: alios ex Latinis tantùm, alios è Græcis. Græci pro Stobæo noſtro, in quem priuilegium impetraui, augendo facerent: quem à me valdè auctum iam pridem, ſi Froſchouerus noſter nolit, per alium quempiam recudi curabo. Tu ea de re, ſi videbitur, cum D. Oporino colloquere. Habeo & Procopium Græcum, quem cuperem edi ſua lingua. Stylus eſt elegans, & viris Græcæ linguæ doctiſsimis probatur. Tua omnia breui remittam. Vale. Tiguri. 1565. Auguſti die 9. Præludit iterum hic peſtis: quæ iam intra quatuordecim dies tres tantùm abſumpſit in vrbe. In pagis autem proximis, ad lacum, permultos. Hodie in angina periculoſiſsima cataplaſmate ex hirundinis nido cum melle & adipe gallinaceo vetere, feliciſsimè vſus ſum. Cum ſe occaſio offeret, Eryngij florentis plantam integram mitte, quæſo, per aurigam, aut alium qui curet: vt curem depingi, & ſuo tempore ſemen.

CON-

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

SI D. Oporinus exemplaria circiter 16. Liebleri, Francfordiæ Froſchouero adhuc dederit, bene erit. Gaudeo Ethica tua tàm citò publicatum iri. De Elaphoboſco gratiam ago, herba altera, pinguis, flore luteo, mihi etiam in horto creſcit: & circa vias multis in locis, orminum luteum voco. Itali quidam Cerinthen putant: Germani aliqui Flôkraut, quòd folijs per cubicula ſparſis, cum pinguia & viſcoſa ſint, pulices adhæreant, & facilè ſimul euerrantur: facultates eius nondum exploraui, calfacere, emollire & diſcutere videtur. Flos ac ſemen Ormini eſt. Plura nunc non licet, & Froſchouerus feſtinat includere mittendum ad vos dolium, cui munuſculum addidi, libellos metallicos & de lapidibus noſtris. Vale raptim. Tiguri 1565. Auguſti die 28.

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

VAſculum illud cum herbis aridis, tàm ſerò tibi redditum mirarer, niſi magnam hominum tùm inertiam, tum perfidiam experirer indies. quòd autem herbæ laceræ ſunt, eius cauſam iampridem ſcripſi. Reliquas tuas mittam propediem, feſtinandum eſt mihi neceſſariò, vt innumeras illas quas D. Bauhinus com modato dedit, depingi, aut meas quarundam picturas ex illis emendari aut abſolui curem, quod vbi perfecero, ad tuas accedam, pauculas quidem illas, quas interim optimè tibi coniunctas ſeruo. Optarim autem ſi quas rariores & peregrinas plantas, earúmue partes repoſitas habes, illarum nomina ſaltem ad me ſcriberes, primo quoque otio, ita vt cum ſingularum mentione exprimeres, an flos quoque fructus aut radix, vnum ex his vel duo, vel omnia, præter ſtirpem cum ſuis folijs, adeſſent. Hæc enim tria, vt in omnibus ferè plantis ad viuum exprimam, valde contendo. Ex his enim potius, quàm folijs, ſtirpium naturæ & cognationes apparent. His notis (à fructu ſemine & flore) Staphiſagriam, & Conſolidam regalem vulgò dictam, Aconito συμφύλους εἶναι βοτάνας, facilè deprehendi. Perlecto Catalogo tuo, perpaucas ex his fortè peterem, ad perficiendas picturas meas, aut aliquas ex eis etiam nouas faciendas. D. Cortuſius Patauio

iam aliquoties multa ad me miſit: & poſtremò inter alias, Hieri-chuntida dictam roſam cum folijs. Pro Continẽte Raſis tibi, & Cl. medico D. Houbero (quem præceptoris inſtar colo) maximam habeo gratiam. Video in eo plurima inſtituto meo neceſſaria ineſſe: ad quæ omnia exſcribenda ocium mihi non datur: nec auſim committere alij, ne tam elegans liber commaculetur. Itaque remittam fortè qualem accepi. Percuperem autem te à Cl. ſenatore. D. Henrico Petri, vetere patrono meo optimè merito, interrogare, num ipſe forſan hoc volumen non ligatum, aut non ita eleganter habeat: veriſimile autem eſt eum habere, cum cætera, præter hoc, Raſis opera, excuderit. Si habet & commodato dare dignabitur, nec metuit litturas ſi quæ fortè incident (innoxiæ tamen contextui) obiter, dum vtar, loca multa emendabo, & multorum Arabicorum vocabulorum in ſimplicibus medicamentis interpretationem adſeribam: quod iam etiam in Auicennæ libro ſecundo feci. Vtinam typographus aliquis apud vos egregium hoc volumen, & medicis neceſſarium meo iudicio, recuderet, nunquam in Germania procuſum. Cornarij Dioſcoridem quoque accepi: pro quo tu D. Epiſcopijs per occaſionem meo nomine gratias velim agas: donec mihi etiam idem faciundi occaſio detur. Mitto D. Cratonis ad te literas, quas hodie accepi, vnà cum alijs iam pridem datis, quibus petit, vt te vrgeam de mittendo ei reſponſo: quod iam factum à te puto. Accepit nos hactenus peſtis hiſce menſibus proximis multò clementius quàm ſuperiore anno. D. Epiſcopij aut fortè nunc Frobenij, ſi vllum habent librum medicinalem manuſcriptum in folio, is ipſe fuerit, quem commodato ad breue tempus peto: cuius te per occaſionem meminiſſe velim. Rurſus in alia D. Cratonis ad me epiſtola, quã his diebus accepi, hæc verba addita ſunt. D. D. Zuinggerum vel alium horteris quæſo, vt Prefationes & Epiſtolas in libros (diuerſorum ſcriptorum) D. Simonis Grynæi in vnum librum colligat, & ædat. Hoc tibi ſi non vacat, per alium fieri curare poteris. Vale. Tiguri. 1565. Nouembris die 26. Spero me breui habiturum ſemina herbæ ex nouo orbe allatæ, cuius folij particula mandentem ſolum (licet non deglutiat) aut fumum haurientem, ſubitò inebriat: vt ipſe non ſemel expertus ſum. Iconem habeo, flos elegans eſt (Bernæ natus amico) Conuoluoli ſeu Campanulæ inſtar, purpureo colore. Hæc & alia fortè rariuſcula accipies, ſi me iuuare, & rariorum tuarum catalogum ad me maturare pergas, &c.

CON-

CONRADVS GESNERVS THEODORO *Zuinggero medico.*

ANte ſeptimanas quinque miſi ad te pegmation cum herbis ſiccis, quæ à Reginaldo pharmacopola acceperam, id an receperis ſignifica. Reliquas etiam herbas paucas, propediem mittam. Aegrotauit aliquandiu pictor meus, vt opera eius vti non licuerit. Remitto nunc tandem ſcriptum tuum de peſte ad D. Cratonem, quod mihi omnino & nobis omnibus perplacet. Deſcripſerunt hoc ſibi & probant D, D. Cellarius, Vuolphius, Funccius, magnas pro eo tibi gratias agimus. Nobiſcum in vrbe ſatis clemẽter adhuc agitur, puod ad peſtem: in agro ſæuius. Quod ad præſeruationẽ, neſcio an aliquid melius excogitari poſsit Oxymelite meo, minori aut maiori, aut mixtis vtriſq;. Percupio vt de Continenti Raſis partem illam quæ de ſimplicibus medicamentis agit, à Cl. viro D. Houbero mihi nunc impetres, remittam breui & tutò, & tractabo purè: nec ero ingratus pro hoc beneficio. Vbi & quanti emerit opus totum, ſcire cupio. Affini huic meo rectè committes, ſi vacabit nũc: ſin minus, his diebus maturè tradi poterit alicui ex ciuibus noſtris peplorum mercatoribus, qui ad nundinas veſtras veniunt. *Si* verò grauetur (quod non ſpero) mihi commodato dare, à D. D. Epiſcopijs (quos ſaluto amanter) mihi pete quæſo commodato librum Grǽcum manuſcriptum medicinalem, in folio, nomen authoris excidit, Damaſceni cuiuſdam eſſe puto: breui me remiſſurum addes. Habui eundem à parente ipſorum piǽ memoriæ ante annos aliquot, & obſeruaui ſimplicium medicamentorum rara quædam vocabula ineſſe, quæ nunc excerpere cupio. Vellem prǽterea, vt ſi Cornarij in Dioſcoridem imperfectum aliquod exẽplar haberent, id ad me mitterẽt, indigeo enim ad priuata mea ſtudia, pro quo beneficio ne ſim ingratus, in Pandectis medicis noſtris, quas D. Vuolphius nunc parat, id volumen non ſine aliquo elogio nominabo. Eiſdem dices me librum Græcum, Ariſtotelis paraphraſin, quam D. Bechius vertit, manuſcriptum, iam pridem à parente ad me miſſum, ipſis nunc remittere, in vaſe Froſchoueri ad Mechlinienſem: & ei coniunctum eſſe volumen Italicum, quod ad D. Cælium pertinet, quem etiam de hoc moneri cupio. Pro vectura iã hic ſatis feci Froſchouero. Ad comitem Furſtenbergenſ. colicæ cruciatibus vehemẽter obnoxiũ, vocatus medicus quidam clyſteres ferè 30. iniecit fruſtra. Poſtea alius quidam amicus meus (qui id ad me ſcripſit) accerſitus propinauit:

Mannæ Calabræ ℥.ij. ſ.olei amygdalarum dulcium ℥.ij.omnia diſſoluta in iure gallinæ pingui pro ientaculo bibit æger, & mox melius habere cœpit: medicum 70. florenis honoratum dimiſit, &c. Patauio ex horto Magnifici D. Priuli, ſi potes, acceſſe nobis Chamędaphnen verã, & Cirſium: hoc eſt, plantas ſiccas integras, aut pictas, & ſemina, &c. D. Zuinglij noſtri vxorem vteri ſuffocatione ſimul & ventris profluuio periclitantem nuper curauimus, & inter cætera hoc dedimus remedium.

℞. theriacæ optimæ ʒ.j. philonij ℈.ſ. medullæ cornu monocerotis, boli Armeni Orientalis, ana ℈.ſ. miſce: eo accepto cum iure cicerum puto, paulò poſt in ſudorem ſoluta eſt, & paulatim melius habuit. Quod ſcribo, quoniam idem aut ſimile medicamentum peſte etiam correptis pleriſque ſaluberrimum fore ſperarem: poſſent autem quatuor vel quinque grana euphorbij vel camphoræ vel vtriuſque addi. Opium in antidotis ſudorem mouere obſeruaui: & opium aut ei reſpondentia, vt ſolanum ſomniferum, nucem vomicam, ſolanum tetraphyllum, hoc eſt, herbam paris, contra peſtem in homine & alijs animalibus præcipuam omnium vim habere: ſed miſcenda ſunt calidiſsima aliqua. Vale. Tiguri. 1565. Nouemb. 30.

CONRADVS GESNERVS DIDYMO *Obrechto Argentinenſi medico.*

MItto ad te clariſsime Obrechte, libellum Paracelſi recens excuſum, in quo ſi pleraque fortè tibi diſpliceant, pleraque etiam ita ſint obſcura, vt Oedipo, Delióue natatore opus habeant; erunt tamen aliqua fortè quæ placeant, aut ſaltem quæ admireris. Fuit is Paracelſus noſtra memoria Magus, admirabilis homo, notus amicis quibuſdam meis, à vicinis noſtris Heluetijs oriundus, peruagatus magnam orbis partem. Chymica arte, quam ipſe puto Spagyricam vocat, excellentiſsimus omnium, ita vt per eam metalla immutaret, argentum ac aurum faceret (quod nuper audio quendam teſtatum eſſe in libello Chryſochoæ titulo Colonię excuſo) & morbos inueteratos ac alijs omnibus Medicis incurabiles, breui & facilè curaret, lepram, hydropes, epilepſias, vlcera cacoëthe, id quod mihi diſcipuli quidam eius teſtati ſunt, & amici ex Polonia ſcripſerunt. Libros complures ſcripſit, ſi quis aliquot, ordine præſertim legerit, facilè intelligi aiunt. Sed plura de Mago hoc ſcribendi ociũ nunc nõ eſt, hoc enim tẽpore in diuerſas

orbis noſtri partes permultæ ad amicos literæ mihi ſunt ſcriben-
dæ. Quamobrem ignoſces mihi, quòd breuius rudiusq́ hæc exa-
rem. Hortum nouum & amplum hoc anno ſtruxi, exemplo tuo im
pulſus, laudabili opinor æmulatione, vt multitudine & raritate
ſtirpium tecum contendam, ſed metuo, ne vincar, quoniam cœlum
noſtrum minus nobis propitium eſt, & occupationes variæ, vxo-
ris valetudo, & alia quædam me impediunt. Enitar tamen quo ad
potero, tum aliâs, quoniam in rerum naturæ cognitione delicias
meas ponere ſoleo, tum vt accuratius inſtitutum Hiſtoriæ ſtirpium
volumen olim (Deo fauente) perficiam. Ad eam rem labores &
ſumptus ſubinde magnos ſuſtineo. Amici Galli, Itali, Angli, Ger-
mani, Poloni non pauci me adiuuant liberaliter & candidè: inter
eos doctiſsime Obrechte te quoq; non poſtremum eſſe cupio, oro,
& obſecro. Peto itaq; ex ampliſsimo pulcherrimoq́ horto tuo ſe-
mina, præſertim ſpinæ citrinæ & alterius, quam (ni fallor) ſolſti-
tialem nominabas. In Catalogo hortorum Germaniæ, quem ad
Rihelium miſi, ſæpe te nominaui, in eodem, quænam nobis na-
ſcantur reperies: ex quibus quæcunque petieris mittam certè li-
benter & liberaliter: propter eximiæ tuæ in me hoſpitalitatis me-
ritum. Vtinam me quoq; meosq́ hortos inuiſere tibi liberet, ac ſi-
mul metallorum, lapidum, gemmarum, animalium genera μυρία;
picturas innumeras, feneſtras xv. in quibus marinorum, fluuiati-
lium, & lacuſtrium piſcium ſpecies omnes elegantiſsimè in vitro
depictæ ſunt, &c. & aliqua ad artem noſtram factitandam non in-
utilia. Forſan etiam Doctor Vlricus Chelius noſter te comitare-
tur, quem meo nomine plurimum ſaluere cupio, & amicos reli-
quos, in primis verò clariſsimum parentem tuum, pietate & alijs
virtutibus venerandum ſenem. Vale in Domino quàm feliciſsi-
mè. Raptim Tiguri anno 1560. Martij die 18. Hic qui tibi has red-
dit, mox ad nos redibit: per illum quæſo ſcribe aut ſaltem mitte, ſi
quid mittere potes, & D. Doctorem Maſſarium quoq; (ad quem
his diebus ſcripſi) vt idem faciat hortare. Valde cuperem D. Ri-
helium libellum meum de hortis Germaniæ per hunc nuncium ad
me remittere, ego auctum & emendatum alicubi, ad initium
Iunij, quo tempore nundinæ Zurzachiæ ſunt, re-
mitterem, ſin imprimendo ſtatim per-
gere mauult, retineat. Non va-
cabat relegere.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio, Sacrarum literarum profeſſori, Bernæ Heluetiorum.*

ANte biennium, circiter, memini literas tuas accepiſſe, Benedicte doctiſsime, Marpurgi ſcriptas, quibus ſemina quędam ad te mitti rogabas. Ad eas, quòd hactenus non reſcripſerim (nihil enim diſsimulabo) ignoſces, multas ob cauſas. Primùm quę petebas, apud nos non extant, ex Gallia vel Italia petenda: deinde nō licebat, propter tabellionum inopiam, aliò quàm ſub nundinas Franckfordienſes tempore literis tuis reſpondere, quo quidem ego propter libros à me editos magis, quàm vlla anni parte occupatiſsimus hucuſq; ſemper fui. Accedunt bellorum calamitoſi caſus, qui ita nos affecerunt, vt neq; mihi liberet de plantis, tam humili (ſi temporum rationem ſpectes) argumento, ad amicos ſcribere, nec illis, ſi quid tale ſcripſiſſem, gratum futurum exiſtimarē. Nunc verò quoniam & propinquior nobis es, & bellorum tumultus aliquantulum ſubſederunt, non iniucundum erit de re herbaria frequenter tecum conferre. Nouam conditionem inſtituendæ adoleſcentiæ gratulor tibi, interim tamen ne τὰ ἰατρικὰ deſeras, adhortor. Plurimum Vuigandus Heſſus nuper literis ſuis te laudauit & mihi commendauit: quod quidem minimè opus erat, cum & Heluetiæ communis patriæ & doctrinæ coniunctione, & maximè religionis, chariſsimum te ſemper ſponte mea tuoq; merito ſim habiturus. Fuchſius nuper mihi ſignificauit, herbarum figuras ſe vltra trecentas habere nouas, quas neſcio quando ſeorſim editurus ſit. Sed ne herbarij ſtudij inanes tibi literas mittam: quid his diebus à me in Plinio obſeruatum ſit communicabo. Plinius igitur lib. 21. cap. 13. ſic ſcribit. Herba eſt ab exitio & iumentorum quidem, ſed præcipuè caprarum, appellata Aegolethron. Huius flores concipiunt noxium virus aquoſo vere marceſcentes. Ita fit, vt non omnibus annis ſentiatur hoc malum (vt ſcilicet apes mel venenatum ex floribus huius herbæ corruptis colligant) Hęc ille. Videtur mihi ſanè αἰγόλεθρον herba iſta, quam ruſtici noſtri vocant, die Böß Blům/ & den Bösen heinrich / ſimilis planè, quod ad ſuperficiem, herbæ illi, quam Hieronymus nono loco inter Satyria ponit, (cum Orobanche potius ſit, multi imperiti pharmacopolæ hypocyſthidem hactenus vocabant) creſcit enim ſine folijs, caules tantùm floribus carnoſis & acinoſis onuſtos gerit, ex pallido colore ad purpureum inclinantes: radix alba eſt & multis nodis cohærens, ad ſex vel vltra cubitorum longitudinem, quæ cum effoditur

foditur

foditur, humore plena & tactu frigida percipitur. Vites iuxta naſcentes, frigore ſuo interimit. Caulis enaſcens pauimentum etiam penetrare poteſt, quamuis tener & mollis. Gramen in circuitu copioſius naſcitur, ſed id quoq; vapore eius infectum, quamobrem à vaccis non attingitur (equi tamen non abſtinent) Semina rotunda milio ſimilia, &c. Hæc herba cum adeò noxia ſit, & verè tantùm paucos dies appareat (mox enim à ſole marceſcit) & flores proferat vt Plinius ſcribit, aquoſo vere marceſcentes, planè videtur mihi Aegolethron eſſe: idq; pluribus probarem, niſi chartę anguſtia obſtaret. Tu etiam ſi quid habes à te obſeruatum, mecum communica. Vale. Tiguri 1551. Calend. Iulij.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

QVod Bullingerus & ego nihil effecimus in eo, de quo à te & Hallero ſcriptum eſt, negotio, nulla culpa aut negligentia noſtra factum eſſe (humaniſsime Benedictę) ſatis te intelligere arbitror, nec eſt quod pluribus rei moleſtæ, quæ reuocari non poſsit, memoriam extendam. Arouienſis bibliopola ante quatriduum, ampliſsimum caſeum liberalitatis tuæ munus attulit, vnà cum literis tuis: & eodem die alteras etiam à Ludouico Herbario accepi. Pro caſeo maximas tibi gratias habeo: non tantum merebantur Indici porcelli, ſatis mihi erat à te amari, καὶ ἐνδοξότερόν γε ἦν νικᾶν ταῖς εὐεργεσίαις. νῦν δὲ τῇ σῇ φιλοδοξίᾳ ἐπὶ πλεῖστον ἡττώμενος νενίκημαι. εἴκω δέ σοι καὶ ἑκὼν συγχωρῶ τῆς νίκης, καὶ ὁμολογῶ μὲν ἡττᾶσθαι, δυσχεραίνω δὲ ὅμως παρ᾽ ἐμαυτῷ, καὶ ὑπαγανακτῶ, ὅτι τῶν προτέρων τούτων ἀπολαύειν μὴ οὐκ εἴασας. Ego ne poſsim tibi ambitioſus videri; aut qui tecum muneribus certare velim, nihil remitto, præter vnum vel ſeſquifolium papyri, quo ὑγιεινὰ ἄττα παραγγέλματα continentur. Libellos noſtros iam ſemel & iterum promiſſos περὶ τῶν σεληνιτίδων βοτανῶν, καὶ τὴν τοῦ Πιλατείου ὄρους περιήγησιν, breui expectabis. Quæ de Aſtrantia nigra (quam Fuchſius etiam pinxit & deſcripſit) & Doronico Germanico vel alpino ſcripſiſti, perlibenter legi, & nomina quædam noua didici. Omnino autem tecum ſentio de Doronico, idem eſſe pharmacopolarum Doronicum Romanum, & noſtrum, neſcio vnde dictum, Graffoyum, niſi quod generis vnius proximi, natalibus & magnitudine nonnihil diuerſæ ſpecies duæ proximæ videntur. Vale cum amicis. Tiguri 1552. Ianuarij die 29.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

GRatiſsimæ mihi literæ tuæ fuerunt, gratiſsimæ etiam quas miſiſti ſtirpes: pro vtriſq; maximas tibi gratias habeo. Rogo autem vt pergas frequenter huiuſmodi ad me miſsitare: nam tu ſolus ferè amicorum mihi reliquus es, à quo aliquid in hoc ſtudiorum genere expectare poſsim. Cæterum quòd ſuper ijs, quæ mittis meum expectas iudicium, magnum modeſtiæ tuæ argumentum eſt. Inter ea quæ miſiſti maximè admiratus ſum ſyluestrem illum Croci florem, neque enim aliter appellare poſſum, & nunc hæc ſcribo feſtinans: percuperem autem deſcriptionem huius floris copioſiorem ad me dari, vt etiam herbæ illius quam hundtszung vocaſti: neutra enim antehac mihi viſa eſt. Aſter quem mittis, à Fuchſio etiam pro Aſtere pingitur. ego nondum affirmo. Hirtzwurtz herba folijs ferè Chamædryos, ſæpe mihi in altis montibus inuenta, nullo hactenus nomine mihi cognita fuit, nunc ſaltem Germanicum ex te nomen eius audire gaudeo, quanquam id ὁμώνυμον eſt: nam vna aut altera ſpecies Σεσέλεως vulgò hirtzwurtz nominatur. Ea, quam putas Anagyrin, Laburnum Plinij eſt, floribus luteis oblonga ſerie dependentibus, cuius lignũ apes fugere, vt Plinius tradit, à ruſticis Sabaudiæ veſtræ audiui, &c. Anagyrin Venetijs vidi, arborem ſimiliter trifoliam, ſed diuerſa foliorum ſpecie, quæ mecum attuli, fortè congeneres fuerint. Berg roſen in multis montibus inueni, & Sabaudica Italicaq; nomina diuerſa audiui, quorum nullum Latinam Græcámue originem præ ſe fert. Nuper Italus quidam medicus pius & eruditus Bergomenſis affirmauit mihi, hanc ſtirpem in quibuſdã Italiæ officinis, Bergomi præſertim, pro Balſamo vſurpari, lignum ſcilicet pro Xylobalſamo, ſemen pro Carpobalſamo. Ex duabus iſtis Rutis, quas miſiſti, neutra eſt Gallis & Italis Capraria dicta, vt tu quoq; ſuſpicaris. Illa quæ flores capillaceos gerit, quam Zinnelen vocaris, fortè à cirris illis florum, Lutetiæ appellatur Ruta pratenſis: altera quam ſcribis Heilblat vocari Heſsis, ſaxifragam luteam (à radicis colore) circa Coloniam Agrippinam & in Anglia nominari audio. Crocum ſylueſtrem & Cynogloſſum, quarum iam iam memini, cum radicibus mihi depingi deſiderarem, addendas Corollario meo quod paro in Hiſtoriam ſtirpium Tragi, & icones raras iam ſupra centum collegi. Vale. Tiguri 1553. poſtridie Pentecoſtes.

CON-

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

QVantopere literis tuis delectatus ſim, chariſsime Benedicte, verbis non facilè expreſſero. Mirum in modum accuratiſsima illa Croci montani deſcriptio mihi arriſit. eam inter κειμήλια mea ſeruabo, vt aliquando, ſi Dominus vitam dederit, ad ſtirpium rariorum hiſtoriam publicandam depromatur, non ſine honorifica tui mentione. Mitto ad te radiculas duas, quas itidem Croci cuiuſdam montani genus eſſe conijcio, & ſi plantam integram hactenus non viderim. Agyrtæ quidam lingua noſtra Victorialem marem appellant, Sygwurtz das mennle: nam fœmina victorialis, ſimiliter quidem tenuiſsimis fibris cancellata radix eſt, ſed oblonga circiter digitum, aut paulò minus, allij odore, quam in horto meo habeo, nec dubito quin ſatis tibi cognita ſit. Mas rarior eſt, inodorus: ſapor radicis idem ferè qui Croci hortenſis, ad Caſtanearum odorem accedens. Pergrata etiam fuit Elatine tua, quæ tamen an vera ſit, dicere nondum poſſum: aſſentior tamen, quoniam homines in re medica egregiè doctos, vt Euſtathium Lauſannæ, hanc Dioſcoridis Elatinen iudicare audio. Cupio eam ab aliquo exercitato pictore vnà cum coloribus mihi depingi (ſumptum quem in picturã feceris, mox vt indicâris, miſſurus) & ſimiliter Crocum ſylueſtrem quẽ in horto alis, ſiue hoc, ſi adhuc fieri poteſt, ſiue ſequente anno, ſi vixerîmus. Plura ſcripturum impediunt typographi importuni & aſsidui flagitatores excudendi ſecundi de animalibus Tomi. Vale igitur & me ama. Ego quantum tibi debeam facilè & libenter agnoſco, memineroq́ per occaſionem. Saluta ex me clariſ. virum D. Nicolaum Zerchinten, ad quem ſcribam, cum maius operæpretium habebo: & D. Hallerum noſtrum cum reliquis fratribus. Tiguri 1553. ſexto Calend. Septembris.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

D. Lucas Vngarus à te mihi commendatus, hodie manè primùm receſsit, interea ſemper mecum fuit: & quanquã his diebus occupatiſsimus fui, literis quas Franckfordiam mitto, ſcribendis, quantum tamen fieri potuit, colloquijs varijs nos inuicem oblectauimus. Gladiolus nullus apud nos naſcitur: veſtrum qui

in ripa Araris aliquando apparet, qualemcunq; vt mittas prima occaſione peto. Is nimirum eſt, quem Cordus lib. 2. hiſtoriæ plantarum fol. 124. deſcribit, paluſtris cognomine, in cuius caule ſummo flores multi ex vno principio naſcuntur. Videtur autem idem cum Sparganio Dodonęi. Dioſcoridis certè Gladiolus flores habet non in vmbella, ſed στιχηδὸν ἀπ' ἀλλήλων διεστῶτα, hoc eſt, deinceps diſpoſitos (ab vno latere, *στιχηδὸν vocem alibi apud Dioſcoridem, non inuenio, & fortè non ab vno latere interpretari conuenit*, ceu linea vna nimirum) & paribus ferè interuallis diſtantes. Præterea radices duæ, & altera alteri inſidens, ceu bulbi exigui, vt Dioſcorides inquit, non videntur Gladiolo tuo conuenire. Victoriali autem rotundæ dictæ, & flores & radices (ſi corticem auferas, ſeu tunicam) ſunt quales diximus, &c. Interim non ignoro alium etiam Gladiolum ab eruditis oſtendi & pingi, ſed qui genere idem ſit cum noſtro: quare hunc etiam Cordus pag. 97. Victorialem fœminam & Gladiolum ſylueſtrem vocauit. His ſcriptis vidi quæ in quartum Dioſcoridis Cordus de Gladiolo ſcripſit, quòd flos eius veluti in vmbella ſit, & quomodo στιχηδὸν vocem interpretetur, quod certè neutrum probo. Pagina 97. verba hæc, De Victoriali fœmina, hoc eſt, ſylueſtri Gladiolo, ipſius Cordi ſunt, non à quoquam appoſita, in vtroque exemplari quod habeo: quorum alterum manu eius ſcriptum eſt. Vnde apparet ipſum quodammodo à ſeipſo diſſenſiſſe. Gladiolus enim ille, quem ceu in vmbella flores habere ait, toto genere diuerſus videtur. Hæc tua epiſtola excitatus animaduerti. Vale. Tiguri 1562. Martij die 5.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

PRo optimo caſeo illo, doctiſsime Areti, quem dudum miſiſti, ſummis certè delicijs, maximas tibi gratias habeo: & per occaſionem referam. Propter negotia diu non ſcripſi, nunc ſubitò admonitus de tabellario ad vos proficiſcente, quanquam & hora lectionis meæ inſtaret, & alia quædam vrgerent, αὐτοσχεδιάζειν hæc volui, ne diutius viderer ingratus. Habeo à te literas N. N. quas nuper accepi, & iam non inuenio ad manus. Ex hortis Germaniæ noſtris multa petit, ſemina præſertim, ego aliqua mittã, multa quidẽ non potero. Catalogũ dabo alias, vt in quibus ego non poſſum nonnullis optimo viro, & noſtrûm vtriuſq; amantiſsimo, per te id fiat, hoc eſt, aliqua ex parte ei ſatis fiat. βοτανομανῶ γάρ, καὶ ἄγαν σφόδρα

[illegible]

θερμῶς διάκειται πρὸς τὰ φυτά: ὥστ' ἀγάσθη μὲν ἐν θεολόγῳ ἀνδρὶ τὴν τῆς περὶ ταῦτα σπου-
δῆς ὑπερβολήν. Χαρίεν δὲ φίλῳ ἀγαθῷ τι καὶ λογίῳ, καὶ εἰς τὸ ἀντιχαρίσασθαι ἑτοίμῳ. Olei Saturni quis vſus ſit, quæres à M. Iodoco, ac meo nomine eum ſalutabis amanter: quòd ſi vel exiguum eius ſpecimen ad me mitteret, gratus forem. Sophia herba Theophraſti quæ ſit, ante annum audire memini ex ſectatore quodam eius egregiè docto: ſed is, vt celarem iniunxit, ego tamen vobis ea conditione indicabo, ſi modò ſchedam illam reperiam, vt vos quoq; celetis, quoniam is ita voluit: quidnam verò ei Theophraſtus attribuat, ex M. Iodoco mihi inquiras. στιχηδὸν vox apud Dioſcoridem, non conuenit floribus illis Gladioli quos miſiſti, non enim per interualla, ſed omnes ab vno principio ſeu cētro enaſcuntur. Vale. Tiguri 1562. Maij 27.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

PEſte hic mediocriter pergente, ego cum meis, Dei gratia, adhuc incolumis ſum. Deus te quoq; ſeruet cum tuis. Nuperrimè ad te ſcripſi, & de antimonio præparato quid indicari cuperem amico noſtro M. Iodoco indicaui: ab eo tempore intellexi, non modò Baſileæ, ſed Lugduni quoque permultos vſu eius in peſte periiſſe: quamobrem hoc in morbo, eo abſtinerem, niſi omnino robuſtus aliquis in ipſo principio, & de quo bene ſperandum eſſet, contingeret. In aliis verò morbis quibuſdam, vt ictero, hydrope non confirmato, & maximè quartana, tutius eo vti licebit. In quartana ſcio aliquot curatos ſtatim, & vnum his diebus qui Curia huc venit, quo cum tamen nondum ſum locutus. Si quid aliâs certius cognouero, quod ipſum ſcire referat, addam. Mitto libellum his diebus hîc impreſſum in quo additum voluiſſem, pauciſſimis omnino peſte correptis mittendum eſſe ſanguinem: idq; non niſi nimia ſanguinis in corpore valido & ætate vigente, copia vrgeat, aut ſymptoma aliquod grauius, vt angina, pleuritis, ſanguinis ſputum, &c. Certum eſt Lugduni nuper omnes ferè extinctos, quibus ſecta fuit vena: è cæteris qui maturè vſi ſunt remediis, aluum præſertim leuiter purgantibus initio ſtatim, mox ſudorificis, ita vt ne vltra horam vnam aut alteram ad ſummum ſudarent, pleroſque ſeruatos. Ex medicis veſtris aliquem hortare, ſi placet, vt de remediis & obſeruationibus ſuis circa peſtilentiæ curationem aliquid ad me ſcribat, & ſuum ſuper noſtro libello iudicium. Sophia herba à Theophraſto vocatur

Conſolida media, die guldin gunſel / hanc putat in vino calefactam & ſuperpoſitam, venas vtcunque minimas latentes ad ſuperficiem attrahere, vt incidi ſcalpello queant. & ſanguinem concretum per poros educere, ſicut & Perforatam. Dodonæus Thalictrum ſuum Sophiam vocari vulgò ſcribit. Vale. Tiguri 1562. Iunij die 19.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

PEſtilentia apud nos quoque creſcit magis quàm decreſcat, ſuperiore ſeptima ſeptuaginta hic extinctis. Deus te ſeruet cum familia & filiolo, ſi ſupereſt. Experientiæ ferè locus nullus mihi eſt, nam toto hoc tempore à Calendis Auguſti hucuſque, qui in tempore me conſuluerit, vix vnus aut alter eſt. Mitto tamen antidoti cuiuſdam meæ partem, cuius periculũ Baſileæ & Argentinæ in plurimis feliciter factum eſt, & à me quoque hîc in duobus. Theriacæ & alijs pleriſque antidotis contra peſtem & venena, meritò præfertur. Contra venena quidem etiam præſentiſsima, magnam eius experientiam habeo: Saxonicam cognomino, è Saxonia enim primum in alias regiones peruenit, ſed ad pauciſsimos hactenus. Mitto autem parum; ſed dimidium ferè eius quod mihi ſupereſt. Pondus eſt drachmarum duarum. Si quem peſtis corripuerit, illi drachma j. exhiberi debet è vino & aceto acerrimo mixtis, ita, vt vtriuſque ſit vncia cum dimidia plus minus, calidè. Superſudandum eſt autem, ſi natura admittat, non nimium tamen, ne vires proſternantur. Cùm autem compoſitio ſolida & duriuſcula ſit, cum exhibenda erit, in valido vaſe ligneo prius optimè teri poterit, & cum vino acetoque paulatim affuſis diſſolui. Doſis eſt, vt dixi, drachma, pro viro mediæ ætatis: iuniori aut ſeniori drachma dimidia ſufficeret. Poſſet autem etiam viris drachma dimidia ſolùm dari, cum eodem pondere bonæ theriacæ admixto. Ad compoſitionem eius requiruntur fructus & folia herbæ Paris dictæ, (einbeer / krützle krut / blater krut) quæ cum hoc tempore non inueniantur, parari nunc non poteſt. Plurimum etiam tribuo liquori compoſito è ſuccis allij & rutæ cum theriaca & aqua ardente, de quo aliâs, ni fallor, ad vos ſcripſi. Vale. Tiguri 1564. Decembris die 6.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO
Aretio Theologo Bernenſi.

PEſtis apud nos augeri videtur: Deus Opt. Max. propter Filium ſuum noſtri miſereatur, & veſtrûm quoque. D. Bullingerus Dei gratia, melius habet: ſed metuo ne in eius familiam hęc lues graſſetur amplius. Fiat Domini voluntas. His diebus accepi antimonij præparati portionem, quam M. Iodocus veſter miſit, quem ſaluto amanter. Id autem mihi non probè paratum videtur: debet enim eouſque teri fundiq́ꝫ, ſemper repetendo, donec perſpicuum, & gemmæ hyacintho præſertim ſimile euadat. Sic parati tria vel quatuor grana dantur cum conſerua roſatum, & paucißima maſtiche, per horam ante cœnam, ſi bene memini. Datur potiſſimè melancholicis & quartanarijs. ſupra infraq́ꝫ purgat non ſine ſumma moleſtia; etiam cum probè paratum eſt. Semel ego melancholico dedi, quem cùm valde debilitatum inde animaduertiſſem, poſtea non auſus ſum dare alijs, benè tamen illi ceſsit. In peſte plurimi ceu præſentiſsimum remedium id commendant, ſi maturè detur. Ego cui daturus eſſem, illi venam non ſecare, ne nimium infirmarentur vires. Experiar fortè in robuſtiore aliquo corpore, nam & à magni nominis medicis laudari video. Quartanarijs quidem tutius dabitur: nec referre aiunt, etiamſi à principio quartanæ aut poſtea detur, ſanare plerunque omnes ſtatim. Deum pro nobis ora, quod nos mutuò faciemus. Iohannem noſtrum cupio te argumentis, rationibus & omni humanitate ab opinione τῷ τῶν παιδῶν βαπτισμῷ aduerſa dimouere: quod & ego facere iam conatus ſum, & fortè ἐμμελέστερόν τι καταβέβληκα. τὰ μὲν ἄλλα οὐ κακῶς μοι δοκεῖ. Vale. Tiguri 1564. Octobris vltimo.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO
Aretio Theologo Bernenſi.

QVod ad ea, quę de medico illo comperta tibi ſunt, bona fide ad me ſcripſiſti, gratiam ſummam habeo, ego quidem rem ita ſe habere omnino ſuſpicabar: grauiora multò apud nos quidam de illo referunt, quæ omnino magicas & veneficas artes ſapiunt: quibus etiam veneficas ipſas arguit, accedere cogit, & ſine illis curationem ſe perficere poſſe negat. Quò quidem mollior ille & effœminatiore animo eſt, eò facilius his malis artibus fidem adhibuit. Sed hæc omnia pateſaciet tempus. Libri illi, quos

N. habet, fortè non eſſent exurendi, antequam aliquis vir bonus & eruditus illis inſpectis, modos & methodos maleficorum iſto rum cognoſceret, & refellendo ſummatim deſcriberet, ita vt liber in archiuis ciuitatis, aut inter ſecreta Bibliothecæ publicæ ſer- uaretur: vnde redargui poſſent, qui his artibus vtendo res & ar- tes naturales tractare ſe aſſerunt & imponunt vulgo, ſicut nunc ne bulo ille Dauid. Optimo & liberaliſsimo viro M. Iodoco mille ſalutes & totidem gratiarum actiones à me renunciabis: ſimulq́ indicabis, qua in re viciſsim gratificari ei poſsim, quod vt debeo maximè, ita cupio vnicè. Oleum Saturni nunquam antehac vide- ram, nec vſum intellexeram, pro quo ad me tàm candidè & lucu- lenter perſcripto, tibi quoq; deuinctum me ſentio. Oleum vitrio li accepi aliâs, &c. Argentina & Norimberga & aliunde, ſed nun quam adeò clarum & limpidum atque hoc eſt, quod nunc miſiſti, id quia mihi mirificè placet, in meę valetudinis vſum inter theſau ros meos ſeruabo. De Sophia herba proximè ſcripſi. Τὸν ὅρκον σοῦ, τὸν κομψότατον, νὴ τὸν χῆνα (τοῦτο γάρ μοι ζῷον κυνὸς οὐκ ὀλίγον ἱερώτερον δοκεῖ) μετὰ πλέους γέλωτος δὶς καὶ τρὶς ἀνέγνωκα. διάκειμαι δὲ οὕτως ὡς ὀμωμότι σοί, ἢ οὕτως ἀπόμ- νυντι πιεῖν ἂν μᾶλλον. In pegmatio quoque Toram & Antitoram acce- pi, radices nempe aliquot cum terra: id vbi aperui, mirus quidam & vehemens ceu fecis vini odor, nares mihi feriebat, ex incipiente (vt coniicio) radicum putredine ortus. Præſtitiſſet muſcum hu- midum quàm terram addidiſſe, & πρὸς διαπνοὴν foramina aliquot in vaſculo feciſſe. Plantaui licet marcidas radices, quarum ſi quid prouenerit, gaudebo: ſin minus, vnam duntaxat aut alteram anti- toram per autumnum abs te petam: tuæ enim minus immoratæ in via, & plantatæ recentius, vti ſpero optóque prouenient. An- titoram voco illam, cuius geminæ ferè radices ſunt. Erant & pau cæ radices tertij generis aconiti, perforatæ ferè, vt in Lycoctono noſtro, à quo an differant, neſcio. Vale Tiguri 1562. Iulij tertio.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO
Aretio Theologo Bernenſi.

LIteras tuas 17. Ianuarij ſcriptas, accepi hodie, hoc eſt, 26. eiuſ- dem die: quo ipſe ſtatim has reſcripſi. Peſtis, Dei gratia, hîc omnino remiſit ferè. Faxit Deus ne breui propter peccata noſtra eadem denuo aut grauior pœna nobis ſuperueniat. Valetudini tuæ reſtitutæ & familiæ tuæ conualeſcenti gratulor. Exanthema ta quidem & ipſa genus peſtis ſunt, ſed mitiores. A Saxonica an- tidoto no-

tidoto noſtra abhorrere ſe ſcribit D. Vollatus, quòd Aconitum ei admixtum ſit: ſed nō eſt quòd abhorreat à medicamento mihi bona fide probatiſsimo. Non enim Aconitum verum, ſed herba Paris Italis dicta, quaternis ſemper folijs & acino inter ea vno in ſyluis naſcens, quæ ſpecies Solani, à Fuchſio autem falſò Aconitum credita, ei miſcetur, vt videbis in deſcriptione, quam mitto in epiſtola ſemilacera, ſed quæ tibi ſufficere poterit. Ocium enim deſcribendi non fuit. In ea leges quæ deleta non ſunt, & aliquando remittes. Eam ad me ſcripſit Moibanus medicus Auguſtæ, ante triennium defunctus, à quo primùm myſterium hoc, vt ſanè eſt, habui. Velim te etiam occultare, ita vt vni aut alteri tantùm ex intimis tuis medicis aperias: eáque ſtipulatione communices, vt de ſuis experimentis ſecretioribus etiam ipſi viciſsim aliquid quod occultari alioqui vellent, mittant. Reuera vis huius antidoti contra peſtem, venena, quartanam & alia quædam mirabilis eſt, vt ipſe multifariam expertus ſum in ægrotis diuerſis & meipſo, & ab alijs expertis medicis accepi. Morſellorum theriacaliū etiam deſcriptionem, vt voluiſti, D. Vollato communico: à quo miſſa accepi remedia duo, electuarium prophylacticum & puluerem, quæ mihi perplacent: quibus qui vtitur, cum bona victus ratione, & purgatione interdum conuenienti, Morſellis iſtis non indigebit. Vale in Domino, qui te diutiſsimè ſeruet cum tota familia. Tiguri 1565. Ianuarij die 26.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

EA quæ de remedijs contra peſtilentiam audita, viſa & accepta, ſimplicia cōpoſitaq́ remedia ad me perſcripſiſti, clariſs. D. Areti, legi & cognoui perlibenter, eóque nomine H. tuæ gratias ago. Pimpinella quam dicis, ea nimirum eſt, quæ à Germanis paſsim quidem & vulgò, ſed malè ſic appellatur: eſt autem Saxifraga alijs gentibus, hircina cognomine quibuſdam: vetus nomen ignoro: retulerim tamen ad Oreoſelina. Pimpinella autem propriè dicta à Gallis, Italis, Hiſpanis, &c. Peponis ſeu cucumeris odorem repræſentat, & Peponella dici debebat: ſed recentior Græcia M. ſuper fluuum ante π. ponere ſolet, μπέπονα, pro πέπονα, &c. In Chio hodie Sideritis nominatur. Videntur autem tum Saxifraga tum Peponella, vires putredini ac peſti aduerſarias habere: ſed maximè illa, aperiendo interiores viſcerum meatus, & τὰ ἀγγεῖα

per vrinam potenter educendo, ita vt arenulas etiam & calculos ducat, ſicuti reliqua ferè Apia, ſed validius. Inter cætera verò in primis me oblectauit ſecretum illud à diebus Dauid: & ſanè plurimum ego τῇ χαμαίδρυι tribuo, nõ minus, imò amplius, quàm Scordio plerique, plus enim exiccat & ſuauius olet, & amara ex ęquo magis eſt. Habebunt horum aliqua locum in hiſtoria ſtirpium noſtra, & fortè etiam olim ſi vixero, inter noſtras De peſte obſeruationes. D. Vollatum à vobis diſcedere, mihi ſanè etiam dolet, longius enim aberit. Plurimam ſalutem ei cupio dici meo nomine, méque ei commendari, vt per otium mihi deſcribat herbarum aliquot vires non vulgò notas. Inter quas, ſi quæ eſſet nullo antiquo nomine celebris, facultate autem aliqua per eum explorata inſignis, non dubitarem illam ab ipſius nomine, Vollatam in meo opere nominare. Cupio autem vt tu quoque Aretiam aliquam tibi deligas. Antiqua nomina nolim irrita fieri: ſed plantis illis, quarum apud veteres, quod ſciamus, nulla eſt mentio, neque nominum neque facultatum, amicorum eruditorum & per quos proficio in hoc opere, nomina imponi velim, ceu inuentorum: non refert autem an ipſe inuenerit aliquis, an prodiderit primus & mihi communicarit. Multi iam amici mei hoc fecerunt in meam gratiam. Si alia nulla placuerit, vide an Gentianæ ſpeciem, das ſchelmenkrut / alijs groſſe bitterwurtz / alijs ſpieß blatt / tuo nomine dignari velis: à te enim primùm Germanicum nomen eius, & vſum contra peſtem in pecore & bobus intellexi. Sed pergo ad alia. Heri accepi literas à D. Ioanne Cratone medico Ferdinandi prius, nunc etiam Maximiliani Cæſarum, in quibus hæc ſunt eius verba. Colligo varia remedia peſtis, & libenter colloquor cum ijs quos ſcio multis in peſte adfuiſſe, & præfuiſſe: Incidi heri in virum probum & admodum ſenem, quem cognoui ante annos 22. plurimos hic ſanaſſe. Is mihi (etſi me hoc tacitum, vt ſunt iſti homines, ferre voluit, & vt ſecretum credidit) pro certò affirmauit, ſe tantum decoctum corticis medij ligni Sambuci cum theriaca exhibuiſſe, & omnes ferè in quos incidit, ſanatos eſſe. Nullo etiam alio prophylactico ſe vſum, & ſępe peſtilẽtijs interfuiſſe ſæuiſsimis: nam ſeptuageſimum annum exceſsit. Vis purgatoria ei non ignota erat, ſed negabat ſic potum purgare: verùm ſudores mouere, id quod propter theriacam fieri arbitror. Quæſo vt periculum facias, & de ſucceſſu ad me ſcribas, nam ego hic Chriſto gratia, nunc experiri non poſſum. Dabo operam, vt citò mea remedia omnia publicè appareant, &c. Quoniam verò mihi quoq; experiundi

experiundi occaſio nulla eſt amplius, Dei gratia, ad vos mitto, atque vtinam, ne vobis quidem ſit: ſi tamē fuerit, velim te commendare medicis veſtris, atq; in primis D. Vollato. Hodie Iohannem Friſium noſtrum ſepeliuimus, iam diu ægrotum. Vale. Tiguri. 1565. Februarij die 4.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

PRo ijs quæ de Pontiana herba noua ad me ſcripſiſti, plurimū tibi debeo, doctiſſ. Areti, & cupio ſeminum, cum acceperis, particeps fieri. Prodeſſet fortè etiā vxori meæ, quæ ſubinde ſui vlceris varicoſi dolore miſerrimè affligitur. Si potes, iconem eius aliquam, aut herbam ſiccam, eiúſue partem, mihi impetra. Ego vt viciſsim τῶν ἡμετέρων ἐμπειριῶν βοτανικῶν τι ad te dem, paucis hæc addere volui. Eupatorium aquaticum vel Auicennæ à multis dictum, (Hirtzenklee/oder Kunigundte kraut) radicum minorum ſeu fibrarum eius inciſarum pugillo & in vino decocto, eóq; colato & poto, his diebus mihi per horam poſt, aluum ſemel mouit, poſtea verò vomitum duodecies ferè cum magno labore: ita vt ellebori albi inſtar purget, ſed longè facilius & tutius: profuit mihi ſanè plurimum, magna pituitæ copia euacuata. Chartæ incluſam mitto herbulam, cuius nomen à te peto, Germanicum aut vernaculum: Pingitur à Trago, neſcio iam quo nomine. Latinum nondum inuenio, nec de eius vi hactenus quicquam proditum eſt. Si manipulus eius per noctem in vino maceretur, idq; bibatur, bilem per aluum mirè deijcit, nullo periculo, vt ego ſum in memet expertus. Eſt autem peramara, vnde ego Amarellam vocitare ſoleo. Mitto & aliam, lignoſum ſuffruticem, qui acinos rubeos & auſteros producit: reperitur locis paluſtribus, Grunzellbeer noſtri vocant. veſtri quomodo? Vale. Tiguri raptim. Martij 2. Anni 1565.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

GRatum fuit, quæ de nominibus Polygali Tragi, & Roſmarini paluſtris (vt vos vocatis) ad me ſcripſiſti, cognoſcere. Priorem ego à ſapore Amarellā voco: cœruleam pręſertim, cuius vim in purgando expertus, hauſto vino in quo maduerat. Poſterior Vitis paluſtris rectè vocabitur, à vinoſo acinorum ſapore eadem ratione, qua Vitem Idæam ſuffruticē, quem nos Heidelbeere, vete-

res vocarunt. Poſtremas tuas reddidit mulier illa, quæ hortum tuum inſpexit, vnà cum pictura Bellidis ſurculoſæ ſeu cauleſcentis, nunquam antea mihi viſæ: cuius plantam viridem cum radice habere percuperem aliquando. Peſtis iterum apud nos quoque præludit. Deus det gratiam, vt rectè præparemur ad mortem. Vale. Tiguri. 1565. Auguſti die 22.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO *Aretio Theologo Bernenſi.*

EXoptatiſsimum librum tuum, plurimis ſanè pulchris & raris plantis refertum, Aroënſis bibliopola mihi reddidit. Permulta in eo ſunt, quorum ad icones vſus mihi futurus eſt, aliquibus enim omnino carebam, nonnulla verò aliqua ex parte perfectiora ſunt, quàm quæ ego repoſui. Quamobrem pro tanto beneficio, & candidiſsimo tuo in me animo gratias immortales tibi ago. In ijs ſingulis quæ prius non habui, vt ſoleo & par eſt, te nominabo, & in prolegomenis inter illos per quos profeci. Delectant me etiam quę paſsim aſcripſiſti, ego quoq; alicubi nomen aliquod & iudicium meum aſcribo, quod tibi non ingratum fore exiſtimo. Hoc tempore totus in eo ſum, vt plantæ ſiccæ, quas à D. Ioann. Bauhino iampridem ſiccas accepi innumeras, depingantur: quò citius ei remittam, quod fieri vrget. Fertur autem & ipſe βιβλίον φυτικὸν conſcribere, etſi apud me hactenus diſsimulauit, poſtremis literis de arboribus tantùm ſe ſcribere confeſſus. Ego non offendor, & vellem multos viros doctos paſsim ac diligentes, pulcherrimam hanc naturæ partem omni conatu (ſicut ipſe facio) excolere. Nuper à Carolo Cluſio literas Antuerpia accepi, qui magnam Hiſpaniæ partem luſtrauit, & plantas Hiſpanicas ſe deſcripturũ pollicetur. Bauhini plantæ cum primùm depictæ fuerint (quod paulò tardius fiet) ad tuas me conuertam, vt maturè librum tuum integrum, ſicuti accepi, remittam. Pro Pontiana denuò mihi depicta cum ſuo flore pereleganti, deſcriptáque, gratias ago. Si periret tibi planta, vt perituram meruo (nam omnes ferè quæ anno primo florent plantæ, eodem pereunt) radicem quoque mihi ſerua & mitte per occaſionem, ſiue ſolam, ſiue potius cauli ſuo qualicunque hærentem: poterit autem in aliquot partes diuiſa planta, inter libri alicuius folia comprimi donec mittatur. Vide quã importunus & moleſtus tibi ſim. ignoſce homini φιλομαθεστάτῳ, καὶ [illegible]

[illegible]

μείζω πάντα παρὰ σοῦ ἐνθαρρῶς αἰτεῖν, καὶ εἰς τὸ ἀμείβεσθαι ποτὲ, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον ἄν τι δυναίμην, ἐπιμαχόμενος. Pergit hic peſtis, ſed moderatiſsimè. Vale. Tiguri 1565. Nouemb. die 24. multa iam nocte.

CONRADVS GESNERVS CASPARO *Vuolphio Tigurino Monſpelij agenti.*

NVper ad te ſcripſi, magna quidem feſtinatione: nec licebat addere literas ad D. D. Rondeletium & Fontanonum, quibus nunc ſcribo, & rogo, vt tuis incluſas eis tradas, & omni diligentia me eis cõmendes: in primis clariſ. D. Fontanono, vt eum, cuius ſpecimen miſiſti, librum herbarium cõmodato accipiam: ſin minus, deſcriptum depictumq́ꝫ, ſiue totum (ſi videbitur) ſiue ea tantùm quę de rarioribus plantis ſunt. Quicquid expenderis, mox & bona fide reſtituã. Cura igitur rem ac ſi tua ſit. Faciam omnia quæcunq; meo nomine promiſeris, gratus ero: honorificam eius mentionem quauis occaſione faciam. Xenocratem περὶ τῆς ἐξ ὑδάτων τροφῆς, fac vt maturè accipiam. nam liber meus de Aquatilibus iam ſub prælo eſt. Paro breui ædendam deſcriptionem hortorum trium, hoc eſt, naſcentium in eis ſtirpium plurimarum: vbi & de cultu quædam doceo, & quænam tùm ſylueſtria coli, tum peregrina in Germania naſci non recuſent, oſtendo. Huc tuam quoque operam requiro, mihi Vuolphi, facillimam quidem & breuiſsimam: nempe vt vnius aut alterius horti inſtructioris apud vos ſtirpes omnes ſimpliciter nominatas mihi enumeres. Betas, blita, lactucas, & huiuſmodi nuſquam non naſcentia tacere poteris: quamuis malo communia etiam à te nominari plurima, quàm vel vnum rariuſcuium præteriri. Teſtimonia tui profectus, quæ ad D. Bullingerum miſiſti, ſummopere nobis placent. Vale. Tiguri 27. die Octobris.

CONRADVS GESNERVS CASPARO *Vuolphio Tigurino, Monſpelij agenti.*

ACcepi binas literas tuas, optime Vuolphi, alteras Ianuario, alteras Februario nuper datas: quibus cum etiã ſemina multa miſiſti: pro quibus maximas tibi gratias habeo. mandaui terræ diligenter, vt ſi fieri poſsit, adoleſcãt. Cum ad nos Deo duce redieris, quicquid prouenerit, tecum cõmune habebo. Interim vt tempeſtiuè alia etiam, ſi quæ rariuſcula occurrent, colligas, obſecro per

occaſiones. inſtitutum enim meũ plantarum hiſtoriã perſequendi nondum depoſui: vbi primum Hiſtoria aquatilium, quæ iam menſes aliquot ſub prælo eſt, abſoluta fuerit. Ad D. Franciſcum Fontanonum ſecundò nunc ſcribo: cui tu me vt cõmendare pergas obſecro: vt ea quæ ſuis literis mihi promiſit, maturius præſtet, hoc eſt, antequam tu fortè inde recedas. Lugdunũ mittantur ad Ant. Gryphium amicum meum, qui omnia diligẽter curabit. Petij à D. Fontanono ſemina rutæ caprariæ, quæ tamẽ nunc cogito fortè abs te miſſa eſſe, ſed polemoniæ nomine. Petij & Caſiæ cuiuſdam, vt vulgò apud nos nominant, ſemina. Oribaſij opera apud nos non ſunt: & quamuis eſſent, Xenocratem Græcũ habere mallem. Quamobrem iterum te rogo, vt mihi tranſcribas. pauca enim folia eſſe puto. Si quid in pictores mea gratia D. Fontanonus expenderit, tu quæſo mox reſtitue, in me quoq; non erit mora, quin mox tibi reddam. Monebis igitur eum, vt ſumptũ à te accipiat, ſi quid opus erit: nempe pro pingẽdis rarioribus herbis, quæ in vulgatis libris non habentur. quanquam non multum refert, ſi etiam per imprudentiam fortè ex euulgatis quędam pingantur. Tu quoq; aliquem ea in re laborem quæſo ſubeas, & vt mihi gratificeris, & ſimul teipſum in hoc argumento exerceas. Pergratum fuit quod indicaſti, vt à fratre tuo, ſi velim, accipiam Commentarios ex ore Montani in Galenum de ſimplicibus à te perſcriptos. quanquam ſpero me reditum tuum expectaturum priuſquam accipiam; niſi vltra ſpem differatur. Audio apud vos inueniri, in prouincia vel languedoc, nec dubito quin etiam circa Monſpelium, lacerti vel ſtellionis vel ſalamandrę genus, vulgò dictum, vn blandein, fortè à blando lentoq; inceſſu, valdè venenatum, dorſo medio veluti ſtellis picturatum, per latera nigricare, in medio dorſo minij colore eſſe, in ventre fuſcum. Tu quæſo inquire diligenter, & ſi quis apud vos librũ meum de quadrupedibus ouiparis habuerit, cum ſalamãdræ hiſto ſtoria confer: quòd ſi ſpecie & coloribus à noſtra ſalamandra diffidet, fac eam mihi cum ſuis coloribus depingi. Item ſi qui ſerpentes apud vos reperiuntur. apud nos enim pauca omnino ſerpentium genera ſunt. calidis & maritimis locis varia inueniri non dubito. Inquire ſaltem de nominibus, formis, & vi ſeu veneno ſingulorum quantulumcũque. Multa tibi committo, mi Vuolphi, ſed quę aliud agendo & inter ambulationes animi gratia ſuſceptas, & in itinere aliquò inſtituto, & in conuiuijs & familiaribus colloquijs confici poterunt, atq; ea omnia vniuſcuiuſq; ſtudioſi hominis, præſertim medici cognitione non indigna. Vale. Tiguri. Poſtridie paſchatis. Anno 1557.

CON-

CONRADVS GESNERVS CASPARO *Wolphio medico Tigurino.*

IAcobus Cellarius concionator in pago Pfungen his diebus huc venit balneaturus, cum iamdiu quartana laboraſſet, deinde cachexia, icteri & hydropis initio, & ſplenis duritie, ni fallor. Vno atque altero die balneo vſus, deterius habuit: me adiuit. Conſului vt domum rediret, & medicorum conſilijs vteretur. Hodie igitur domum redire cogitat. me autem rogauit vt ad te ſcriberem, ſuóque nomine rogarem ſummoperè, vt proximo die Martis ipſum in Pfungen inuiſeres, ac tecum aliqua remedia adferres. Aluo eſt aſtricta: nuper etiam vrina ſiſtebatur. Tuſsit quoque & ſpirat difficulter. Omnino grauis, & de quo non bene ſpero, morbus eſt. Oro tamen, vt bono viro morem geras, &c. Satis eſt iuuenis, & fortè melius eueniet quàm ego augurer. Ego Dei gratia meliuſculè habeo, ſentio tamen iſchiadis meæ adhuc veſtigia: quæ & ipſa abolitum iri ſpero ſi Deus voluerit. Reuertar ad vos his diebus. Vale. Badæ Calend. Septemb. 1560.

CONRADVS GESNERVS GEORGIO *Cellario Tigurino Pariſijs agenti.*

ACcepi nuper literas tuas, optime Georgi, vnà cum Aretæo medico Græco, pro quo ad me miſſo in præſentia maximas tibi gratias habeo, rependam autem cum ad nos redieris. Pecunia quam frater meus tibi commodato dederat, iam reſtituta illi eſt, vt Dominus Gualtherus ad te perſcribet: ex cuius literis etiam intelliges triſtiſsimum tibi caſum, quem vt æquo & Chriſtiano animo feras, quoniam is vobis omnibus ſemel expectandus eſt, vehementer te hortor. Sic enim res noſtræ mortales comparatæ ſunt, et ea conditione nati ſumus: neque eſt ſapientis dicere non putabam. Nihil tàm triſte aut tàm graue eſſe debet, quod hominibus accidere poteſt, ad quod non tum in nobis, tum in parentibus & amicis ferendum, ſemper parati & pia præmeditatione inſtructi eſſe debeamus. Voluit Deus Opt. Max. optimum et chariſsimum patrem tuum nuperrimè iliaco morbo repentè implicitum, ex hac mortali vita diſcedere: quem tu illius obitum, ſi ſancta piaque vitæ tuæ inſtitutione, & ad eundem exitum (quandocunque imperatori omnium placuerit) præparatione, magis quàm lachrymis & nimio luctu proſequare, facies vt hominem ſapientem & Chriſtianum

decet. Eſt quidem hæc naturæ vis, vt στοργὰς illas φυσικὰς & natura-
les animi impetus in tantis caſibus coërcere nequeamus. adhiben-
da eſt tamen moderatio. Nam in rerum natura, illarum etiam quæ
per ſe laudantur, ſi modus abſit, vitium è virtute fit. Dolendum eſt
itaq; iubente natura, ſed non immodicè, ne videamur θεομαχεῖν, &
Dei voluntati non acquieſcere. Sis igitur mi Georgi animo forti,
& verbi diuini ſolatia animo ægro adhibe. Oſtende quanto mo-
deratius Chriſtiana pietate & lenitate animi ſapienter imbutus
homò, humanos perferre caſus, & ſpiritus ſancti auxilio ſuperare
poſsit, quàm alij pleriq; pietatis & ſpei de promiſsionibus diui-
nis concipiendæ expertes homines. cogita patrem nobis ſupereſ-
ſe, qui verè pater & tutor & ſeruator omnium ſe inuocantium eſt.
Hoc fauente nullum tàm exiguum patrimonium eſt, quod non in-
numeris etiam liberis honeſtiſsimè educandis ſufficiat. Hæc & a-
lia plura etſi tu per te ſatis intelligas, quoniam tamen in tanto lu-
ctu poſiti, apud ſe non ſunt, volui aliquo modo te conſolari. Quod
me quidem attinet, quicquid in gratiam & vtilitatem ac honorem
tui tuorumq; efficere potero, nihil reliqui faciam. percupio enim
te & Vuolphium noſtrum (quem officioſè ex me ſalutabis) & citò
& plurimum in re medica proficere, & me etiam vincere, quod
non magno labore efficietis: vt patriæ noſtræ breui & vtiles & or-
namento ſitis. Pergetis igitur in ſtudijs veſtris, vt cœpiſtis: pro
Ariſtophanis quidem poëtæ fabulis, aut quauis alia Græca lectio-
ne, ſuaderem Græcum aliquid de Ariſtotelis phyſiologia (non ta-
men de octo phyſicorum libris, qui nimis ſubtiles & prolixi ſunt)
vos audire. Vellem vos aliquod ſpecimen profectus veſtri huc
mittere: vt propoſitiones aliquas diſputabiles explicatas aliqua
methodo, ſed breuiter, & vnius etiam aut alterius viri docti de
ſtudijs ac diligentia veſtra teſtimonium, idq; in veſtram ſolùm gra-
tiam, vt hac occaſione & his demonſtratis, vos laudare, & qui in
vos conferuntur ſumptus, non fruſtra conferri aſſerere poſſemus
apud illos, qui ex ſenatu cauſæ veſtræ cognoſcendæ deſtinati ſunt.
Vale. Tiguri 1554. ſexto Martij.

ΚΟΡΡΑΔΟΣ ΓΕΣΝΗΡΟΣ ΜΑΤΘΙΑ
τῷ Ἀρχιάτρῳ εὖ πράττειν.

Ὀγδοός μοι ἤδη ἔτος μὴν οἴχεται, ἐξ οὗ ἐπιστολὴν παρὰ σοῦ
κομισάμενος, μέχρι τούτου οὐδέν πω ἀντεπέσταλκα. αἰ-
τίας

αἰτίαι δέ μοι πολλαὶ τῆς ἀναβολῆς ταύτης. πρώτη μὲν, ὅτι τοῦ ἑλληνιστὶ γράφειν πάνυ ἄπειρός τε καὶ ἀήθης τυγχάνω: δευτέρα δὲ, ἀσχολίαι ἄλλαι τε πολλαὶ, πλεῖσται δὲ καὶ ἀνυπέρβλητοι περὶ τοὺς τυπογράφους, καὶ τὴν καθημέραν ἐμὴν φυσικῆς πραγματείας ἐξήγησιν. τρίτη, ἡ τῶν γραμματοφόρων σπάνις. τελευταία δὲ, ἡ φιλανθρωπία καὶ εὔνοιά σου. ἥκιστα γὰρ δυσκόλως καὶ χαλεπῶς σὲ οἴσειν ἡγούμην καί τοι βραδεῖαν ἀπόκρισιν πρὸς τὴν ἐπιστολὴν σου: ἧς φιλικὴ μόνον καὶ ἀσπαστικὴ, ὡς οὕτως εἰπεῖν, ἡ ὑπόθεσις οὖσα, ἀποκρίσεως μηδεμιᾶς ἢ νὴ Δία οὐ ταχείας δεομένη ἐφαίνετο. Νῦν δὲ που γραμματοφόρου τυχὼν ἀσφαλοῦς καὶ εὐκαίρου, βραδέως μᾶλλον καὶ ὁπωσδήποτε ἀμούσως ἀντιγράψαι εἱλόμην, ἢ παντάπασιν ὀλιγωρεῖν. Σὺ μὲν οὖν ἀττικῶς πάνυ τὰ σὰ γράμματα διέθου: ἐγὼ δὲ αὐτοσχεδιάζω τάδε, καί τοι οὐδὲ προαιρούμενος εὐρυθμότερα γράφειν καὶ ῥητορεύειν ἠδυνάμην ἂν, ὁ μὲν ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων καὶ ἰατρῶν ἀναγνώσεσι γινόμενος σπάνιος, σπανιώτατος δὲ ἐν ταῖς τῶν ῥητόρων καὶ ἱστορικῶν. οὐ θαυμάσεις τοιγαροῦν ἄριστε Ματθία, εἰ πρεσβεβηκὼς ἤδη τῇ ἡλικίᾳ, καὶ ὅλην σχεδὸν αὐτὴν περὶ τοὺς ῥωμαίων τε καὶ ἑλλήνων βίβλους ἀνηλωκὼς, δεξιότητα ἐν τοῖς λόγοις οὐδεμίαν παραφαίνω. δευτέρα μοι, οἶμαι, ἢ τρίτη ὡς ἐπὶ πλεῖστον, ἡ ἐπιστολὴ αὕτη διὰ βίου ἑλληνικῶς συντεταγμένη. οὐδὲ γὰρ ἐγώ τινα ἄλλον οὔποτε προὐκαλεσάμην, οὐδὲ με ἄλλος πλὴν Ἐρρίκου Στεφάνου τοῦ βασιλικοῦ ἐν Λουκετίοις τυπογράφου υἱοῦ, καὶ σοῦ ἤδη δευτέρου. εἰκὸς οὖν σὲ μᾶλλον τοῖς ὑπ' ἐμοῦ ἡμαρτημένοις συγγνώμην νέμειν, ἵνα κατὰ σὲ λέγω, ἢ τοιοῦτόν τι παρ' ἐμοῦ προσδοκᾶν. καὶ ταύτῃ μὲν φροιμίων ἅλις: καιρὸς δὲ ἤδη περὶ τῶν παρ' ἡμῖν πράξεων τι γράφειν: ἔχω δὲ καινὸν οὐδὲν, ὃ μὴ πολὺ πρότερον ἐκεῖ παρ' ὑμῖν ἢ ἐνταῦθα δημοσιεύεσθαι ἂν δοκοίη. Ὁ αὐτοκράτωρ γὰρ μέχρι τοῦδε ἀεὶ πάνυ που φιλάνθρωπον καὶ εὔνουν ἑαυτὸν παρέχει, εἰ σπουδῇ, εἰ ἄλλως πως, ὁ χρόνος ἀποδείξει. ὥστε οὐδὲν ἐνταῦθα νεωτερίζεται, ἀλλὰ πάντα ἠρεμεῖ καὶ καθίσταται. τῆς φιλίας ἡμῶν

μηνιστῆρας ἐχρῶμεν πάμπαντι καὶ τὸν φράγκων βασιλέα, ἴσως ὅτι καὶ αὐτοὶ εὐλαβοῦνται τὸν τῆς Γερμανίας νικητήν. Ἔρρωσο, καὶ πολλάκις περὶ ἰδίων τε καὶ κοινῶν πραγμάτων ἡμῖν ἐπιστέλλειν χαρίζου. Εν Τιγύρῳ.

CONRADVS GESNERVS GVILHELMO *Stuckio Patricio Tigurino, nunc Tubingæ.*

NE Piſtorius ſine meis literis ad vos rediret, ſubitò hæc ſcripſi. Rerum noſtrarum ſtatum ab ipſo audies. Tu peſte hîc graſſante Deum pro nobis orabis. D. D. Gableri aduentum expectatiſsimum, non amplius expecto hoc tempore, nihil enim niſi triſtia omnia apud nos inueniret. Cingor vndique vicinia peſte infecta: & ex officio ægrotantes, à quibus accerſor, adeo. Si quid ad præſeruandum aut curandum haud vulgare habet, roga quamprimum communicet. quod ſi fecerit, ego viciſsim noſtras aliquas obſeruationes circa hanc luem, ſi vixero, proximè ſcribam. Nunc plura non licuit. Pro diſputatione de originali peccato quam miſiſti, gratias ago. ego viciſsim quod mittam nunc non habeo. Vale Tiguri. 1564. Octob. die 2.

CONRADVS GESNERVS GVILHELMO *Stuckio Tigurino.*

REctè te Lutetiam perueniſſe, & Academiam illam florentem reperiſſe, chariſsime Stucki, gaudeo & tibi gratulor. Periucundæ quidem mihi literæ tuæ fuerunt, ex quibus totius Academiæ ſtatum, & alia quædam, lubentiſsimè intellexi, pro quibus maximas tibi gratias habeo. Commendo autem tibi hunc iuuenem Geneuenſem: bonum ſanè & eruditum, qui D. Simlero noſtro aliquandiu contubernalis fuit. is pro viua epiſtola tibi erit. Ignoſce breuitati hominis occupatiſsimi. innumeras nunc literas in diuerſas regiones ſcribo propter mercatum Franckfordienſem. Doctiſsimo viro D. Ferrerio Pedemontano multam ſalutem ex me dices: & expectare iubebis libellos à me nuper editos de metallis & lapidibus. Eoſdem & doctiſsimo Ramo mittam, etſi ab ipſo miſſa phyſica nondum accepi; addam ad vtrunque epiſtolium, interim eis officioſè me commendato: ſicut & D. Laſitio contubernali

tuo,

tuo, viro optimo & mihi meritò chariſsimo. Pro miſsis ad me indicibus typographicis, & catalogis quibus doctiſsimorum virorum lucubrationes enumerantur, plurimum tibi debeo, & rogo, vt in poſterum etiam ſimiliter mei memineris. Vale. Tiguri. 1565. Auguſti die 29.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forero Doctori medico, & eccleſiæ miniſtro Vitoduri.*

MElancholici vrinã vidi, mi D. Forere, ex qua tamẽ parũ iudicare potuiſſem, niſi tu rem indicaſſes. qua cognita, apparet vrina etiam atteſtante, non alium humorem quàm atræ bilis in eo abundare. qui ſanè purgandus eſt ante autumnum, & rurſus autumno (ſi fuerit opus,) ſemel aut iterum. craſsior enim in viris hic humor eſt quàm mulieribus. Sed ſuadeo dum feruor canicularium durat, differri fortiora remedia: & vti eum bona victus ratione, bisq́ aut ter balneo aquæ dulcis (à quo per horam minimum in lecto quieſcat,) donec dies aliquis humidior & minus calidus incidat. quo incipiat vti potione quam præſcripſi, eaq́ vtatur quinquies diebus continuis ſi bene ferat, mane circa quintam, calidã. inde os frigida abluat, inambulet: & tabellam vnam compoſitionis quam Manus Chriſti vocant, ſumat. Decima demũ prandeat. Veſperi tertia eiuſdem compoſitionis tabellam vnam aut alteram ſumat. Si videbitur, die tertio vel quarto potione abſtineat, vt interquieſcat: tum repetat. Ea conſumpta pilulas dabis, tres veſperi dormituro: reliquas nouem poſtridie antelucano, vt vnam alteramq́ horam ſuperdormiat: & cum ſurrexerit, ius cicerum bibat ad ℥. fortè viij. cum ſale & croco pauculis admixtis. Si bene purgabitur, vt ſpero, bene eſt. Sin minùs, poſtridie oluſculum in ientaculo dabis è beta, cui mixtæ ſint paſſulæ, piperis & ſapæ viniue modicum, & foliorum Senæ Alex. ablutorum ʒ. ſ. aut ℈. ij. ſub finem coctionis adiecta. Poſt purgationem, ſi quid reliquum eſt de Manibus Chriſti, abſumat biduo. Inde Confectione de karabe vtatur: mane ſemper tres tabellas deuorando, vel ʒ. ij. potius, & rurſus bis terue lauacro aquæ dulcis, ſi videbitur, lauet. Poſt menſem, ſi videbitur, grana v. ſtibij præp. dabimus. Vino pauco albo & vetere vtatur. Facito ei ſpem optimam: precibus publicis eum commendato: ad pietatem ſimul & hilaritatem honeſtam hortator. Remedia hic ſubijciam, quibus vtatur, vti pręſcriptũ eſt.

℞. Oxymelitis noſtri minor. ℥. ſ. maioris ℥. j. ſapę ʒ. ij. aquę cinnamomi ʒ. ij. aquæ meliſſæ, fœnic. cerefolij, ana ℥. j. ſ. Miſce, fiat potus.

℞. Pilul. aggregat. ℈. ij. ellebori nigri præpar. ℈. j. lapid. lazuli præp. ℈. ſ. Miſce, fiant pilulæ xij. cum ſyrup. de ſtœchade.

℞. Confect. de karabe ℥. j. ſ.

℞. Manus Chriſti cum perlis ℥. j.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forero Vitodurano.*

MVltùm laboraui in tuis legendis D. Forere. difficilis enim lectu tua manus eſt, difficultatem auxit penna aliena & feſtinatio. De Lanio teipſum deliberare & ſtatuere velim: quoniam tu ſemper præſens es et vides mutationes, hoc tempus remedijs ineptum eſt. Aërem frigidum omnino vitare debuerat. in templo quidem etiam magis nocere putatur frigus propter quietem: & magis etiam melancholicis, quibus & epileptici adnumerantur. imaginantur enim illi ſibi, & metuunt. imaginatio autem (aiunt) caſum facit. Præcipias tu vt omnino domi ſe contineat in hypocauſto dies noctesq́: & in eo mane ac veſperi fumus fiat cum baccis & ligno iuniperi arido: & ſæpe ligni eiuſdem particula accenſa & ardente hypocauſtum luſtretur, aliquando etiam thure & karabe. Syncipput, tempora, nares, palatum, ceruix & ſpina dorſi, oleo aliquo calfactorio perungantur, deſtillato, vt penetret, actu etiam bene calido, vt oleo de ligno iuniperi, vel petroleo, alióne. Eiuſdem olei guttæ ij. aut tres quotidie mane auribus inſtillentur. Linteolum repleatur puluere aliquo craſſo ex odoratis & ſiccantibus cerebrum, vt maiorana, nigella, iride, origani et ſerpylli floribus, cum caryophyllis, &c. atq; id calidiſsimum ſubinde naribus admoueat olfaciendo. Frictionibus mane & ſeſquihora ante cœnam vtatur, ſiue vngatur poſtea ſiue non. Mitto diacalamenti ℥. j. ſ: vt mane inde accipiat iij: aut iiij tabellas quotidie. & aquæ florũ tiliæ, vt noſter pharmacopola habet, ℥. v. vtatur pro tuo arbitrio: ego cinnamomum, gentianam & angelicam impoſuiſſem, parum enim per ſe efficax mihi videtur in viris: in pueris magis commendatur. vtatur etiam tertio quoq; die ʒ. j. de electuario quod mitto: De oleo, quod mitto, (eſt autem de ſpica & larignæ permixtũ,) guttas circiter vij. accipiat, aliquando veſperi, tribus ante cœnam horis, è cochleario aquæ calidæ in qua bullierit rapa: aliâs mane, &

ne, & ſuperedat aliquid ſacchari, vel diacalamenti: ſiue quotidie, ſiue tertio quoq; prout tibi videbitur. Pharmacis quidem purgantibus hoc tempore non videtur vtendum. Tempore veris, ſi placebit, dictabo emplaſtrum, quod impoſitum ſyncipiti, multos humores, vt ſpero extrahet. Oleum ſulfuris etiam, ſi experiri volet, quod nullo periculo faciet, mittam aliâs. Thermas bibendas vere conſulam. Quod ad fratris vxorem, vrina ſatis bona videtur, colore & contentis: tenuior tamē eſt, propter humores nimirum aliquos obſtructos. Et quoniam hoc tempus non conuenit purgationi, victus ratio inſtituatur. Vinū diluatur ſemper, ſi tibi videbitur, cum decocto baccarum iuniperi: & ſi dolores inſtent, decoctum id ſolum bibat, vino abſtineat: reliquus victus, talis ferè ſit, qualis puerperarum. Parum omnino bibat. Cœna parciſsima, bis die tantùm edat. Manus ne lauet, niſi decocto camomillæ, meliloti, furfuris & radicum betę calido. Aërem vitet. Vngento quod ordinaui, (ex olei de terebinthina ℥. j. ſ. & olei de caſtoreo vnguento dialthæę ana ℥. ij. ſ. mixtis) calido inungat nucham dorſi mane quotidie, calidè: & manus quoq;. item ante cœnam & ſub ſomnum, ſed manus tantū. Chirothecas pelliceas ſemper geſtet, vel lineas propter vngentū: & pelliceas ſuper inducat. Vnguento aliquando addat aquam vitæ optimam. poteſt autem accendere aquam vitæ, & manus ſuper eo igniculo calefacere, tum vnguentū addere, inungere. ſæpe etiam ſuffire baccis iuniperi cum aliqua reſina, & chirothecas etiam ita ſuffitas induere. lineas quidem noctu etiā. Confectionis de karabe parum ſumat mane quotidie: quę ſi illi diſplicet, lanio dare poteris. Fricentur etiam membra mane linteis calidis. Pluribus non licuit. Vale. Tiguri. T.C.G.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forrero Vitodurano.*

FRater redditis literis ſtatim diſceſsit, & nullam de ſe mentionem fecit: nec ego amplius meminerā. Placet conſilium tuum, vt manus nunquam aqua cruda madefaciat aut lauet, ſed tantùm decocto aliquo, vt ſunt cortices raporum, & herbæ odoratæ quælibet, ſaluia, lauendula, ſpica, & arthriticæ dictæ, primulę q; veris, die ſchlüſſelblůmle/müleblůmle/mit krut/wurtzen vñ blůmē/ ſale etiam interdum adiecto & ſulfure. Deinde illinat pauco oleo rutaceo, quod tu ipſe parare poteris, vt rutam & aſtrantiam trita in oleo cum pauco vino coquas: licebit & ceræ reſinæq; modicum addere, cum petroleo pauco admiſto & de terebinthina: quæ

apud pharmacopolam noſtrum inuenies. Iiſdem & nucha dorſi ſuperior & ſpondyli colli illini poterunt calidè. Simili oleo, odoratiore tamen, oleo de ſpico addito, chirothecæ eius intrinſecus madeſcant parum. Manuum exercitio leui aliquo ſubinde vtatur. D. Ambroſio Blaurero, viro incomparabili, multam ex me ſalutem dicito. Conſulo, ſi videbitur, vt primùm purgetur, nempe oxymelitis mei minoris ℥. iij. vt capiat mane cum pauco defruto & ſaluiæ decocto pauculo: idq́ue ter repetat, mane tantùm, per triduum, deinde purgetur cum decocto prunorum, & polypodij, pauco cinnamomo, aniſo, paſſulis & ſaccharo additis: colaturæ adhuc calenti folia ſenæ inijciantur, & bene tecta ſtent per horas aliquot vel per noctem: hinc bibat, mane ad iij. vncias, item veſperi hora tertia, donec ſatis purgatus fuerit. Diæta ſit tenuior, boni ſucci, ad ſiccum declinans, non autem ad calidum ſed temperatum. Frigus omne vitet. Noctu in lecto pedibus applicet ſacculum arena calente plenum. Motu & ambulatione temperet, & pedes non pendulos habeat. Poſt purgationē pedes mane præſertim, per horam aut amplius teneat in decocto calido arthriticarum & primularum veris, (vnd hartz Darby in eim ſäckle bunden) poſtea inungat vnguento aliquo facto cum axungia, in qua ad ignem diſſolutum & colatum ſit ſulfur, deinde aliquid petrolei, reſinæ & ceræ additum. Vale. Tiguri 5. Martij, 1563.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forero Vitodurano.*

TVa plerunq́ue ſcripta (doctiſsime Forere) propter abbreuiationes & literas implexas intricataſq́ue, vix lego. Mulieris, qua de ſcribis, afflictiſsimæ vices doleo. Deus Opt. Max. eam reſtituat, & conatus noſtros & remedia benedicat. Melancholicam eſſe non eſt dubium. ex vrina certi nihil ferè dicere poſſum: niſi quòd cum ea phlegmatica videatur, non feruidam & furibundam melancholiam eſſe apparet. quæ cauſa fortè eſt quòd tam multis annis durauerit. Tu eam pro tua prudentia & pietate ſolator, & bonam ſpem facito, tum per te, tum ex mea quoque prædictione, eam proculdubio (Deo iuuante) breui melius habituram. oportet enim omnino melancholicis hominibus ſpem optimam veluti q́ue certam proponere, interim etiam precibus publicis pro ea intercedi curabis, & vt in ijs etiam ſpem ac fiduciam maximam reponat, iubebis. Memini ſanè multis fœminis melancholicos affectus in pueri-

in puerperio obortos, tum enim maſſa ſanguinis (vt ita dicam) perturbatur, & ab vtero vapores feruntur ad ſuperiora maligni interdum. Quò lõgius aũt à puerperio tempus procedit, eò leuius fore malũ, ſperandum eſt, præſertim verno tempore appropinquante. Cõſulo autem vt ſi lactat, lactare deſinat, nam & matri hoc melius erit, & infanti: qui ad aliquod tempus alteri nutrici committi poterit. Remedia præſcripſi, primùm potionem cum oxymelite maiori meo, &c. quam partietur in hauſtus 4. vel 5. ita vt mane ſemel quotidie bibat hauſtum vnum paruum, & poſtea ore abluto aromatici roſati pauxillum ſumat. Hoc materiam peccantem partim pręparabit, partim vacuabit, ſenſim. Interim imperandum, cibis optimis & vino vetere optimo, ſed pauco vtatur: croci parùm iuſculis miſceatur. Poſtea ſumet pilulas: primùm tres ſub introitum lecti: deinde ſummo mane ſequente reliquas ſeptem, & ſuper dormiat (ſi poteſt) vnam aut alteram horam. tùm ius cicerum bibet. Poſt hæc ſi melius habuerit, vt ſpero, Deo gratias agemus: ſin minus, mittam antimonij præparati grana iiij. conſeruæ roſarum mixta. qua doſi etiam olim in melancholia vſus ſum cum ſucceſſu. Sed à prioribus remedijs per dies octo ſaltem, expectet, opus eſt. Vale in Domino. Ianuarij die 5. Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forero Vitodurano.*

VRina ægræ mulieris phlegmatica eſt, & pro hypoſtaſi nebulam habet, ex qua thoracem affectum iudico, vnde nimirum diſpnœa illa prouenit. Nec dubito à capite etiam catarrhos in pulmonẽ deſcendere: & aliquam lienis flatuoſam obſtructionem. Et quamuis hoc anni tempus declinans, hæc mala fouet potiùs, quàm diſcutiat, occurrendum eſt tamen. Tu victus rationem præſcribe, parcum in cœna præſertim, & tenuem, id eſt, quantitate & qualitate conuenientem. craſsis & crudis & flatuoſis halituoſiſq́ omnibus abſtineat. Cœna perparca, interdum nulla ſit: eo die ientare poteſt, prandium differre. Minus laboret, vt victum tenuiorem ferat, quo planè opus eſt. Animo ſit hilari: curas & mœſtitiam omnem fugiat. Balnea vitet: & aerem tum nimis calidum, tum frigidũ, ventoſum, pluuium. Sed hęc tu rectè inſtitues. Vinum bibat quod dilnat aqua cocta aliqua vel chalybeata: vel mellita parum coctaq́ in fictili & deſpumata. Noua vina & rubra fugiat. Lactarijs omnibus abſtineat, & ſalſis etiam vt minus bibat: piſci-

bus rariſsimè vtatur: iure ipſorum abſtineat. Pyra prorſus omittat: poma non niſi dulcia & cocta edat interdum. Quod ad remedia, præſcripſi.

1. Potum: quo vtatur ſtatim(ſi menſes eius non impediant) per tres dies continuos, mane, calido: ſumat paulò poſt vnam aut alterum tabellam diairis. ieiunet horis quatuor aut quinq;.

2. Pilulas: è quibus tres ſumat tertio die veſperi dormitura, cum pauculo rob. de ceraſis calido: & poſtridie mane ſummo, circa tertiam forte, reliquas nouem, rurſus quieſcat per duas horas. Surgat cum dies apparet: bibat ius cicerum modicè ſalſum.

3. Poſtea, vnguento quod miſi futura coronalis illinatur manè calido: & quantum eſt auellanæ dimidium de eodem prunæ imponatur, vt fumum excipiat per embotum: ſi bene fert, paulatim plus ponatur. Cura ei fieri pileum nocturnum, quem etiam manè ferat vſque ad nonam, infartum ſtœchade, maiorana, roſmarino, lauendula, origano, caryophyllis, iride, interpaſtatum. Thermarum potũ liberaliorem ei conſuluiſſem. ſed poterit differre ad futuri anni menſem Maium ſpero. Remedia præſcripta, ſunt quæ hic ſubijcio.

℞. Oxymelitis noſtri vtriuſq; an. ℥.v. ſyrup. de ſtœchade, de calamento, ana. ℥.vj. De liquiritia ℥.j. ſapæ ℥.ij. Aquarum calidæ minoris noſtræ, cardui benedicti, hyſſopi, ana. ℥.ij. Miſce. fi. potus.

℞. Diairis Salom. ℥.j.

℞. Pilul. de agarico, ℨ.j. Ellebori nigri. præp. gr. vij. Diagridij grana. v. Euphorbij gra. iij. Miſce. fi. pilulæ xij. cum ſy rupo de limonibus. aſperge liquirita.

℞. Sandarachæ ſeu vernicis, Carabe præp. thuris caryophyllorum ana. ℈.j. Styracis liquidæ, petrolei citrini, ana. ℨ.j. vel q. ſ. Miſce. fi. quaſi vngentum. Vale. Tiguri 1565. Auguſti vltima.

CONRADVS GESNERVS CONRADO *Forero Vitodurano Theologo & medico.*

QVæ de epileptico lanio ſcribis, ita me deterrent, vt morbũ incurabilem exiſtimem, doctiſsime Forere: metum hunc etiam vrina inſpecta auxit, craſſo & viſcoſo ſedimento plena: accedit abſentia ægri, & tempus hoc anni: & ætas ipſius ægroti, & quàm morigerum ad remedia victusq; rationem ad longum tempus obſeruandam, ſe præbere, vellet, incertum. Ne tamen nihil conſulam, præſertim te hortatore: victus rationem tibi præſcribendam relinquo, mihi iam feſtinanti nõ vacat. In genere quidem

dem boni ſucci victus eſto, & facilis concoctionis, & paucus, ad calidum & ſiccũ declinans: cœna parciſsima. Vino abſtineat prorſus: bibat autem decoctum cinnamomi, hyſſopi, baccarũ iuniperi, ſaluiæ, maſtiches, vnius ſcilicet horum, aut plurium ex aqua, in olla fictili cum ſaccharo aut melle, aut abſq; ijs. Pro remedio vtatur oxymelite meo, &c. vt videbis in recepta: quotidie accipiat ℥. ſ. mane, & ſi bene fert, etiam paulò plus, paulatim vſq; ad ℥. j. calidum, & mox ore abluto & gargarizato decocto hyſſopi calido, edat tabulam vnam vel duas cõfectiõnis diacalamenti vel alterius ſuauioris, & ſuper ieiunet horis quatuor. Hoc remedio conſumpto vtatur pilulis, nempe quinq; in introitu lecti: reliquis ſeptem poſtridie ſummo mane: & ſuperdormiat ad duas horas, cum ſurgit bibat decoctum cicerum cum hyſſopo ſine ſale & butyro. Poſtea caput inungatur circa ſuturam coronalem: item nares & tempora oleo illo, quod præſcripſi, bene calido: & gutta vna aut altera auribus inſtilletur. Poterunt tum & ſternutationes fieri, & venæ ſub lingua incidi poſt gargarizationes calidas: & ſudores moueri: & electuarium parari cum caſtoreo, angelica, ruta, ſinapi, & craneo humano. Poſtremò & oleum ſulfuris quod habeo dari. Sed his remedijs cõſumptis admonebis me, & conſilium tuum quoq; addes, & epiſtolam hanc cum ſcheda receptæ ad me remittes. Vale. Tiguri. Remedia præſcripta hac forma fuerunt.

℞. oxymelitis noſtri maioris, minoris, ſcillitici ana. ℥. ſ. aquæ cinnamomi ℥. ſ. aquæ calidæ maioris noſtræ, hyſſopi ana. ℥. iiſ. miſce, fiat potus. Plurimũ hoc laudauit, peruaſit omnes venas corporis, etiam capitis. ℞. diacalamenti ℥. j.

℞. pilularum cochiarum, fœtidarum ana. ſcrupulos duos. ellebori nigri præparati grana quinq;. miſce, fiant pilulæ duodecim cum oxymelite ſcillitico, aſperge liquiritia. Poſt has pilulas videtur in capite peius habuiſſe, fortè quòd gummi non ſint boni.

℞. terebinthinæ deſtillatæ, balſami deſtillati, olei de lateribus, ana. drachmas tres, miſce.

CONRADVS GESNERVS SAMVELI *Keſlero verbi diuini in agro Vitodurano miniſtro.*

CEphalæam ſeu Hemicraniam tuam, ſpero acceſſu veris mitigatum, & paulò poſt ſublatum iri, præſertim ſi circa mediũ Martij validiore aliquo purgante medicamento vtaris. Quòd ſi

ad æſtatem vſque Deus vitam dederit, conſulam vt tunc vel in Thermis Badenſibus noſtris pro capite ſtillicidium (vt vocant) excipias, vel domi pares. In præſentia mitto pilularum maſtichinarum drachmam vnam, ex qua fiant pilulæ 14. cum ſyrupo de ſtœchade pro duabus vicibus. earum dimidiũ capere potes nunc ſtatim, & ſi nihil te moueãt, ſequenti die etiam reliquas: ſin minus ad 4. aut 5. dies differ reliquas. Leues ſunt, & perparum euacuant: caput tamen roborãt, &c. Interea etiam oleo vti poteris, vt prius, illo de euphorbio. Ordinaui & aliud olei genus odoratum, cuius guttas duas vel tres calefactas (in cochleari de aurichalco id commodè fieret) inſtillabit tibi vxor in aurem lateris affecti, cum primùm fueris ingreſſus lectum: dein xylinæ lanæ parum accipias, qua cochleare abſtergas, & in auris foramen inſeras, & eodem tempore cum modico eiuſdem olei calido, tempera perfricabis, & ſuturã ſincipitis in capite, (ita vt ſoles cum oleo de euphorbio) & nares quoq; intrinſecus cum pennula, aliâs per ſe, aliâs admixto pauco puluere maioranæ. Olei deſcriptio hæc eſt.

Recipe oleorum nardini, rutacei ana drachmas ſex, caryophyllorum, nucis moſchatæ ana drachmam vnam, iridis florentinæ, nigellæ ana ſcrupulum vnum, bulliant modicè & exprimantur fortiter. Præterea mitto maſtiches dictæ drachmas duas: cuius pauca grana dentibus aliquandiu mandas expuendo ſemper pituitam quæ extrahitur, donec mandendo parum delaſſeris: tum paulò poſt ſimiliter mandes (hinc inde volutando in ore) puluerem illum craſſum, quem mitto, & ſemper expues pituitam. Maſtichen autem & puluerem noli deglutire. Puluis calidus quidẽ & ingratus eſt, ſed ſalubris: poteriſq; poſtea ore tenere & gargarizare aquam calidam cum pauco melle & aliquot ſaluiæ folijs coctam. Puluis hic eſt.

℞. pyrethri, ſtaphiſagriæ, ana drachmam vnam, ellebori nigri drachmam ſemis, miſce, fiat puluis ſatis craſſus. Vbi malum nõ ceſſerit, accerſe pharmacopolio confectionem de Carabe, capias eius mane tabellam vnam aut duas. His vale.

CONRADVS GESNERVS SAMVELI *Keſtero.*

CEphalæa tua diuturna, grauior eſt, vt video quàm quæ leuibus medicamentis cedat. fuerunt autem quæ ego præſcripſeram, mediocriter quidẽ valida, ſed quàm morbus tuus requirat, leuiora.

leuiora. neq; enim fortiora à principio, & natura tua nondum exploratа, dare audebam. Vrina ſatis bona eſt. quoniam, vt tute fateris, ſolum caput ægrotat. iecur tamen nonnihil iuſto calidius indicat colore ſuo flauiore: vnde forſan dextra capitis parte plus doloris percipis. Cauſam eſſe puto phlegma obſtructum in cerebro, quod cum incaleſcit & aliquid bilis accedit, aucta materia & vaporibus dolorem facit, donec vapores illi diſcutiãtur: id quod hyberno tempore tardius contingit. Et quoniam nunc per brumã non facilè cedunt hi morbi, neq; validiora remedia nunc ſatis proficiunt, differendum puto vſque ad tempus vernum: interea tamen vt morbus ſaltem mitigetur, & corpus ad fortiora medicamenta, ſi opus fuerit, præparetur, operam dabimus. Primùm autem conſulo, vt venas duas ſub lingua aperias. tuta eſt ſectio, & plus phlegmatis quàm ſanguinis detrahitur. Sed venit in mentem, crus alterum tibi quondam tumuiſſe, nec ſcio an etiam vlceratum fuerit. Quòd ſi vlcus fuit, idquè ſanatum eſt: fieri poteſt vt fluxus ad caput conuerſus ſit. & ſic ſuaderem vt priùs in illo crure, ad pollicem pedis, venam ſecares: & poſt paucos dies, ſub lingua quoquè. quanquam licet vlcus non fuerit, nihil obeſſe poteſt, ſi id facias. Vino non vtêris nouo, nec rubro: nec inter prandium & cœnam: & in prandio quidem parcè dilutoq; in cœna, quę frugalis eſſe debet, prorſus abſtinère vino te velim: & eius loco bibere aquam aliquam decoctam in olla figlina noua. Si nõ diſpliceat, bibes decoctum baccarum iuniperi recentium, modicè prius manu compreſſarum ne ſint integræ: aut aniſi pauci cum liquiritia ſaccharóue, aut quoduis aliud. Oleum de Euphorbio dictum vendunt pharmacopolæ: cuius vnciam emere potes: vt hora ſeſqui ante cœnam, cochleare paruum eo plenum calfacias, & illinas tempora, ſuturam capitis coronalen, nucham. item mane antequam dolor adueniat, ſimiliter: tunc autem addi poteſt modicum vini deſtillati (id eſt Brãten wyn) præſertim in quo meliſſa ſicca cum maiorana & roſmarino ſit macerata: quo vino etiam palatum mane perfricare poteris. Suadeo etiam vt frictionibus vtaris cum linteis calidis toto corpore: mane circiter quintam, aut ſaltem ante dolorem: & per horam ante cœnam: ita vt pedes primùm fricentur (id eſt, tota crura) deinde dorſum, pectus, brachia, & poſtremo caput: quod poſtea etiam aliquandiu pectatur. Aêrem, frigus, & conuiuia caueto. Maioranæ puluerem cum quarta parte ellebori albi aliquando naribus attrahito. Hæc ita experiaris, idq; feliciter, opto: & aliquando hanc ſchedam ad mẽ re-

mittas: ſaltem ſub initium veris, ſi morbus non remiſerit. Vale. Tiguri. 1562. Ianuarij die 2. Raptim.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Iacobo Friſio Tigurino, Geneuæ agenti.*

REddita eſt mihi exoptata epiſtola tua. Gaudeo te apud doctiſsimū D. Cheualleriū agere, & ſpero te ex illius doctrina maximum fructum percepturum, non tibi ſolùm vtilem, ſed parentibus, patriæ & amicis ornamento futurum. Probo eius conſilium, quo ſuadet vt te totum in linguæ Ebraicæ ſtudijs abdas, propter occaſionem tanti viri, quę poſtea fortè nunquàm tibi dabitur. Sed memineris interea rationem aliquam valetudinis tibi habendam. Non dubito quin gratum illi ſit futurum; ſi de obſcuris quibuſdam ac dubijs, frequenter eum interroges, non nimis importunè tamen: & de his ipſis quæ ab eo addidiceris, commentarium aliquem, quem ad nos reuerſus nobis oſtendas, tibi conficias. ſic enim magis hærebunt memoriæ, & diligentiam tuam teſtaberis. Epiſtolium Ebraicum aliquod breui à te expecto. Quod D. Cheuallerius putat, vocabula ſingula linguæ Ebraicæ non commodè poſſe in locos digeri, in eo illi, huius linguæ phœnici, facilè concedo & eius conſilium per omnia ſequi te iubeo. Meam quidem ſententiam pluribus huic bono & erudito iuueni, Hortino nomine, qui has tibi reddit, expoſui. Scio tibi nondum eſſe tantum iudicij: vt omnia ſecundum artes, ſcientias & philoſophiæ diuiſionem (quæ magis quàm ſecundum x. genera dialecticorum mihi probatur) diſtribuere poſsis: ſed veluti per ludum vellē te materiam duntaxat tibi congereres ampliſsimam, tùm dictionum, tum locutionum, exercitij tui gratia, quam poſtea progreſſu ætatis diſponeres, & excoleres magis magisq́. & quamuis plurima vocabula ſint πολύσημα, id paucis monere licebit, aut proprias & præcipuas ſignificationes ſolùm vel maximè ſequi. Sed & hoc & reliquam omnem ſtudiorum tuorum rationem ſubijcies conſilijs D. Cheuallerij, quem meo nomine ſalutabis officioſe. Vale. Tiguri. Maij die 14. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Iacobo Friſio Tigurino, Geneuæ agenti.*

EPiſtolam tuam Ebraicam, luculentū profectus tui ſpecimen iamdudum accepi, mi Ioan. Iacobe: & quamuis eam non per

omnia

omnia intelligam, tùm imperitia linguæ, tum quòd characteribus iſtis non ſum aſſuetus, gratiſsima tamen fuit voluntas tua. & hortor, vt (quemadmodum cœpiſti) pergas: in primis verò vt ad parentem tuum etiam breui eadem lingua exaratas literas des: quod ei iucundiſsimum erit. Audere & conari magna oportet, quæ paulatim ſupra ſpem & opinionem, Dei auxilio, ſi pia ſit voluntas, facilia euadunt. Velim te exercitia huiuſmodi tua ſeorſim in libello conſcribere, & ad ea relegenda per interualla non longa redire, vt tuum ipſe profectum tecum perpendas: quod fiet, ſi aliâs melius aut magis propriè aliquid exprimere poteris quàm antea, & tua ipſemet emendare errata. In præſentia aliud quod ad te ſcribam non habeo. Parentes tui, familia tota, & amici noſtri, Dei gratia, valent. Tu quoque cura vt valeas. Tiguri 1563. Auguſti die 7.

CONRADVS GESNERVS IOANNI
Iacobo Friſio Tigurino, Geneuæ agenti.

CVm nuper vnà cum parente tuo in Thermis eſſem, (vbi ego ad dies non multos, ipſe valetudinis ſuæ cauſa diutius hæſit) Galli quidam iuuenes literas à te nobis reddiderunt. Et quanquã ego paulò ante ad te ſcripſeram, & ad Ebraicas tuas reſpõderam, etſi fortè non vt volebas: neq; enim ſatis eas intelligo: volui tamẽ nũc quoq; cõmoditatẽ hanc Galli iuuenis ad vos proficiſcentis nõ negligere. Ergo quod ſtudia tua attinet, mi Io. Iacobe, laudo te totum, omiſsis ad tempus cæteris, Ebraicæ linguæ deditum eſſe, & optimi doctiſsimiq; prçceptoris, hac in lingua incomparabilis, ad diſcendum occaſione vti. ſpero autem neq; illi animũ & beneuolentiam erga te, neq; tibi diligentiam defuiſſe hactenus, aut in poſterũ defore. Deus opt. max. ſtudia tua ſpiritu ſuo iuuet ac dirigat, vt breui patriæ, parẽtibus, & nobis omnib. gloriæ & vtilitati eſſe poſsis. Perge modò vt incœpiſti: & clariſsimi præceptoris conſilijs ſubinde in omnibus vtere, & de multis ſubinde obſcuris aut dubijs ab ipſo inquire, dũ eius tibi occaſio & opportunitas datur. Scio te natura modeſtum & verecundum eſſe. αἰδὼς δ᾽ οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. quamobrem inutili pudore depoſito, dũmodo opportunè id facias, multa ſubinde & aſsiduè ab eo ſciſcitari audebis, & à latere eius (docentis præſertim, ſiue publicè, ſiue priuatim) nuſquam diſcedes. Ita fiet, vt non tu ſolùm longè eruditior & veluti phœnix quidã in lingua Ebraica nobis redeas: ſed etiam aliqua glorię tuæ pars ad prçceptorem tuum redeat, veluti ad archetypũ iconis.

Hoc ſemper memineris, ad quod te hortatus ſum ante diſceſſum, vt Ebraicè etiam loqui & ſcribere coneris: quod niſi feceris, longè minor & vilior profectus tuus erit. Video quàm difficile ſit id vel conari, ne dum aſſequi. ſed magnos & honeſtos conatus, ſuus ſemper ſucceſſus comitatur. Vale in Domino, & me ama. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS NICOLAO *Zerchintæ Bernenſis* Reipub. *conſiliario*.

VTinam corpore ita te ſanum eſſe & valere, optime Nicolae, Deo placeat: ſicuti animo valere te, & æternæ doctrinæ ſanctitatem amplecti, eidem placuit: ſin minus, fiat voluntas eius, cuius nutui, voluntati atque imperio omnia neceſſariò cedunt, idque feliciter, quæ voluntaria: infeliciter quæ contra. Suaui quodam dolore pulcherrimum munus tuum, vtriuſque teſtamenti ſymbolum, numiſma me affecit: nam quod illud velut mnemoſynon tui donas meditantis ex hac mortalitate diſceſſum, propter magnum omnino futurum deſiderium tui, ſi contigerit, non poteſt non ſummæ triſtitiæ mihi cauſa eſſe. Te enim amantiſsimum mei, ita in grauiſsimis caſibus fideliſsimum ſapientiſsimumque conſultorem, cui me meaque ſecreta omnia rectè committerem, ſummo & emolumento & ſolatio meo hactenus expertus ſum. Rurſus cum animorum noſtrorum arctiſsimam coniunctionem, cum ex altero prius rariſsimo, & nunc etiam nouo munere aliiſque euidentibus argumentis, conſidero: non poſſum non gaudere & gratulari mihi, & Deo Optimo Maximo gratias agere, quod de talis tantique viri, pietate, doctrina, virtute incomparabilis amicitia mihi proſpexerit: quæ non ſolùm in hac mortali vita, vtilitati mihi ac ornamento ſit, ſed ad meliorem quoque ac immortalem, meditatione mortis, exemplo ſuo inuitet ac præparet. Quamobrem cum ſancti amoris erga me tui theſauro, planè felicem atque beatum me exiſtimem, Deum orabo, vt me diutius hac felicitate perfrui ſinat. Sin aliter ei videatur, vt & te propitius ad meliorem ſtatum animo alacri, inuicti aſſertoris noſtri cruce & victoria fretum, hinc deducat: & me quoque paulò poſt, antequam deteriora huius mundi contagia ſentiam, hoc ergaſtulo ſolutum, meliore tecum & omnibus ſanctis vita ac amoris indiſſolubili vinculo coniungat. Quod vt toto ex animo cupio atque opto, ita futurum breui, mens mihi præſagit. Nam vt ſtudiis fe-

re non multum diſsimiles ſumus, ita corporis quoque & temperamenti ratio propè par: quantum & ex literis tuis intelligo, & illorum qui vtrunque viderunt, relatione. Quod ſi ab opere meo Aquatilium hiſtoria, quæ etiamnum ſub prælo eſt, abeſſe poſſem vlla ratione, omnino ad te aduolarem: cum vt varijs de rebus præcipuè diuinis, ſapienter te diſſerentem audirem: tum vt explorarem, ſi quid fortè conſilij medicinæ ope conferre poſſem. Quod quoniam non licet, ſolum felicem & perfectum animorum atque corporum medicum, qui incurabiles naturæ & humanis conſilijs, vtriuſque noſtri partis, morbos, ſapientia, gratia & omnipotentia ſua percurat: votis omnibus orabo, vt corpuſculum tuum corroboret, quò & honeſtiſsimæ familiæ tuæ, ad maiorem prouectionem regendę, & exemplo etiam ac eruditione, qua polles cum ciuibus tuis, tum externis quàm plurimis proſis. Interim ne nihil de arte mea, cuius facultatem mihi tenuiſsimam eſſe agnoſco, depromam: mitto oleum de nuce moſchata, & liquorem cinnamomi. De picatione, conſulam aliquem, qui in Galeni lectione verſatus ſit. Vale. Tiguri. Anno 1558.

CONRADVS GESNERVS
doctiſſimo Georgio Fabricio.

ORnatiſsimi viri Valentini Grauij munera, mirum in modum mihi grata & iucunda fuerunt. Oſtento illa amicis & aurifabris noſtris, qui omnes artificis ingenium valdè admirantur. Illis etiam ſeorſim ſæpe me recreo, & magna cum voluptate & admiratione inſpicio: non enim tàm rerum icones in eis, quàm res ipſas ſpectare mihi videor. Eſt in eis quod oculos oblectet & paſcat, varij ad viuum expreſsi colores: & quod maius eſt, ipſa ſingulorum forma figuraque ita vndiquaque omnibus lineamentis expreſsiſſima, rectis, obliquis, tranſuerſis, curuis, criſpis, longis, breuibus, tantis omnino & totidem talibusque, quanta, quot & qualia producere ipſa natura ſolet. Nam cum nullū opus laudetur, quod non ad aliquam naturæ imitationem ſit factum, cumque artes omnes naturam veluti ducem ſequantur: illos in primis laudabimus artifices, quorum opera ad naturam quàm proximè acceſſerint. Ars verò illa, quæcunque eſt, quæ tàm proprias rerum icones effingit, quales in Grauij muneribus intueor, non tàm ſimiles rerum imagines quàm res ipſas repræſentare mihi videtur, & vt Platonicè dicam αὐτὸ τὸ αὐτό. Ita vt niſi materia foret diuerſa, diffe-

tentia planè nulla perciperetur. Celebrati ſunt olim pictores quidam ab exquiſita et ipſam præ ſe ferente naturam imitatione, præcipuè Parrhaſius & Zeuxis æmuli: nam cum hic vuas pictas detuliſſet tanto ſucceſſu, vt in ſcenam aues aduolarent: ille detuliſſe linteum pictum traditur, ita veritate repræſentata, vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam, ingenuo pudore, quoniam ipſe aues fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem. Eodem iure nouæ huius elegantiſsimæ artis opera prædicari merentur, quę ne hilum quidē à natura diſcedunt, in quibus nihil redundat, nihil deſideratur, adeò ſcitè & verè ſuis ſimilia archetypis, vt ſi quam materiæ, ſalua interim forma, mutationem rerum natura admitteret, res ipſas veras & viuas è ſubſtantia priſtina in argenteam abiiſſe, vt Meduſæ capitis aſpectu in ſaxa quondam homines poëtæ fabulantur, facilè quis crediturus eſſet. Hæc tanta ſubtilitas & perfectio operis quem non delectaret? Quis non abhorreret araneum qui rutam ſcandit? niſi quis ne ad viuum quidem exhorreſcat. Sed iucundus eſt ipſe etiã horror, cum falſus deprehenditur. quoniam non mouetur hoc animal, quod vel ſolum in eo deſiderari poteſt. Locuſta quoq; in altero faſciculo rutæ adhærens, ſi ſaliret, viueret, & nihil quàm locuſta eſſet. Conari tamen & meditari ſaltum videtur, ita vt niſi manum aut vim adhibeas, veram quidem locuſtam, ſed vel ſponte quieſcentem, vel aliter ad ſaltum impeditam exiſtimes. Iam cum tot modis nobiliſsimus ſenſuum intuitus his ſpectandis detineatur: æquius ferendum eſt, ſi animalibus, motus: ſi folijs, floribus, ramulis, fructibus, in erica, fragis, ruta, belli, millefolio & liliaſtro odor ſaporq; deſint. Quæ ſola niſi deeſſent, non artis iam, ſed naturæ cenſeri opera poterant. Atqui hic ſummus eſt gradus, ad quem vſque ingenium artificis progredi poteſt, ita æmulari naturam, vt quæ non ſint, eſſe videantur. Non lædit araneus, ſimillimus tamen læſuro: & minanti non ſalit locuſta, ſed iam iam ſalitura videtur. Non fragrant fraga, non redolet liliaſtrum, non graue ſpirat ruta, nil ſapit bellis, non acre eſt millefolium, ſi ſenſus conſulas quibus hęc diiudicantur. Iidem ſi cohibeantur, & ſolis habeatur (vt plerunque ſolemus) oculis fides, odorem ſaporemq; hæc omnia polliscentur, inuitant, alliciunt. Sed quid ego hæc multis? neq; enim ea eloquentia mea eſt, qua verbis conſequi tantum poſsim, quantum in pulcherrimis hiſce operibus reipſa cùm artifex optimus feliciſsimè præſtitit, tùm liberaliſsimus Grauius benigniſsimè

mihi

mihi donauit. Erunt hi mihi, dum viuam, Adonidis horti, non fugaces quidem illi & breui euanidi, ſed perpetui vigoris, nec vllis anni & tempeſtatum obnoxij iniurijs, perpetuum Grauij erga me beneficentiæ pignus ac monumentum. Huic tum igitur (optime Fabrici) ampliſsimo viro maximas meo nomine gratias vt agas, & animi mei gratitudinem locupletius honeſtiusq́ quàm ego præſcribere poſsim, diſertiſsimis verbis tuis, ornare vt digneris, vehementer te oro. Scribam ipſe quoque paucis tùm ad Grauium, tùm ad Chentmannum, cui vt porrò etiam me commendare non deſinas, cupio. Accepi etiam à te miſſam bifidam Caſtoris vngulam, rem certè raram, & Balthici piſcis illius dorſo eminentis ſpinam, pro quibus gratias habeo. Liber de Auibus, ſub prælo verſatur, ſed ad nundinas proximas abſolui non poterit. Curabo vt quæcunq; tunc impreſſa fuerint, ad vos mittantur. Vale ſtudiorum meorum columen. Tiguri 1554. Iunij die 22.

Iam obſignaturus eram epiſtolam, cum literæ tuæ Baſilea miſſę mihi redduntur, in quibus præter cætera de iynge auicula ex Gregora quædam annotaſti, quæ ſanè libentiſsimè legi, quamuis eadem ferè apud Græcum Theocriti Scholiaſten & in Phauorini Dictionario de hac aue lecta mihi meminerim. Eſt autem (quod neſciebas) hæc Nicephori Gregorę explicatio in Syneſium de inſomnijs ſuperiore anno Lutetiæ impreſſa, vnà cum alijs quibuſdam Syneſij ſcriptis, apud Adrianum Turnebum Typographum regium, vt videbis in Appendice Bibliothecæ noſtræ, quam ſe Typographus propediem excuſurum ait. Vale iterum.

SYLVIVS CAESAR SCALIGER CONRAdo *Geſnero, medico Tigurino.*

ETſi tibi noti non eramus propter nominis noſtri nouitatem atque obſcuritatem, auſus ſum tamen, & Roberto Conſtantino fratri meo de tua humanitate multa & magnificè prædicanti fidem habere, & tibi ſimul ineptis ſcriptis noſtris obſtrepere. Atque illud quidem perfacilè potui, qui patris mei Iulij Cæſaris Scaligeri honorifico teſtimonio, & lectiſsimis tuis monumentis magnitudinem iſtam non ignorem. At ingenij noſtri exiguas vires tecum communicare, non ſatis prudentis, ne dicam ciuilis animi eſſe videbatur: vt homo nouus, & in re literaria vnus ex multis tantum ſibi tribueret, odioſa ſcriptorũ ſuorum aſperitate ſeria ſtudia tua obtundere. feci tamen quod ille aliquando hortatus eſt, neque

minus neceſſariò quàm libenter. Nam cum qualemcunq; hanc mei ſurgentis nominis dignitatem cum virorum doctorum autoritate coniunctam eſſe ſummoperè cupiam, maxime è re noſtra eſſe viſum fuit, ſi ea eruditioni tuæ, qua primas omnium conſenſu ſuſtines, committeretur. Malui igitur, fretus tua humanitate, temeritatis notam ſubire, quàm propoſiti mei rationem ab hac nominis mei commendatione reuocare. Id enim dignitati noſtræ conuenire ratus, non dubitaui tanquam vnus ex intimis tuis, non ſolum amicitiæ beneficium à te petere, ſed etiam famæ noſtræ patrocinium. quorum hoc cum multum acceſsionis ei adferre poteſt, illud non minus luminis & ornamenti Scaligerorum familiæ eſt collaturum: cuius ope paternam memoriam poſteritati cognitam fore ſpero: Quod & maximum eſt in vita hominum, & à tam tenui conditione noſtra ſuſtineri non poſſet, niſi tu qui tibi ipſi immortalitatem paras, alijs quoq; id honoris impartiri non dedigneris. Ego autem qui patris mei nominis tam ſum ſtudioſus quàm quis alius, etſi id in ore doctorum per ſe ſatis ſit celebre, tuo tamen teſtimonio eius ſcripta plurimum ſplendoris & gratiæ conſequutura confido. Hęc ad te ſcribere volui, doctiſsime Geſnere, tanquã pignus obſeruantiæ erga te meæ. Cuius autoritatem tanti facio, vt nullius amicitiam magis petam, alium magis colam neminem. Efficies igitur pro tuo candore, vt eius quod multis bonis commune eſt, à te repulſam non feram. Vale, Agenno Aquitanorum, quinto Kalendas Ianuarij.

CONRADVS GESNERVS SYLVIO CAESARI *Scaligero, genere, doctrina et virtutibus viro nobiliſsimo.*

NEſcio an vllæ vnquam literæ, magis exoptatæ mihi redditæ ſint, ornatiſsime Scaliger, & maiorem mihi voluptatem attulerint, ac tuæ illæ nuper ſuauiſsimè & doctiſsimè ſcriptæ: quibus equidem cum facundia reſpondere haudquaquam poſsim, in te redamando tamen, ne quid in me deſideres, vt officio meo parem me eſſe intelligas, operam omnem dabo. Quis enim non amaret Iulij Cæſaris Scaligeri incomparabilis viri, virtute & ſapientia præſtantiſsimi, et in omni doctrinarũ genere principis, filium? quis non ſuſpiciat eundem paternæ laudis feliciſsimum hęredem, (quod rarum eſt in heroum filijs) ac veluti alterum patrem? Itaq; maximum felicitati meæ (qua vix maior in terris datur, quàm bonorum et ſapientiũ hominum amicitia) poſtquam te amico ſum au-

ctus,

ctus,cumulum acceſsiſſe iudico. Hoc autē nomine video me multum optimo & doctiſsimo viro Rob.Conſtantino debere, qui, vt coniicio,plura quàm ego præſtare poſsim,de me prædicare ſolet: plurimum verò ſummæ humanitati & ſuauiſsimę benignitati tuę. Atq; vtinam expectationi de me tuæ, aliqua ex parte ſaltem ſatiſfacere poſsim: conabor equidem vt non voluntatis ſed facultatis culpa fieri intelligas,ſi minus, quàm par erat,fecero.Bibliothecæ noſtræ ſi quid edetur aliàs,vel ipſa, vel Compendium,vel Appendix aliqua, faciam nobiliſsimi parentis tui eiusq; ſcriptorum honorificam & copioſam mentionem,ſicuti meretur.Oblecto me ſubinde in admirandis ipſius de Subtilitate ad Cardanū ſcriptis: ſed plura de eius virtutibus,quibus ego mirificè afficior, dicere nunc neque vacat,neque apud te alterum ipſum,opus eſt. Mitto tamen quod nuper ab amico accepi,Iacobi Scheccij,ſummi ſanè philoſophi,de ipſo iudicium ac elogium,eiq; per omnia ſubſcribo.De Iulio Cæſare Scaligero, &c. Ego vir clariſsime abs te peto,vt parentis vitam diligenter deſcribas, & Lucubrationum eius alicui illam præfigas: hoc enim quàm plurimi boni ac literati homines deſiderant. Plura ſcripturo occupationes quædam ſuperueniunt: quamobrem Vale,& me nominis veſtri, nullo qui viuunt hominum minus amantem, viciſsim amare perge, donec reipſa inter nos mutuos animos aliquando (ſi ita Deo videbitur) declaremus. Tiguri Anno 1561.

CONRADVS GESNERVS FRANCISCO
Porto Cretenſi,Græcarum literarum interpreti conſummatiſsimo.

ACcepi cum poſtremis literis tuis, doctiſsime Porte, Cæcilij Lancei Pſalmum Heroico carmine graui ſanè, maturo, & poëticæ virtutis (ſi quid ego iudicare poſſum) pleno redditum. pro quo plurimùm tibi debeo. plurimùm & argumento tali, & carminis genere, quanquam ipſe infeliciſsimus poëta,oblector: ſicuti Elephantum ferunt natandi imperitum, circa flumina & aquas tamen libentiſsimè verſari. Ego ſi quid viciſsim habuero, quo te oblectatum iri confidam,officij mei meminero.In præſentia commendo humanitati tuæ optimum hunc iuuenem, Ioannis Friſij Ludimagiſtri apud nos filium, habitaturum puto cum D. Cheuallerio, eſt enim Hebraicæ linguæ & ſacrarum literarum in primis ſtudioſus.Ex Gallia audimus triſtia de profligato Anglo-

rum exercitu, vtinam falſa. Vale, & D. Caſteluetrio τῷ καθ' ἡμᾶς πολυμαθεστάτῳ καὶ ἀρίστῳ ἀνδρί, plurimam ex me ſalutem dicito. Tiguri: Februarij die 6. anno 1563.

De tuis lucubrationibus fac me, ſi placet, aliquando certiorem. Etſi enim quietem tibi opto, cupio tamen te fœnerari talento illo quod à Domino accepiſti, vt poſteri etiam vixiſſe te intelligant: tuæq; virtuti & doctrinæ aliquid debeant. Tu vel ſolus, vel vnus omnium optimè, condere aliquid potes lingua Græca ſiue vernacula, ſiue antiqua, quo ſummam ſyncerę religionis apud Cretenſes etiam tuos, aliosq; Græcos promoueas: & contra abuſus, qui apud illos obtinent, præcipua aliqua ex ſacris literis argumenta proferre: atque omnia ita temperare, vt vel publicè legi vendiq; poſsint: vel per aliquos clam ſaltem diſtrahi. Experire quęſo paruo aliquo libello, ſiue ficto argumento, qualis eſt dialogus ille mercatoris cum Turca, ſiue non ficto. poſtea ſi ſuccedat, maiore. D. Henr. Stephanus non dubito, operam tibi ſuam præbebit. Iterum Vale, vir clariſsime, cum familia & amicis omnibus.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Caio Britanno, medico clariſſimo.*

TVrnerus officioſè et amanter ad me ſcripſit, ſperoq; eum aliquid, ſi valetudo ſinat, in gratiam meam facturum, vt ſępe fecit antehac. Quod librum tuum de balneis Britannicis retines, donec expolias, abſoluasq; melius, benefacis: cupio autem te maturare quoad eius commodè potes: antequã humanitus aliquid tibi cõtingat, quod Deus adhuc longiſsimum auertat. Mihi quidem ſat erit de Germaniæ Heluetiæq; noſtræ fontibus medicatis ſcripſiſſe: atq; vtinam idipſum pro mediocri ſaltem dignitate pręſtare poſſem. Enitar equidẽ quantùm potero, aliorum qui ante me idem argumentũ in noſtris et externis regionibus tractarunt, diligentiã ſuperare omnium: quod niſi facerem, meritò taxandus forem, qui poſt illos et inſpectis eorũ libris ſcribam. Faciam autem in ea lucubratione mea, tui quoq; de Britannicis balneis libri mentionem: & eius fortè breui edendi ſpem aliquam lectori. Abfui nuper toto ferè menſe in Alpibus Rhæticis, quæ Heluetiam Italiamq; diuidunt: ad finitima Inſubrum & Venetorum loca per multos altiſsimosq; montes profectus: itinere hinc (Tiguro) ferè octiduũ: partim vt fontibus qui illic diuerſi ac percelebres ſunt fruerer, valetudinis meæ cauſa: obiterq; fontium naturas addiſcerem: partim

vt ſtirpes

vt ſtirpes inquirerem, amicos inuiſerem veteres, pararem nouos, animum à ſtudijs relaxarem, corpus exercitio firmarem. quæ omnia mediocriter mihi (Dei gratia) contigerunt. Inter alios fontes (de quibus ſcribere non vacat) vnum reperi, cuius aqua decoctione conſumpta, nitrum verum (vt mihi quidem videtur) ſyncerumq́ relinquit copioſum: cuius ſpecimen ſi quæris, habebo fortè aliâs. Conſumpſi enim quod mecum attuleram remedijs & donationibus. Nitrum in Europa non inueniri hodie conſultiſsimus naturę Bellonius prodidit: foſsile erui falſò putauit Agricola. Sapore ad Chryſocollam factitiam aurifabrorum accedit, ſed acrius ſalſiusq́ eſt, cũ leui amaritudine. Reperitúrne vlla acidula in Anglia? acor ille mirus aquarũ, qua cauſa fiat, nec ipſe dum ſatis exploraui, nec alij dum mihi ſatis fecerunt. Claymundi in Plinium obſeruationes impreſſas olim, me vidiſſe puto: ſcriptæ ne, quas habes ab illis differunt? Oporinus certè vir bonus eſt, & dignus cui boni omnes bene faciant. ſed quod ad Plinium attinet: quoniam illum toties cudit atque recudit Frobenius, vir bonus & liberalis: idemq́ cogitat Doctorum omnium obſeruationes in Plinium vno volumine concludere: melius fortè feceris, ſi illi per te aut me obtuleris, quod etiam veniâ Oporini fieri poſſe ſpero. habet hic quàm plurima exemplaria diuerſa, & recondit in multos annos quæ imprimenda ſuſcipit. Val. Cordi opera nunc tandem abſoluta ſunt Argentinæ. ſcripſi Typographo, vt cum his literis coniunctum exemplar ad te mittat. Adiuncti ſunt illis horti mei Germaniæ. Omnia nimis negligenter & mendoſè impreſſa: ita vt ferè pudeat me nominis mei additi. Ero aliâs cautior. Promiſerat Typographus hominem doctum & diligentem ſe præfecturum prælo, quod non fecit. Elleborine, quam aliqui apud vos ſic vocant, propter ſimilitudinem folij (reliqua enim forma & viribus longè abeſt) aliſmatis ſeu damaſonij ſpecies doctioribus videtur. Veterum certè Elleborine (Dioſcoride teſte) θαμνίσκος eſt paruus (herbulam melius dixit Theophraſtus, ποάριον) paruis folijs: Eam eſſe herniariam recentioribus dictam iudico: in qua opinione etiam Anguillara eſt, præfectus Patauini horti: qui in libello Italico nuper edito, à Turcis herbam viperarum vocari ſcribit, à Græcis Aſphedila: ſuccum eius potum aut herbam eſitatam, morſis à vipera auxiliari, emplaſtrum ex ea herniam mirè reſoluere: iecori prodeſſe, aquam eius deſtillatã intra octo dies curare ictericos: à nonnullis centigraniam, vel millegraniã dici. Tragus herbarij ſui libri 1. cap. 181. pingit ac deſcribit. Mitto tibi ramulum

eius. Folium quod pro Platano miſiſti, omnino aceris eſt: quam arborē Galli plaine vocant, nomine ad Platanum alludente: vnde quidam decepti ſunt: vt falſum appareat Cardanum quoq;, qui in Scotia Platanos abundare ſcripſit. Miror te neſcire cur ilex veſtra lingua dicatur à grayne tree, ſi ea verba (vt puto) arborem viridem ſignificant. Semper enim viret: vnde & Galli cheſne verde, id eſt, quercum viridem vocant. Glandes ilicis ſi commodè potes, paucas benè maturas mihi mitte, vt terræ mandem. nullam enim huius generis arborem noſtra regio fert. Conchæ quas miſiſti plurimum me delectarunt. Sunt inter illas, Strombulus, Pecten niger & ruffus: Peloris vel Tellina: & Nerites, ni fallor, duplici foramine. Dentes illos in ſuis maxillis, quas cera iunxiſti, non Auratæ piſcis, ſed Scari eſſe puto. quoniam Auratæ dentes anteriores ſerrati ſunt, & in acutum deſinunt, Rondeletio teſte: Scari verò dentes ſunt obtuſi, & inciſorij etiam ex illis (Bellonio teſte) ſimiles humanis. Nomen huius piſcis, cuius maxillas miſiſti, Anglicum deſidero: & de eodem an ſuperioribus dentibus careat, anterioribus ſcilicet, vt ruminantia animalia (quod de Scaro Ariſtoteles ſcribit) ſcire cupio. Hunc piſcem eſſe puto, cuius Anglica nomina poſui à principio Corollarij de Aurata, pag. 130. Auratam Iulius Cæſar Scaliger (cuius nuper doctiſsimi libri de arte poëtica excuſi ſunt) in Oceano Britannico eſſe negat. Sed Scarus tàm ſimilis eſt Sargo, vt Monſpeſſuli etiam pro Sargo vendatur. Cupio te conferre & diſtinguere mihi. Mihi omnino animus veras eſſe Scari maxillas, quas miſiſti, inclinat. Pictori ſtatim dedi. Si potes mitte aliquando ſuperiores quoque maxillas; nam Rondellet. & Bellon. non meminerunt, an tales illæ ſint, quales Ariſtoteles eſſe ſcripſit, contra omnium piſcium naturam. Orbem piſcem iam ſæpe promiſit D. Parkhurſtus Nordouicenſis Epiſcopus, ſed nondum miſit. Canis aut caniculæ alicuius marini maxillas, vel caput integrum bene ſiccatum aliquando optârim habere: aut ſaltem dentes de maiore aliquo huius generis piſcium. Ex duobus illis piſciculis, quos doctiſsimus Turnerus miſit, alterum puto cognatum eſſe Cuculis & Lyris marinis: Germani Gallos maris huiuſmodi piſces vocant, capitibus magnis, oſſeis, aculeatis, etc. alter apprimè admirabilis eſt, pingendū ſtatim curaui. Blenni genus eſt, quod differentiæ cauſa holoſteum vel armatum cognominârim. Placeret tibi animalia mea in ordinem redigi, & cum deſcriptionibus edi: cuius conſilij tui memor ero per occaſionem: & ſi quod ordines à me in iconum libris poſitos attinet, non

video

video nunc quomodo fieri meliores poſsint. Quæ antehac picta ad me ſuis coloribus miſiſti animalia, vnà cum cæteris, quæ accuratius picta habebam plurimis, in librum quendam ſcitè digeſsi: & pleraque inter ſe agglutinaui, ita vt ſeparari non poſsint: ſi tamen volueris, denuò tibi depingenda curabo. Typographus noſter iam diu pictorem habet, qui libris noſtris de animalibus omnibus picturas addit: atq; ita pictos vendit: ſed parum accuratè. Simul autem duodenos aut plures pictor depingere ſolet. quòd ſi vnicum exemplar, idq; diligentius depingendum ei foret, nimium fortè precium poſceret. Faciam tamen in tuam gratiam quicquid iuſſeris & fieri poterit. Plurimorum quidem picturæ & colores veri nobis deſiderant: ita vt eorum icones vel ſine coloribus relinquendæ ſint, vel ex coniectura, aut temerè etiam pingendæ. Galeni opera Baſileæ iam abſoluta erant, cùm libellos à te miſſos accepi: vt ſignificauit Typographus, ad quem poſtridie quàm tua accepiſſem ſcripſi. Index tantùm perficiendus ſupereſt. Cupit tamen libellos tuos ad aliam editionem olim fortè futuram ſeruari. Ea ſpe, ſi tibi placuerit, ſeruabo. Librum illum de Humoribus Galeno attributum, cuius meminiſti, non vidi, nec ſcio vbi impreſſus ſit, ſi noſti, ſignifica. Nihil quidem mihi cum Typographo in noua hac editione rei eſt, (niſi fortè præfari me voluerit: quod tamen, ſi potero, ſubterfugiam, conſcius mihi meæ tenuitatis) gratias tamen pro iis quæ admonuiſti habeo. Audio quidem Venetiis etiam à Valgriſio imprimi nunc Galeni opera: & imprimenda eſſe à Iuntis denuò: non licet tamen mihi illis quicquam conſulere, ne Frobenij (optimè de me meriti) editioni incommodem. Pro nouis illis ac pulcherrimis picturis atque deſcriptionibus animalium quinque (& inſuper Chamæleontis accuratiſsima deſcriptione, item Cercopitheci uarij, Spermologi & Anatis Turcicæ) immortales, ſi poſſem, tibi gratias agerem: ſed habebo dum viuã, perpetuò: & quoad eius licuerit, gratus ero. Si Tragelaphi cornua bina (aut vnum duntaxat) impetrare aliquando mihi poſſes: fortè enim breui hoc animal apud vos, ſi ſupereſt adhuc, extinguetur: ego Ibicis, ſeu Capricorni cornua ad te mitterem. ad huius quidem naturam accedere tuus videtur. De Buſelapho tuo nihil habeo quod dicam, niſi vel Bubalum ipſum veterum videri, vel certè cognatum animal. quid enim prohibet duas Bubalorum ſpecies reperiri, etſi non expreſſerint veteres? Buſelaphi nomen à te impoſitum, neſcio an recepta Græcis analogia probari poſsit: neque enim inuenio ſimile nomen compoſitum, in quo Sigma finale

reſeruetur: abijcitur enim ſequenti conſonante, vt in hypposelino, buſelino, vocali autem ſequenti ad vitandum hiatum, ex duarum vocalium concurſu, qui ſ. abiecto committeretur, compoſitio nulla fit. quis enim ferat buelaphum dici? Ignoſce nugis grãmaticis. Platycercorum ouium Arabicæ & Africanæ diſtinctiones tuæ placent. De Canibus libellum, impreſſurum ſe ad has nundinas promiſerat mihi Typographus noſter: ſed fefellit expectationẽ meã. Sed ne dubitaueris: omnibus tuis, quibus me dignatus es ſcriptis, cum primùm fieri poterit euulgandis, in vtriuſq; noſtrum honorẽ vtar. Spermologi & Anatis Turcicæ imagines ſi in promptu habes, aut habere potes, libenter videbo: propter colorum ſaltem diſcrimen: quamuis forma hæc ad Indicam Anatem noſtram, illę ad Cornicem prorſus accedant, vt ſcribis. Quæris cur addiderim deſcriptiones tuas Leuncię & Zibetti, iconibus meis Lupi ceruarij & Zibetti, cum quibus nõ conueniant. Atqui parum refert, cum miſſæ à te icones deſcriptionibus tuis congruentes, ſub finem voluminis (ad quem lectorem remitto in vtroq; animali) ponantur: quæ quò minus ſuis ponerentur locis, cum ſculptæ nondum eſſent, moroſitate Typographi accidit. Ignoſce. In alia editione emendabitur. Quod ad res ipſas & nomina, Leuncia tua certè non aliud quàm Lynx eſt: ſed Lynx vulgò dicta, quæ in noſtris alpibus etiã oberrat. Alia enim eſt Lynx veterum, Pantheris ſimilior, cauda etiam longa, cuius nuper iconem Byzantij in Imperatoris aula factam in linteo magno, & à Polonico legato emptam, defuncti ipſius frater ad me dono miſit: ſicut & Hippotigridis, ſiue tigridis maioris. Lynx noſtra vulgaris, omnino Θῶς ſiue Lupus ceruarius eſt. Biſon monoceros non reperitur: & præſtat nos credere oculatis teſtibus, atq; incolis locorum illorũ, in quibus has feras capi illi ipſi, quos citas, veteres ſcripſerunt: quanquam veterum nemo Biſontem ſcripſit vnicornem eſſe: ſed malè ita apud Cæſarem legit, aut potius ipſe mutauit, Gillius: qui defendi non poteſt. Omnino enim conſtat Biſontem bouem eſſe ſylueſtrem, & cornuum ramos ac palmas minimè ei conuenire: maximè verò omnium Tarando: qui tamen non vnum cornu habet (in quo deceptus eſt Cæſar) ſed bina in excelſum erecta. Biſontis & alces cornua nobiliſſimus vir Polonus, (idem de quo iã ſcripſi) dono ad me dedit. Manet vtriuſq; ferè nomen hodieq; ἐπιχώριον: ſed Biſontis ad alium ſylueſtrem Bouem, qui veterum Vrus eſt, tranſtulerunt. Vnicorne animal in Hercynia nullum capi noſtro ſeculo certus ſum, nec in Germanicis nec in Polonicis ſyluæ eius tractibus. in Carpatho

quidem

quidem monte, qui Poloniam Vngariamq́ diuidit, Rupicapræ
monocerotes viſuntur. Pro Gillio citas Calepinum, cuius nulla
authoritas: & Plinium lib. 8. cap. 15. vbi is nihil de Biſonte ſcribit,
quàm quòd iubatũ cognominat. In eodem capite memorat Mach-
lin è Scandinauia: quam quid obſtat quin Hippelaphum Ariſtote-
lis tuum eſſe dicamus? Obijcies non conuenire, negatos ei à Pli-
nio ſuffraginum flexus. atqui eoſdem Alci negat Cæſar, aliqui E-
lephanti quoq́: ſed & Alcen & Elephantum ſuffraginibus flecti
hodie nemo dubitat: & nulli omnino quadrupedum illi negantur.
quare Machlin etiam ijs flecti exiſtimandum, & Pliniũ ex rumore
tantùm, ſed falſò, hæc prodidiſſe: id quod intelligitur his eius ver-
bis. Nunquam viſam in hoc orbe, multis tamen narratã Machlin,
haud diſsimilem illi, videlicet Alci: quod & Solinus repetit. La-
brum ei ſuperius (inquit) prægrande (hoc & Alci & Machli com-
mune) ob id retro graditur in paſcendo. Hoc Solinus Alci non
Machli tribuit. verum an ſit de altera vel vtraq́, neſcio: tu inquire-
re poteris. Apparet ſanè veteres (Plinium, Solinum, Cæſarem,
quamuis Machlis nomen expreſſum apud ſolum Plinium legitur)
Alcen & Machlin confudiſſe: nec mirum, cum propter magnam ſi-
militudinem (cornibus exceptis) hodie etiam imperiti confundãt.
nam cum Alx tantùm vulgò propriè Elent dicatur: tu Hippelaphũ
quoq́ tuum in Anglia à vulgo ſic impropriè vocatum fuiſſe ſcri-
bis. Vtinam proprium eius in Scandinauia ſeu Nortuegia vſitatũ
nomen expiſcari poſſes. Eſto igitur hæc Machlis nec viſa nec co-
gnita hactenus ſcriptorum vlli: quam tuæ diligentiæ, doctiſsime
Cai, debemus. Hoc ſolum addam, in verbis Cæſaris de Alcibus, hi-
ſce: Harum eſt conſimilis Capris figura, & varietas pellium: ſed
magnitudine paulò antecedunt: ſi pro capris legas ceruis, (qui-
bus etiam varietas pellium magis conuenit) lectionem veram fu-
turam, hoc eſt, cum re ipſa concordem: quamuis quod ad pellium
varietatem attinet, nihil dum aſſerere poſſum: in prima ætate for-
ſan, vt cerui, ſic & alces variæ ſunt: & eædem fœminæ (quas
ſolas viſu auditúue potius cognouiſſe videtur Cæſar, aut iunio-
res fortè, aut mares cornibus amiſsis) cornibus carent. Sa-
guinam tuam, Cercopithecum Breſilicum appellarim. Optarim
equidem & ipſe, vt qui mittunt amici animalium quorundam
picturas, melius & pictas, & accuratè deſcriptas mitterent:
ſed plerique vel indoctiores ſunt, vel ocio deſtituuntur, vel ab a-
lijs accepta mittunt, &c. Dabo tamen operam, vt quædam pau-
latim meliora fiant, quamdiu viuam. Pergratus eſt donatus

à te Haliæeti pes. Bulbos cepæ fiſsilis, à D. Turnero, vt coniicio, datos, cùm cæteris accepi, mox plantaui, & gratias habeo. Stomacacce malum eſt frequens in ora Germaniæ: eius memini in operibus Cordi, pag. 213. id an vobis etiam moleſtum ſit miror: Britannicam herbam, qua olim illi medebantur, hodie incognitam puto, aliis ſubſtitutis. Doctiſsimi viri D. Ge. Bulloci ad te literas libentiſsimè vidi, cùm aliâs, tum quòd inde quæ quantaq́ue tua apud Anglos authoritas & magnificentia ſit, plenius cognoui. His laudibus & virtutibus tuis gratulor, macte doctrina & omni laude vir præſtantiſsime. Deus Opt. Max. te Anglis tuis, & mihi quàm diutiſsimè incolumem conſeruet. Quod ad rationem Indicum cōficiendorum libro meo Partitionum mearum Vniuerſalium indicatam, libentiſsimè D. Bulloco gratificarer vel tuo nomine: ſed clarius quàm illic ſcripſi exprimere vix poſſem. Et quoniam intellexi eum mox in Italiam tranſiturum, fortaſsis hâc tranſibit: aut ſaltem in reditu, nihil enim ab itinere recto deflectet, ſi reuertens hâc tranſeat, poterit ipſe me domi conuenire, & rem præſentem inſpicere: ac ſimul alia multa rara in tui gratiam. Sin minus, ſpecimen aliquod ad vos mittam, qualecunq́ue potero. Hoc ei ſiue adhuc Pariſiis eſt, ſiue in Italiam iam profectus, ſignificare poteris. Ego hinc in Italiam literas mittere poſſum quotidie. Mitto tibi oxymelitis noſtri, remedii ſanè feliciſsimi, deſcriptionem: ſimul & Antidoti cuiuſdam nouæ. cupio autem illas te tibi ſeruare, & pauciſsimis ex amicis. ſic enim mihi quoque commiſit, qui communicauit antidotum. Vale. Tiguri. 1561. Auguſti die 29.

CONRADVS GESNERVS IOANNI *Placotomo medico.*

QVod tam facilè amicitiæ inter nos ineundæ aſſentiris & acquieſcis, doctiſsime Placotome, meritò te amo: meq́ue pollicebor φίλον καὶ [illegible] tuum eſſe futurum: quod quoniam candidè & ex animo dico, procœmii amplius nihil addam. Oculorū malo tam incommodo te laborare doleo: atq́ue vtinam aliquid adferre conſilii poſſem. Non memini ſanè neq́ue in medicorum neq́ue philoſophorum ſcriptis hoc ſymptoma memoratum vnquam legiſſe: ſed neq́ue in alio hactenus homine obſeruaui, neq́ue qui obſeruaſſet audiui. Spiritus viſiuos diſsipari apparet, quoniam longinqua non aſſequeris, ſed proxima tantùm: id quod mihi etiam ab adoleſcentia accidit. ſum enim luſcioſus & μύωψ: itaq́ue vt longinquiora

paulò

pauló videam, conſpiciliorum genere vtor, quo ſpiritu colliguntur, & res minutiores apparent. Tu an vllo & quali eorum genere iuueris, ſcire velim. Iudico equidem te quoque myopem eſſe: quod vitium incurabile eſt: vnum hoc boni habet, quód in ſenecta oculi non hebetiores fiant. neque enim incraſſantur in eo ſpiritus, (quæ in alijs ſenibus hebetudinis cauſa eſt) cum myopiaſis ipſa ex ſpiritus ſubtilitate, quæ facilis diſsipationis cauſa eſt, proueniat. quamobrem iſtorum ferè ſicci oculi ſunt, lippitudines raræ. Sed huic malo alterum in te accedit, quod viſa geminat, niſi proxima ſint, vel manum oculis prætendas, vel alterum claudas. Huius ego neque nomen, neque rationem dicere ſatis poſſum. Ariſtoteles, Aphrodiſienſis, Caſsius in problematis ſuis quærunt, qui fiat, quód ebrij gemina videant: & videntur in hoc conuenire, id fieri propter inæqualitatem ſitus oculorum. quoniam ſi quis etiam digito oculum alterum premat, vt altero ſublimior ſit, obiecta viſus geminantur. & in tactu ſimiliter, vt ſi quis ſummis digitis duobus cancellatis ſeu decuſſatis nucem celeriter moueat: quoniam digitus alter inferius, alter ſuperius attingit nucem veluti contrarium mouentes, geminæ videntur nuces. An igitur intrinſecus fortè hoc tibi accidit, vt pars aliqua oculi, vel humor, vel neruus opticus alter ſitum ſuum nonnihil immutarit? An neruorum opticorum coniunctio humore aut alio corpore interueniente disiuncta eſt? Quód ſi (vt ſuſpicor) duplex hic in te affectus eſt, veriſimile fuerit alterum præceſsiſſe, alterum eſſe ſequutum, non eodem vtrunque tempore obortum. Sed cur manu oculis prætenſa non vides gemina? an quód ſpiritus diſsipari ſic prohibentur? Atqui non ſimpliciter diſsipatio ſpirituum geminationis cauſa eſt, alioqui luſcioſi omnes gemina viderent. Diſsipatio etiam in continuum fieri poteſt: vt veró gemina appareant, diuelli prorſus & continuitatem diſſolui oportet: ita vt dextri oculus ſpiritus ſeorſim, & ſiniſtri ſeorſim, idem obiectum contingat. Quód ſi digito oculum premas, apparentibus geminis, manus ita opponi poteſt, vt res non amplius gemina appareat. Sed hæc opticus aliquis melius docuerit. Tu rem diligentius conſiderabis ipſe: ſi fortè inuenire cauſam poſsis, vt ea inuenta curationis aliqua ſpes ſit. ſin minus, Dei voluntatem boni conſules. In Galenum de conſtitutione artis paraphraſin ſcripſit Chriſtophorus Heyll, quę excuſa eſt Moguntiæ anno 1534. in quarto. Et proximis menſibus Iulij Alexandrini medici regis Ferdinandi, liber de medico & medicina, hic à patruele meo excuſus eſt, eruditus ſanè, & qui hoc quod re-

quiris implere poſsit. Ego condenda animalium hiſtoria ita ſum occupatus, vt aliud nihil cogitem, priuſquàm (Deo volente) illam abſoluerim. De aquatilibus volumen ingens nunc ſub prælo eſt, nec abſoluetur ante annum, ad id vtinam aliquid conferre poſſes, quantulumcunq;, vt honorificè te in eo nominandi occaſio mihi non deeſſet. Aedidi æſtate ſuperiore Halieuticon Ouidij cum ſcholijs meis, & de Germanicis piſcium nomẽclaturis libellum adieci. non dubito quin apud veſtros bibliopolas quoq; reperiatur. Eo per ocium inſpecto; proculdubio de quibuſdam vel non rectè aut nõ plenè explicatis, & multis omiſsis, monere mè poſſes: quod vt facias obſecro: nec ero ingratus. Mitto ad te Indicem librorũ quos patruelis meus excudit, & Francfordiæ vendit. ex ijs ſi quid deſideres, quod breuius aut cõmodius nanciſci nequeas, mittam ad te. In arte liquores vel olea deſtillãdi, ſi quid ſecretius habeas, fac me participem, alia quædam non vulgaria eiuſdem generis à me recepturus. Inſerui huic epiſtolæ ſchedam ab amanuenſi ſcriptã, qualem hoc tempore ad diuerſos amicos eruditos mittere ſoleo. Vale & me ama. Tiguri. 1557. Martij 27.

CONRADVS GESNERVS VIRO CLA- *riſsimo, D. Leonardo Fuchſio.*

VAlere te & ſtirpium hiſtoriam tribus edendam Tomis maturare ex literis tuis, doctiſsime Fuchſi, cognoſcere mihi pergratum fuit. Minus verò gratum illud, quod ab eodem argumento me abſterres. Atqui oportebat nos maiorẽ publicè quàm priuatæ vtilitatis rationem habere. Vnus vir, nullus vir, ſi vſquam, in hoc maximè argumẽto, verè mihi dici videtur. Sunt enim infinitę plantarum ſpecies, quarũ magnam partem ſingulos ignorare neceſſe eſt, propter regionum diuerſitatem. Quòd ſi ſuas quiſq; obſeruationes in cõmune protulerit, ſpes eſt aliquãdo fore; vt ex omnibus opus vnum abſolutum ab aliquo Colophonem addituro perficiatur: quod vt noſtro ſeculo fieri optarim, ita vix ſperare auſim. Velles tu, vt alij quæ obſeruarunt ipſi, ad te mitterent: atq; vtinam id multi facerent, & magnos pulcherrimosq; conatus tuos iuuarent. & facerem id ego quoq; libentiſsimè, ſi non adeò multa haberem: ſi omnia deſcripta, atque ita vt tibi vſui eſſe poſſent. nam de eruditione tua & iudicio tanto iam tempore his in rebus exercitato, nullum mihi dubium foret, quin rectè omnibus vtereris. Sed multa omnino variaq; habeo, & ea innumeris ſchedis notata potius,

quàm

quàm deſcripta, atq; ita vt nemini ferè quàm mihi vſui eſſe que-
ant: neq; vacat hæc mihi commodius deſcribere. Et in capite plura
forte quàm in ſchedis habeo. Ab adoleſcentia enim hoc ſtudio me
oblectaui, quod niſi cum vita non deponam. Tu mihi quæſo liber
tatem meam, & meas delicias permitte. Quando de iis aliquid ſim
editurus, neſcio: adeò prolixa eſt quam ſuſcepi omnis animantiū
generis hiſtoria, & vix ante annum aut ſeſqui de piſcibus perſcri-
pſero. Hoc tibi polliceor, ſi vnquam ſcripſero, honoris tui ratio-
nem me habiturum: & ſicubi diſſenſero, ſimplicisſimè modeſtiſ-
ſimeq; facturum. Imò ſi tua viderem antequam ederentur, de non-
nullis fortè in melius mutandis (præſertim quod ad nominum im
poſitionem) candidè admonerem. Quod tu quoq; meis inſpectis
præſtare poſſes, ſi velles, in multis, non dubito. Ea enim huius ar-
gumenti conditio eſt, vt ſemper multa quæ addiſcamus ſuperſint.
Meus quidē animus eiuſmodi eſt, vt in eodem, quodcunq; tractan
dum ſuſceperim, argumento, verſari quàm plurimos velim. De
animalibus, auibus, piſcibus, eodē tempore, quo ego, Galli etiam
Bellonius & Rondeletius ſcripſerunt: ſed honorificè illi memi-
nerunt mei in ſuis ſcriptis, & alter etiam mittendis quibuſdam co
natus meos promouit. adeò nulla inter nos æmulatio eſt. Ronde-
letius tamen ſubinde perſtringit Bellonium & Hippolytum Ro-
manum, (nominibus quidem ſemper abſtinet) ſed meritò, quòd cū
ab eo plurima accepiſſent illi, nunquam eius ne verbo quidē vno
mentionem fecerint: & ipſius inuenta ſibi vſurparint: quod ſummæ
ingratitudinis, imò ingratisſimæ ambitionis eſt. Ego honorificè
ſemper illos nominaui à quibus profeci, non ſemel, ſed in ſingulis
vbicunq; aliquid mihi communicauit quiſquam. Porrò vt liquidò
intelligas (mi Fuchſi) ſummo candore me tecum agere, neq; disſi-
mulare quicquam, & cum tibi tuæq; gloriæ, tū Iſingrinii vtilitati,
viri de me bene meriti, quàm optimè velle, conſilia mea omnia ti-
bi aperiā. Vuendelinus Rihelius felicis memoriæ Typographus
Argentinenſis, adoleſcenti mihi familiaris fuit, & in Græcæ lin-
guæ rudimentis à me aliquando inſtitutus eſt. hic & libris à ſe im-
preſsis multis, & aliis quibuſdam muneribus liberaliter me dona
uit, rogauitq; cum rei herbariæ ſtudioſum me eſſe intelligeret, vt
Tragi editionem latinam emendare & annotationibus illuſtrare
vellem. hoc ipſum etiam Tragum iam ſenē, & propter aduerſam
valetudinem lucubrationibus ineptum, cupere addebat: & ſimili-
ter Kyberum iuuenem mihi arctisſima neceſsitudine coniunctū,
qui Germanica Tragi ſcripta Latinè reddidit. Prçterea vt de Hel-

uetiæ noſtræ & alpium plantis aliquid adderem. Ego nimium facilis, promiſi: nullo tamen tempore præſcripto. & hactenus quidem rem non perfeci, aliis occupationibus obrutus. quoniam verò promiſi, & pecuniam etiam aliquam à Rihelio miſſam ad ſumptum itineris per alpes, & in icones pingendas expendi: æquum eſt omnino, vt filio præſtem, quod patri promiſeram. Sed hoc parum erit, & nihil editioni tuæ incommodaturum. Non augebo Tragum, ſed minuam potius inutilem eius ſæpe loquacitatē, &c. errores, quibus abundat, tollam, aut notabo. Libellum de Heluetiicis & alpinis plantis perbreuem addam, cū figuris paucis. Quandoquidē verò, vt dixi, obſeruationes ſimul & icones de omni plantarum genere innumeras habeo, & quotidie tū ipſe multa obſeruo, tum ab amicis accipio ex Germania, Gallia, Italia: ſtatueram omnium qui de plantis vtiliter ſcripſerunt, veterum pręſertim, & ex recentioribus præcipuorū, ſcripta vno volumine colligere, breuius argutiusq́; quā in Animaliū hiſtoria feci, & abſq; philologia ferè: & iam aliquot folia conſcripſerā. Hoc ſi tibi & Iſingrinio diſpliceat, in veſtram gratiam mutabo conſilium. Expectabo donec Tomi tui omnes prodierint: tum, ſi vixero, iis inſpectis, ſcribā Paralipomena, & ea Iſingrinio cudenda dabo, ita vt nihil repetatur eorum, quę in tuis ſcripta fuerint. Sed vt hoc faciam, & primū conſilium meum relinquā propter vos, vicisſim peto, vt à vobis quoque aliquid mihi concedatur, quod & Iſingrinio vtile, & ſtudioſis gratum erit: Nempe vt icones omnes, quas in libris tuis habueris, mihi permittat, quo voluerim ordine, nomenclaturis, quę mihi videbuntur, additis, vnà cū noſtris iconibus pręterea addendis (quas tu non habueris) in vnum volumen coniungere, ſicut in quadrupedum & auium figuris feci: & faciam quoq; in piſcibus. Simul autē cum nomenclaturis notabo quæ plantæ ex tuo opere ſint, & quo in loco à Lectore requirenda ſingulorum deſcriptio: item quæ noſtræ ſint, & vbi in Paralipomenis deſcriptæ. Hoc meum conſilium ſi admittitis, bene eſt: ſin minus, ad primū meum inſtitutū meamq́; libertatem redibo. Vale. Tiguri. 1556. Octob. die 18.

CONRADVS GESNERVS VIRO CLAriſſimo D. Leonardo Fuchſio.

Literæ tuæ, vir clariſsime, 13 Decembris à te datæ, Februarii decimo mihi redditę ſunt. Cupio equidem & tibi & Iſingrinio gratificari, quoad eius fieri poterit. Quod ſi aliud nihil ſuperueniat, quod conſilio & inſtituto in præſentiarum noſtro aduerſetur,

tur, Paralipomena ſcribam.: idq́ eo magis, ſi editio tua, vt ſpero, eiuſmodi ſit, vt à viris doctis meritò approbetur. Figuras eas tantùm inſeram, quæ in tuis non reperientur, vt ſuades, & ipſe prius facturus eram: nam de tuæ editionis iconibus video te propoſitum meum non aſſequutum. Volebam ego non ſolùm Paralipomena ſcribere, vt iam dixi: ſed inſuper vellem ab Iſingrinio icones omnes abſq; hiſtoria aut deſcriptione, ſeorſim cudi, vt iam antea fecit in prima editione: & ego quadrupedum, auiumq́ figuras ſeorſim dedi cum ſolis nomenclaturis. Hoc inquam volumen iconum mihi permitti velim, vt ego quo vellem ordine diſponerem, tuas ac meas icones, & nomenclaturas pro meo arbitrio adſcriberem. Sed hac de re diſpiciemus aliâs, ſi vita ſupererit. Ego interim fidem meam nõ aſtrinxero. quanquam enim omnino & vos amo, & conatus veſtros vtiliſsimos pulcherrimosq́ quàm feliciſsimè procedere opto: fieri tamen poterit, vt vel omnino non ſcribam: vel aliud pro re nata conſilium capiam. Quicquid fiet, et typographi tui, vt viri de me bene meriti, vtilitatis: & tui etiam honoris, quem doctrina tua meretur, ratio ſemper à me habebitur. De victoriali, vt vocant, herba, parum quod ad te ſcribam habeo. In iugis montium altiſsimorum Heluetiæ naſcitur: anno ſuperiore in monte Pilati propè Lucernam reperi copioſè. Genus allij eſt, quod odor indicat: Oreoſcorodon appellemus licet. Flores quoque & ſemina allio accedunt. Radix eruta diu durat, & multo etiam tempore poſt terræ mandata, facilè creſcit. Alui iam per quatuor aut quinq; annos in hortulo meo ſtirpes duas, quæ ſemel tantùm flores & ſemina protulerunt: & eo nomine forſan diutius durant. folia ellebori albi folijs ſimilia ſunt, minora. Eſt & altera victorialis rotunda ſiue bulboſa radice, (runde ſigwurtz vulgò quidam nominant) ſimiliter reticulata & tunicata, cuius ſuperficiem nondum vidi. ſapor & odor radicis nihil allij referunt. inodora & dulcis eſt. croco potiùs aut gladiolo congenerē putârim. In montibus Abbatiſcellæ reperiri audio. Vtraq; pro amuleto homines ſuperſtitioſi vtuntur. Conuulſiones etiam prohiberi aut ſanari radice geſtata, vel loco conuulſo alligata, promittunt. Allij vires illi, cuius radix eſt longa adſcribere non dubitârim. Hæc ego candidè tecum impertior, etſi reſeruanda fuerant ad libellũ, quo paucas Heluetiæ plantas olim deſcribam. Tu ſimpliciter hæc à me accepta fateberis, ſi placet. De rotunda etiam, ſi quid certius cognouero, ad te ſcribam: aut radicem etiam mittam, vt terrę mandetur, ſi recentem habere potero. Vale. 1557. Februarij die 11.

CONRADVS GESNERVS MELCHIORI *Guilandino Boruſſo.*

LIteræ tuæ, clariſsime Guilandine, tardiùs ad me peruenerunt, vt nuper ad Bręgelium noſtrum ſcripſi. Et ego quoq; propter plurimas maximasq; occupationes meas tardiùs, quàm vellem aut deceret, nunc reſcribo. Sed tu pro tua humanitate, inq; me amore, ignoſces. Publicum medendi munus, quo omnibus & pleriſque etiam gratis opera mea expoſita eſt, nimiùm me à ſtudijs meis & erga amicos officijs auellit. deinde phyſicam philoſophiam docendi quotidiana profeſsio: & rei familiaris adminiſtratio: cura propinquorum, quorum magnus à me numerus dependet: & aliæ cauſæ quas vel enumerare longum eſſet, totum ferè me mihi, nedum amicis auferunt. Quamobrem condonabis mihi & hoc tempore hanc moram, & extemporaneam ſcriptionem: & ſi aliâs quoq; rarior breuiorq; & incomptior ſcribendo ad te fuero, quàm vellem. Tibi viciſsim apud me eadem venia erit & ius æquale: etiamſi te non adeò multis cauſis & curis diſtineri, atq; me, arbitror. Si quid à te petiero, quod tibi commodũ & procliue factu ſit, ſatis facturum te mihi ſpero: idemq; ego viciſsim faciam. Sin aliquid tibi moleſtum aut incommodum fuerit, tantum abeſt in malam partem vt ſim accepturus, ſi non præſtiteris, vt nunc etiam rogem ne vel coneris quidem eiuſmodi quicquam propter me. Scio enim multò maiores vtilioresq; eſſe occupationes tuas: quæ vt breui publicè proſint, vehementer expecto & opto, & quidem magis, quàm ſi mihi ſoli priuatim prodeſſe deberent. Naturam enim in vniuerſum excoli, & eius autorem Deum Opt. Max. in ſuis operibus celebrari, toto pectore expeto. Petis, vt Theonem tuum, Librum epiſtolarum, & Defenſionem xx. problematũ quam nunc miſiſti, à Typographo aliquo, vno volumine, imprimi curem. quod equidem libentiſsimè faciam, ſi potero. Typographus noſter Froſchouerus recuſat ampliùs in re medica quicquam procudere. maius enim lucrum ex theologicis capit: quorum ſubinde aliquid Latinè aut Germanicè cudit. Patruelis verò meus à morte fratris, nihil impreſsit, præter vnum aut alterum libellum & Calendaria. nunc quidem omnino ceſſat, donec ſumptus ferre melius poſsit. Baſileæ etiam metuo ne nullus fortè ſuſcipiat, niſi omnino tempeſtiuè id fiat, hoc eſt in aliquo interſtitio aliorum operum: quanquam tum quoque plerique abhorrent à polemicis & contentioſis huiuſmodi argumentis. Experiar tamen

men in tuam gratiam omnia. Sed prius opus eſt me doceri abs te, quæ nam ſint illæ epiſtolæ, quæ librum conficiant. non enim illam eſſe puto epiſtolam, quam olim ad me ſcripſiſti: nec vnam aut alteram duntaxat, ſed fortè plures. In Theone permittis mihi mutare, ſi quid velim. ego verò percupio, vt tu ipſe id præſtes: hoc eſt, vincas teipſum: & quidquid vel conuitij vel cuiuſcunque perturbationis nomine à grauibus & ſeueris doctoribus damnari poſſet, et τὰ ῥηπρευόμενα omnia, inducas, expungas, releces: vt verè grauis & neruoſa oratio tua ſit ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων. Sic enim te homines boni & eruditi laudare ac admirari poterunt, quod in iuuenili ætate, vt eruditione multiplici, ita modeſtia quoque & grauitate Matthiolum ſenem adeò ſuperes. Sic etiam tædio & moleſtiæ lectorum parces. Sic denique maximam omnium deinceps ſcriptorū tuorum expectationem excitabis: quæ quidem vt quàm feliciſsimè abſoluas, tantum tibi felicitatis ex animo opto, quantum egomet ipſe mihi abſoluendis meis. Sed mea fortè adhuc in multos differentur annos. nam (vt verum fatear) ne folium quidem meæ plantarum hiſtoriæ adhuc conſcripſi: materiam tantum hactenus & picturas collegi: nec ſcio quando ſim incepturus. tanta me πλεονεξία plura ſubinde acquirendi inuaſit: quam quidem ipſe in me & agnoſco & accuſo, temperare tamen huic vitio meo non poſſum: vt neque inconſtantiæ, varia enim tracto: inter alia de fontibus quoque medicatis. De aconitis, alijsque in quibus diſſentit à me Matthiolus (ſic illum à te quoque deinceps vocari velim, non Matthæolum πρὸς τὸ μάταιον alluſione, vt affectus iuueniles exuiſſe videaris) priuatim ſcribere ſtatueram. ſed multa hactenus me ſunt remorata. ac fortè differam ad Stirpium vſque hiſtoriam. non quòd decere putem, iuſtis magniſque operibus, diſputationes huiuſmodi et controuerſias inſerere: ſed meis ſententijs, quæ mihi veræ adhuc videbuntur, confirmatis, aliæ falſæque ſua ſponte cadent, &c. Magis certè ex noſtra authoritate futurum exiſtimo, ſi ne nominemus quidem Matthiolum, vel alium quenquam ex illis qui viuunt præſertim, & mutare ſententias poſſunt, vbicunque aliquid affectibus noſtris nos dediſſe ſuſpicio oboriri poſſet. Loquamur de rebus ipſis, et contenti ſimus docere: Veritas ipſa per ſe vincet, idque maiori aduerſariorum ignominia, noſtra verò gloria: quàm ſi conuicijs & vanis oſtentationibus cum illis certaremus. Hoc ex philoſophia diſcere poteramus: ſed multò magis religio quam profitemur, idem nobis ſuadet ac perſuadere debet. Quòd circa Toram Valdenſium, mecum ſentis, non parum gaudeo: ſicut etiam quòd in

aconiti genere illo & Filipendulæ, quæ Byzantio miſiſti, non ab‑ errârim. Quod ad Volumina mea de animalibus attinet, & Ico‑ num libros, lubentiſsimè tibi in iis mittendis gratificarer: ſed mit‑ tere ex vrbe noſtra non poſſum: nam Bibliopolæ veſtri libros hîc nunquam ferè accipiunt, nec ſarcinas hîc conficiunt. Si tamen ali‑ cui veſtrum mercatorum aut bibliopolarum mandaueris, vt ſar‑ cinis ſuis Baſileæ aut Franckfordiæ adiungat: efficiam apud Ty‑ pographum, vt non maioris, quàm bibliopolis ſolet, tibi diuen‑ dat: hoc eſt, Hiſtorias omnes, Quadrupedum viuiparorum & oui‑ parorum: Auium ac Piſcium: florenis ſeptem cum quadrante & paulò pluris (bazio fortè) ſi bene memini: & Icones earundem floreno vno, baziis decem. Exemplum particulæ literarum, quas comiti Suuarzeburgico miſiſti, magna cum voluptate ſimul & ad‑ miratione legi: proq; eo, vt quod meis ad Phrygionem literis tan‑ ta diligentia ſatisfeciſti, gratias habeo immortales. Vale, & clariſsimo viro D. Fallopio plurimùm me com‑ menda. Brægelium & Phrygionem ſa‑ luta. Tiguri Maii die 27.

FINIS.

CONRADI GESNERI PHILOSOPHI ET MEDICI TIGVRINI, DE ACONITO PRIMO DIOSCOridis, Aſſeueratio.

ET EIVSDEM,

DE OXYMELITIS ELLEBORATI VTRIVSQVE DESCRIptione & vſu libellus.

OMNIA *partim nunc primùm, partim verò emendatiora et auctiora, per* CASPARVM VVOLPHIVM *Tigurinum Medicum in lucem data.*



ANNO M. D. LXXVII.

RPJCB

INSIGNI DOCTRINA ET ERVDITIONE VIRO, D. GEORGIO CELLARIO, AMPLISSIMAE REIPVB. Tigurinæ Medico, amico veteri & Collegæ, Caſparus Vuolphius Tigurinus S.D.

POSTEAQVAM *vir doctiſsime, grauiſsimorum virorum authoritate factum eſſet, vt communis amici ac præceptoris noſtri D. Conradi Geſneri Epiſtolas Medicinales & Philoſophicas omnes, quotquot amicorum beneficentia hoc tempore habere potui, in lucem darem: viſum eſt hanc Geſneri de Aconito primo Dioſcoridis Aſſeuerationē, et Oxymelitis Elleborati vtriusq; deſcriptionē et vſum, ex relictis eiuſdem ſchedis collectum libellum, ceu corollarium quoddam ijs ſtatim ſubiungere. Atq; vt id facerem confidentius, non nullæ non omnino leues cauſæ, me impulerunt. Ac ante omnia quidem, cum mihi ipſi ego, conſcius eſſem, quantam de Conradi Geſneri Stirpium hiſtoria perficienda atq; publicanda, publico edito ſcripto, viris eruditis, ſpem fecerim: nec præterea ignorarem, quàm difficulter pleriq; eius hiſtoriæ deſiderium ferentes, me meamq; fidem vtcunq; ſuſpectam habeant: operæpretium exiſtimaui, vt edito hoc fragmento, ceu futuri de Stirpibus operis ſpecimine, intelligatur, me neque quicquam quod ad communem vtilitatem conferri debeat ac poßit, quantum in me eſt, reliqui facere, neq; Pollicitationis meæ penitus oblitum eſſe. Quòd verò hucuſque nihil laude dignum, quod quidem publicè extet, in ea præſtiterim, neque negligentia neque laboris impatientia, aut etiam promiſsi tædio factum eſſe exiſtimandum eſt: quin potius, ſi quid hac in parte prætermiſſum, id totum aut operis magnitudini atq; moli, aut negotiorum publicè mihi atq; priuatim perpetuò incumbentium multitudini ac importunitati, quæ vel Ampliß. Magiſtratus noſtri iuſſu, vel liberorum et rei familiaris cauſa neceſſariò ſubeunda, aſcribendum erit. Materiæ quidem (vt negotia mea prolixius non excuſem) congeſtæ ea eſt moles, ac quaſi quoddam chaos, vt viri docti omnes, quotquot deſiderio eius inſpiciundæ me acceſſerint, non ſolùm vbi ſchedarum faſciculos in-*

finitos, & rationem in earum diſpoſitione obſeruandam, mea relatione perdidiciſſent, ſunt vehementer, & cum quodam ſtupore admirati, ſed et laborē in ea exornanda requiri moleſtum, et vni homini inſuperabilem, ſunt palàm confeſſi. Si enim μιᾶς χερὸς μάχη ἀσθενὴς, *vt Poëta loquitur, erit certè in hoc tàm immenſo opere* ἀσθενεστάτη. *Quòd ſi verò commoda aliqua oblata occaſione, aut Mecœnatis alicuius liberalitate, hæc tanti momenti incommoda atq; impedimenta, vtcunq; commodorum compenſatione lenirentur, non dubitarim denuò, quod olim, etſi temerè, nec penitius conſiderata aut perluſtrata materia, etiamnum polliceri, et Deo ita annuente, præſtare: aut ſi hoc minus: alijs idem volentibus aut etiam audentibus, certis conditionibus permittere, & inſuper mea opera promouere. Et hæc quidem vna cauſa eſt, propter quam hiſtoriæ Stirpium fragmentum hoc publicarim: alteram verò occaſionem, hæc ipſa Epiſtolarum Medicinalium præſens editio, obtulit. Geſnerus ad amicos ſcribens, frequenter in eam controuerſiam, quæ illi De Aconito primo Dioſcoridis, cum Excellentiſſimo Matthiolo fuit, abripitur; qua eius exhibitam Aconiti figuram, vel vt fictam, vel vt facultatibus atq; deſcriptioni minus conuenientem; vituperat: interim tamen neque Matthioli Aconitum vſpiam ex profeſſo redarguit, neque contra ſuum, quibus potuiſſet rationibus, diligentius defendit, ſed utrunq; ſe facturum, in ſua Stirpium hiſtoria pollicetur. Ergo cum vtrinq; rationes non omnino vanæ aut infirmæ afferri poſſint, vt quàm iuſtis de cauſis doctiſſimi Matthioli Aconitum reijciat, perſpicuum eſſet, & contrà, quàm verè ſuum Geſnerus aſſerat, ex inchoatæ Stirpium hiſtoriæ, capite triceſimo, hanc copioſam & integram Geſneri, de Aconito in vtranq; partem agitatam diſputationem, Corollarij loco, vti dixi, huc afferre volui. Eadem penitus occaſione, etiam De Oxymelite vtroque libellum hunc, ex diuerſis ſchedis comportatum, exhibeo. Commendat hoc Geſnerus tùm alibi, tùm in præmiſſis epiſtolis, vt* πολύχρηστον: *interea verò nuſpiam (emendatius enim omnia ac multò copioſius hîc, quàm in Dioſcoridis Parabil. leguntur) neq; deſcriptio perfecta, neq; vſus aut vtendi modus publicè extat.*

Hunc verò diuerſiſſimis naturis atque facultatibus concinnatum libellum, vir clariſſime, tibi offerendum dedicandumq́; hoc præcipuè nomine cenſui, vt poſteris quoque ea amicitiæ neceſſitudinisq́; coniunctio, qua domi forisq́; ſemper viximus coniunctiſſimi, innoteſcat.

Vt enim

Vt enim cum adhuc pueri eſſemus, ac ſub communi præceptore D. Ioan. Friſio Græcis Latinisq́; literis operam daremus, quaſi στοργῆ quadam mutuam inter nos fouimus beneuolentiam, ita eandem quoque poſtea, cum ætas iam maturior, ipſæq́; celebriores Galliæ Italiæque Academiæ, ad quas Magiſtratus illuſtriſsimi noſtri liberalitate mittebamur, ad altiora nos excitarent, multis itinerum periculis, ſtudiorumq́; laboribus, confirmauimus. Et hanc ita tandem domum reuerſi vtrinq; vltro citroq́; datis atq; acceptis amoris atq; beneuolentiæ indicijs, coluimus, vt quod inter ὁμοτέχνους admodum rarum eſt, ſanctiſsimè & citra omnem ſimultatem etiamnum conſeruetur. At hoc eſt veræ amicitiæ quaſi ſymbolũ atq; vis, vt quo ea ſit vetuſtior, hoc ſit etiam firmior. Diu enim comprobata fides, amicitiæ vinculũ eſt: & Ariſtotelis quoq; teſtimonio, ad amicitiam plurimum momenti habet vnà educatos atq; æquales eſſe. Cum igitur hæc inter nos notitia atq; neceſsitudo admodum ſit, hoc vtcunq; tenue, mei erga te amoris & beneuolentiæ teſtificandæ genus, gratum acceptumq́; futurum tibi, vel hoc maximè perſuadet, quod & Geſnerum præceptorem, cuius hic eſt poſthumus partus, ſemper plurimi feceris, & rebus iſtis medicis, præſertim quæ ad factitandam medicinam faciunt, ita delectêris, vt in eis non excellere ſolùm, ſed etiam multis tua opera prodeſſe velis. Faxit Deus Opt. Max. vt quæ nobiſcũ adoleuit ac iam etiam conſenuit penè amicitia, nullis maleuolorũ obtrectationibus diſſoluatur: quin potius, quod olim à te Monſpeſſulum mihi perſcriptum memini, Valeant qui inter nos diſsidium volunt.

Vale & me ama. Tiguri. 7. Idus Septemb.

Anno 1577.

CONRADI GESNERI PHILOSOPHI ET MEDICI TIGVRINI,

De Aconito primo Dioſcoridis, Aſſeueratio.

Aconitorum duo genera prima,facit Dioſcorides,lib. de materia medica quarto, capitibus 75. & 76. quorum prius id eſt, quod Pardalianches nominatur: de quo etiam Theophraſtus hiſtoriæ Plantarum libro nono,capite decimo nono,& Plinius lib. 25.cap. 10. & libro 27.cap.2.&3. tractarunt. Poſterius verò,quod Lycoctonum & Cynoctonum appellatur, & à Theophraſto libro nono, capite 16.à Dioſcoride verò capite 76.libri quarti,deſcribitur. Plinius huius ſpeciei non meminit, aſſerentibus Hermolao & Marcello. De omnibus iſtis Aconitis, nos hic prolixius diſputare, aut ſingulorum integram hiſtoriam attexere : vti neque de ijs, quæ poſterior ætas præterea inuenit, non inſtituimus· alterius enim loci atq; ordinis id fuerit:ſed de prima tantùm ſpecie,quæ Pardalianches appellatur:ea, quæ Geſnerus in ſchedis relinquens, nos,quoad eius fieri potuit,ordine quodam,pro futura ſtirpium eius hiſtoria, diſpoſuimus, & in caput triceſimum libri primi coniecimus,huc tantùm afferemus. Quæ verò inſtituti huius noſtri ratio, aut cauſa fuerit,partim id, in dedicatoria opuſculo præfixa epiſtola,eſt explicatum : partim verò vt,cum eiuſmodi planta ſit, de qua viri graues & magni dubitarint, quæ Geſneri fuerit opinio,quaſúe habuerit ad id aſſerendum rationes,omnibus conſtaret. Reliqua huius argumenti, cum alijs, ſi fortè occaſio commodior oblata fuerit aliquando,Deo ita annuente,quoque communicabimus.

FORA, (GESNERO ACONITVM PARDA-*lianches,*) *maior folio magno è monte Generoſo: & minor cum radice ex Valleſia.*



ACONITVM Pardalianches ſecundum Dioſcoridem, folia habet tria quatuorúe, Cyclamino aut cucumeri ſimilia, minora tamen & quadantenus aſpera. Caulis illi eſt dodrantalis, radix Scorpionis caudæ ſi-

milis, alabaſtrorum more nitens. Aconitum folia habet cyclami-
ni (inquit Plinius) aut cucumeris, non plura quàm quatuor ab ra-
dice leniter hirſuta; radicem modicam cammaro ſimilem marino.
quare quidam cammaron appellauêre, alij thelyphonon. Radix
incuruatur paulum Scorpionum modo, quare & Scorpion aliqui
appellauêre. nec defuêre qui myoctonon appellare mallent. Aco-
nitum (vt legimus in libro de Simplicibus ad Paternianum, qui
Galeno attribuitur) herbula eſt quæ folia habet à radice duo vel
tria, ſimilia cucumeri: & thyrſulum non altum, radicem oblon-
gam, & ad imum magis tenuiorem & minutiorem, ſpeciem & co-
lores ad ſimilitudinem Scorpionis puſilli ſine pedibus. Vires ha-
bet vt Thapſia, & valdè venenoſa dicitur. Theliphonum (inquit
Theophraſtus lib. 9. hiſt. plant. cap. 19.) alij Scorpionem appellãt,
habet folium cyclamini, radicem ſimilem Scorpioni: naſcitur gra-
minis modo, & geniculis conſtat, loca amat vmbroſa, Hæc Theo-
phraſtus. Nicandri interpres gramini ſimile eſſe Aconitum dixit,
in quo reprehendendus eſt. Theophraſtus enim non hoc dixit, ſed
naſci vt gramen, nimirum propter genicula, vt hoc ipſum ceu e-
pexegeſin ſubiecerit. Sic etiam illud quod priuatim Aconitum vo-
cat, frumento ſimile eſſe ait, caulibus nimirum geniculatis & no-
doſis, non alia parte. Forma quadam peculiari ſpectatur, nepæ
(ſcorpij) vocatę radix, repreſentat enim ſpeciem ſcorpionis, Theo
phraſt. 9. 14. Strangulator alnemer naſcitur in terris edeilla; (a-
renoſis, Bellunenſis) & eſt amari ſaporis & horridi odoris, Aui-
cen. lib. 4. fen. 6. Hoc Aconitum primum antiquitus deſcriptum,
Toram vulgò dictam à Valdenſibus, vt ſemper & quidem pri-
mus exiſtimaui: ita magis ac magis in ea ſententia cõfirmor. Scio
quidem & alias quaſdam herbas diuerſis in locis Toræ nomine
vocari, vt in Italia alicubi Napellum. Ego autem de Tora ſiue To
xico Valdenſium loquor, quo circa Taurinum & alibi vtuntur:
quamque hic & in noſtro de Lunarijs libello depinximus. Folio
conſtat circinato ferè & aſpero, non hirſuto, vt Plinius malè tran-
ſtulit. quod in alijs quidem plantis eſt ſingulare, in alijs ſunt duo,
tria, quatuor, aut etiam quinque ab vna radice. Habeo folium è Ge-
neroſo monte Inſubriæ magnitudine & figura ferè cucumeris fo-
lij. Vis ei cauſtica euidentiſsima, ſi in vlla alia radice. Flores pro-
fert æſtatis principio Ranunculo, colore & ſpecie ſimiles, & ſemi-
ne etiam ſimili. Radices habet cum recentes ſunt omnium candi-
diſsimas, ſcorpionum præſertim caudæ; in quibuſdam manifeſta
ſpecie. Quòd verò his deſcriptionibus antiquorum apprimè con-
ueniat.

ueniat, & reſpondeat, contra quàm Matthiolus ſentiat, ex ſequentibus argumentis, ex rei ipſius ſubſtantia, foliorum ſcilicet, radicum & facultatum ſimilitudine deductis perſpicuum fiet.

Ac folia quidem Matthiolus reprehendit in ſua Appendice contra me, diſsimilia eſſe, quia Tora vno tantum folio conſtet, albicante, circinnato, per ambitum ſerrato, minimè hirſuto, &c. Quòd verò non vnico tantùm folio Tora conſtet, & propoſitæ paulò antè figuræ, quæ ex ſiccis herbis ſunt expreſſæ, & ipſe liber, quem de Lunarijs, aut rebus noctu lucentibus ſcripſi, atteſtari poſſunt. Figuram quidem maiorem, vno magno folio, multis verò minoribus è monte Generoſo D. Quadrius: minorem verò folijs tribus, Valleſia Caſpar Collinus, miſit. *Alias ſiccas ab his, quo ad foliorum numerum diuerſas, domi meæ, ab amicis Geſnero miſsis, ego ſeruo.*) In libro verò de rebus noctu Lucentibus, non vnico tantùm, ſed tribus ab vna radice Toram, à Kentmanno communicatam, prædicaui, quorum duo extrema minora ſint, & abſque cauliculo, medium verò maius eſſe, & à principio eius è cauliculo enaſci. Quin etiam teſtes ſunt eiuſdem literæ ad me, quibus affirmat, multas habuiſſe ſe plantas tribus & duobus folijs, quas amicis communicarit. Anno 1560. in horto meo enatæ ſunt Toræ vno folio, duobus, idque vel à radice ſtatim, vel nulla à radice, ſed in vno caule duobus vtriſque maiuſculis: nam parua & acuta, quæ in caulibus ſunt, non numero: vel tribus: vel quatuor: vel quinque ad ſummum, omnibus à radice, nullo caule. Cyclamini quoque folia, cui Dioſcorides Aconiti folia confert, Toræ non malè conueniunt. Cyclamino hederæ folium tribuit Dioſcorides, ſed & violæ nigræ: at huic perſimile eſt folium Toræ: ergo & Cyclamini folio conferri poterit: Melius quidem fortè dixiſſet, Cyclamini, hederæúe folio, ſed rotundiore: ſicut in Aſaro etiam & Chelidonio loquutus eſt, ſed ἀκρίβειαν illam non eſt quod requiramus. Nec adeò ineptè Toræ folia, Cyclamini folijs comparantur, cum aliâs, tum ſimpliciter, διὰ τὸν κύκλον τοῦ φύλλου: hunc etiam aliqui Cyclaminum tertium Plinij (quibus etiam ego aſſentior) putarunt. Sic Dioſcorides de Althæa ſcribit, ἀλθαία ἔχει φύλλα περιφερῆ ὥσπερ Κυκλάμινος: & ſunt qui duplicem cyclaminum ſe habere ſcribant, aliam rotundis, aliam oblongioribus folijs. Theophraſtus Aconitum primum ſcilicet, folium ſcribit habere κιχοριώδης, quod intubaceum vertit Gaza. Ego verò κυκλαμινώδης legendum cenſeo. Hirſuta autem folia, aut ſubhirſuta, qualia Matthiolus ſuo appingit Aconito, non iniuria in hac noſtra deſideres. Dioſcorides

ea ὑπότραχα, hoc eſt, vt Marcellus Vergilius tranſtulit, ſubaſpera, quæ verſio etiam ipſi Matthiolo in epiſtolis non improbatur. Sic & Oribaſij interpres aſpera folia Aconiti eſſe aſſerit, vt Cyclamini, &c. cuiuſmodi ſunt omnino Toræ folia. Etſi enim τραχὺ Ruellius aliquoties hirſutum interpretatur cum Plinio, vt in Lycopſi & alibi: tamen vt hirſuta quædam mollia ſunt, ita aſpera quædam non hirſuta. Neque enim idem Græcis δασὺ eſt & τραχὺ, vti Maranta voluit, propterea quod Latini interpretes vtrique ſine diſcrimine vtantur. Eóque magis mirandus eſt doctiſsimus Matthiolus, qui hoc ipſum in Maranta reprehendit, & quidem meritò: capite verò de Aconito, ὑπότραχα ſubhirſuta ipſe quoque tranſtulerit. Plinius quidem & ipſe hirſuta eſſe ſcribit, contrà quàm Græca Dioſcoridis verba ſonent, atque illum, vti & multos alios ex interpretibus, confudiſſe hæc eadem verba, liquet ex ſequenti mox capite, quo Aethiopis folia hirſuta ab radice facit, quæ Græcus Dioſcoridis textus δάσεα λίαν legit: niſi pro ὑπότραχα legerit ὑποδάσεα apud Dioſcoridem. Igitur cum Aconiti Pardalianches folium ſubaſperum Dioſcoridis authoritate eſſe oporteat, fruſtra hirſutiem in Tora Matthiolus requirit, & ſatis eſt ſubaſperum id eſſe, vti reuera eſt.

Radicem ſimiliter Toræ, eo ipſo ab Aconito vero diſsidere affirmat, quòd non ſolùm alabaſtri modo minimè ſplendeat, ſed & adnatis multis referta, veluti naporum radicibus aut Aſphodeli ſit, nec vllam cum ſcorpionis cauda ſimilitudinem habeat. Quibus verbis, duo in Toræ noſtræ radice requirit, radicem æmulam caudæ ſcorpionis & ſplendorem alabaſtri. Vtrumque verò ſi rectè inſpexerint æquiores iudices, non omnino deſiderabunt. Quòd ſi non vſque adeò exquiſitam in ea inuenerint ſimilitudinem, omni ex parte & ad amuſsim congruentem, nihil mirum eſt: vix enim aliqua radix magis eſt σκορπιόμορφος, quàm ἀνθρωπόμορφος: neque ego veteribus credo ἀνθρωπόμορφον aliquam eſſe: quanquam ipſe in Gentiana & alijs radicibus ſimilitudinem quampiam corporis humani viderim: In alijs etiam Aconitis vel Napellis ſimilitudo quædam vel Scillæ vel muris forſitan fuerit. Toræ meæ radices, aliæ alijs magis ſcorpij caudas referunt: aliæ prorſus non, vt Mandragorarum radices non omnes ἀνθρωπόμορφοι ſunt. An quia Scolopendrij folia, Scolopendræ animali ſimilia ſunt, pinget id aliquis pro herba? aut Polypi cirrhos, pro radicibus polypodij? Aconiti huius minoris radix, quam exhibeo, quamqúe Caſpar Collinus ad me miſit, præter bulbu-

los mul-

dos multos, quos habet, appendicem quoq; longiuſculam habet, ſcorpij caudæ æmulam, qua ſe propagare videtur. Galenus in deſcriptione huius Aconiti, radicem oblongam illi tribuit, quæ ad vnum (imum) ſit magis tenuior, minutiorq́; quæq; ſpecie & colore ſimilitudinem ſcorpionis puſilli ſine pedibus præ ſe ferat. vnde cognoſci poteſt paruulam eam radicem eſſe: conſtare autem ex pluribus huiuſmodi, à qua deſcriptione, Toræ figura minimum videtur diſcedere. In eadē ſententia videtur & Nicander fuiſſe, vbi ait,

ἀλλὰ σύγ' ἐκ ποίης ἀβληχρέος ἔγχλοα ῥίζαν
θηρὸς ἰσαζομένην τρίψας ἰσοδέα κέντρῳ Σκορπίου, &c.

Licet enim Scholiaſtes de Scorpiuro herba intelligat: ego tamen coniicio potius de Aconito primo intelligendum eſſe, quod & ſcorpius à ſimilitudine radicis vocatur, & contra ſcorpij venena propinatur, & ἀβληχρὴς ſit, hoc eſt, infirmū & paruum, Scorpiuri verò radix inutilis ſit. Etſi autem earum quas domi meæ in horto alui radices, non ſplendeant alabaſtri modo (recentes enim è montibus euulſas ob locorū diſtantiam, quæ fortè erunt colore ſplendidiore ex loci natura, & naturali ſolo, videre nondū contigit) omniū tamen radices ferè albiſsimæ ſunt, præſertim qui recens nati fuerint bulbi. Radices cum planta, quas Caſparus Collinus miſit, planè candidæ ſunt, recentes & terrę inhærentes: ſiccescentes verò ad ſubrufum colorem abeunt. Cæterum illorum tanta intus eſt albedo, vt alabaſtrum, lac, aut niuem prouocent.

Nunc porrò in quo omnis cardo vertitur, inſpiciendum, vtrum & facultates à veteribus Aconito Pardalianchæ attributæ, Toræ noſtrę quoq; natura inſint. Dioſcorides inquit, Torpeſcūt, vt fama eſt, ſcorpiones admota radice, ſtupentq́; qui rurſum ellebori (albi, Plinius) contactu, excitantur. Oculorū medicamentis leuandi gratia adijcitur. Enecat pātheras, ſues, lupos, & feras omnes, &c. Galenus 6. de Simp. putrefaciendi facultatē obtinere, & lethale eſſe, aſſerit. Ex quibus Dioſcoridis & Galeni verbis, cum frigidā qualitatem Aconito ineſſe debere coniiciant nōnulli, Torā, vtpote calidam, Aconitū Pardalianches eſſe omnino nō poſſe, negant. Ac frigidam quidem facultatē authores prædictos Aconito tribuere, ex eo manifeſtum faciūt, quòd & ſcorpionibus torporē, ſtuporemq́;, vtpote frigiditatis nō exiguæ actionē, inducat, & dolorē oculorū leniat, ex antiquorū præſcripto. Cæterū quantū illi à vero abſint, multis iiſdēq; validiſsimis argumētis euinci poteſt. Aconitū enim calidæ facultatis, minimè autem frigidæ eſſe, docet ipſius deſcriptio, modo allata ex lib. de Simplicibus Galeno attributo, quo in

loco Tapſiæ quaſi vires habere Aconitum, aſſerit. At Thapſia acrem, & vehementer excalfacientem facultatem haber cum humiditate, teſte Galeno. Rurſus Hippocrates in Lib. de locis in homine, inquit, ardores potionibus & ſorbitionibus exoluere oportet, quemadmodum febrem frigefactorio medicamento, vt cammoro. Galenus explicans hoc nomen, dicit κάμμορον, & animal eſt paruæ ſcillæ ſimile, & Aconitum: ab eo, quod illius radices ſunt huius animalis ſimiles: ſed neutrum horum intelligi poteſt: nimirum ſentiens, veriſimile non fieri, calidum calido, aut feruens feruenti extinguendum. Cardanus in Aphoriſmos Hippocratis, acre venenum dicit, acre autem igneum eſt. Mel, quod in Heraclea Ponti ex floribus Aconiti fieri ſcripſit Dioſcorides in Alexipharmacis: idē lib. 2. de Mat. (vbi tamen vnde fiat non exprimit) ait acre eſſe, & olfactu ſternutamenta mouere: ephelides ſanare coſto illitum: cum ſale autem liuores delere. Conſtat præterea reliqua Aconita eſſe calida. Galenus autem, cui quàm Dioſcoridi maior authoritas, eandem cum reliquis vim primum Aconitum habere docet. Hinc veriſimile fit, hoc Aconitum, cuius vis cauſtica eximia eſt (qualem conſtat eſſe Toræ ſanè ocyſsimam) citiſsimè ſtrangulare poſſe inflammatione circa fauces, tanquam angina excitata: remedium etiam Pantheris, idem quod contra anginam aliqui in homines celebrarunt, nempe ex ſtercore humano.

Sed eo ipſo, quod ſepticum Galeno vtrumq; Aconitum prædicetur; καὶ ἐπιτήδειον πρὸς τὸ ἀποσῆψαί τινα ἐκ τοῦ σώματος, ἢ κατὰ τὴν καθέδραν, ſatis apparet calidum id eſſe debere, quādo quæ narcotica ſunt, id certè nunquam præſtiterint. Auicenna author eſt, omnem medicinā putrefactiuam, eſſe ſuperfluę caliditatis, & ſubtilis ſubſtantię: horum proprium eſt Galeno authore, tum eliquare, tum colliquare, ac potiſsimùm carnem tenellam, idq; abſq; dolore, cuius generis auripigmentum, ſandaracha, chryſocolla, dryopteris, pityocampe, & aconitum ſunt. Sic Cedria quoque inter ſeptica à Galeno numeratur, quæ quartum ordinem calidorum videtur attingere, & ſimul partes valdè tenues poſsidet: quare carnes teneras facilè & ſine dolore σήπει: ſicut & alia, quæ eodem gradu calfaciunt, & partium tenuium ſunt, quorum pleraque, vt multo efficaciora quàm Cedria ſunt, ita etiam magis & duriores quoque carnes σήπει. Igitur Aconitum feruidæ eſt naturæ, vt & alia ſeptica. Et licet in Dioſcoride legatur, miſceri ipſum ὀφθαλμικοῖς ἀνωδύνοις δυνάμεσι: non tamen hoc de frigidis, quæ impropriè anodyna ſunt, ſed de calidis, & ſine dolore, aut paruo dolore erodentibus, intelligitur, quæ

quæ ſcilicet ad pterygia, nubeculas & huiuſmodi adhibentur. Galenus ſepticam & deieteriam vim ei tribuit, & idoneam πρὸς τὸ ἀποσῆψαι τινὰ ἐκ τοῦ σώματος (an στόματος: in Muria etiam apud Galenum aliâs σώματος, aliâs στόματος habetur. Sed vix tutus eſt vſus ad os, propter venas: nec ad anum, propter hæmorrhoidas) ἢ κατὰ τὴν καθέδραν (vt ficus). Iam quod Latinè legitur, in Ruellij verſione: Torpeſcunt ſtupentq́; admota radice Scorpij: ne quis decipiatur, quoniam ſtupor & torpor frigidi veneni effectus eſt, Græcè legitur: Radicem eius aiunt admotam ſcorpio, ipſum reſoluere, παραλύειν (occidere, ἀποκτείνειν, Theophraſtus.) At non omnia quæ occidunt, frigida ſunt. Reſoluunt autem quæcunq́; valdè infirmant, tum calida tum frigida. Non rectè igitur Matthiolus vertit, oculorum medicamentis, leuandi doloris gratia adijcitur: nullo enim ſeptico, leuandi doloris cauſa vtimur: ſed anodynis hîc ſine dolore erodentibus ſignificat: erodendi igitur cauſa adijcitur, oculis nõ dolentibus, nullus enim dolor eſt ex nubeculis, &c. ſed in quibus aliquid erodendũ ſit, ſi ſine dolore fiat, melius fiet. Minimum autem doloris inferunt ſeptica, quæ tenuium ſunt partium, quale Aconitum eſt: plurimùm, quæ craſſarum partium, vt metallica, præſertim crudiora. Nam Mercurius ritè præparatus, & ipſe ferè ἀνώδυνος εἶναι & ſine feruore, vt alia ſeptica: ſic & Rapi ſemen dicit miſceri θηριακαῖς ἀνωδύνοις, nec tamen ſequitur, ipſum ἀνώδυνον, aut narcoticum eſſe; vt nonnullis de hoc Aconito videtur. An etiam Cyclaminum, Tithymallum, & huiuſmodi alia, frigida dicemus, quoniam piſcibus torporem inferunt? minimè verò. Lychnide admota, ſcorpiones torpeſcere aiunt, Dioſcoridi ergo frigida erit herba ſecundum Matthiolum: atqui Galenus ſemen eius ſecundo ordine, aut etiam tertio calidum eſſe dicit. *Monſpeſſuli ſcorpionem in phiala vitrea per menſem, aut amplius ſolis muſcis alui, qui ſoli æſtiuo expoſitus, breuiſſimo tempore obijt, Vuolph.* Scorpionis venenum eſſe frigidum, Galenus quarto Methodi ſcripſit. Itaq; veriſimile eſt, ea quæ perimunt ipſum, vel contraria eſſe facultate prædita, nempe valdè calida, vt Raphanus, Naſturtium, Serpillum. &c. vel occulta quadam vi id facere, vt in libro de Theriaca ad Piſonem: Scorpio immobilis redditur & perimitur à Scorpione, ſi ipſum videat. Ioh. Montanus inquit, calida quarto gradu, nõ ſolùm vrere, ſed mortificare etiam & extinguere: qua ratione autem calida extinguunt? ita nimirum vt maior flamma minorem. Eſt igitur narcoticum duplex, aliud nimirum propriè dictum, aliud per accidens, cum propè mortem duxerit. Tertium fortè, quod caroti-

cum eſt, vt vinum validum: ſic apud Vergilium, Somno vinoq; ſepulti. Verùm ſi refrigerat Aconitum, vti pertinaciter perhibent, cur non, vt & reliqua venena frigida, à medicis aliquando vſurpatur: vt Papauer, Mandragora, Hyoſciamus, cicuta, ſolani ſpecies & alia, quæ omnia intra corpus etiam vtiliter ſuo tempore adminiſtrari poſſunt? Nec quicquam momenti hoc argumentum habet, quod conſtanter nobis obijciunt, ſatis eſſe debere ad perſuadendam Aconiti frigiditatē, quòd Dioſcorides Aconiti hiſtoriam permiſcuerit hiſtorijs frigidiſsimarum plantarum, vt Mandragoræ, Solani, Cicutæ, Taxi, &c. nec veriſimile ſit, feruidam plantam, cum tot frigidis admiſcere illū voluiſſe: præſertim cum in pleriſque rationē huius ordinis tenuiſſe omnes animaduertamus. Quaſi non etiam cætera Aconita, quæ nos optimè nouimus, & quę malo noſtro calida eſſe conſtat, ibidem enumerentur. In ſexto libro, de Sardonia tractat inter frigidiſsima venena Dioſcor. ergo illa erit frigida? Quę cum ita ſint, vt certè ſunt, manifeſtum ſit, Toram noſtram, cuius cauſtica facultas eſt, breui (ſicut & flammulæ, Ranunculi) deſinens, aut Aconitum Pardalianches eſſe, aut omnino ſpeciem eius: non autem ſecundi, cuius ſpecies ambas nouimus, omnes inter ſe aliquo modo ſimiles: folijs inciſis, floribus, vt Staphis agriæ, cum aliqua dulcedine pleraſq;, vnde & apes nimirum in Ponti Heraclea è floribus eius mellificant: at primum toto genere ab alijs differt, & ſapore & feruore.

Hanc ſententiam, firmiſsimis rationibus permunitam, quæque naturam ipſam habet ſuffragantem, dum ſequor, quorundam calumniam, & obtrectationē effugere non poſſum. At verò, ne erga eos omnem humanitatem exuendo idem patiar, quod ij qui quum à cane rabioſo morſi, mox et ipſi rabiunt, et in alios homines, tanquam in canes mutati, morſu ſęuiunt, mihi cauebo, ſobrieq; tàm ad maledicta, quàm ad ea, quæ à veritate mihi alieniora videbuntur in eorum ſcriptis, & modeſtè reſpondebo. Non rhetoricabor, dabo hoc magnanimitati meæ, ſi quæ eſt, vt contineam me, prout decet philoſophum, intra artis meæ limites: non ad rhetores confugiam, ſicut qui malam cauſam habent: ἁπλοῦς γὰρ ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας. Nemo inſolenter carpendo gloriam conſequitur: & præterea hęc acerbitas ingeniorum, aut vindictæ cupiditas, parum digna eſt homine Chriſtiano. Vt vt igitur me prę ſeſe contemnant, hoc ipſo tamen apud honeſtos & doctos viros non admodum magnam vel authoritatem, vel admirationem ſuorum laborum concitabunt. Noui & fateor, multa me ignorare, nec omnia videre potuiſſe. At

mihi

mihi hoc cum multis eſt cõmune, et ἀντιστρέφει, qui quoad vixerint, nunquam ne Dioſcoridis quidem omnia ſunt cognituri, nedum alia quę infinita ſunt. Putabam ante annos viginti multò plura me noſſe, quàm nunc putem. Eſt enim pelagus quoddã & abyſſus naturæ, non in mari tantum, ſed omnibus ferè rebus. Fateor ſimiliter multa me ex aliorum ſcriptis eſſe mutuatum & multorum authoritate in libris meis eſſe vſum: at non idcirco, me ipſis aliquid debere puto, quin potius illi mihi, qui ipſos cum Ariſtotele, Plinio, Theophraſto, & aliĳs magnæ authoritatis ſcriptoribus nominauerim. Verùm ſi quibus hoc moleſtũ fuerit, facile quoq; fuerit eorundem nomen, vnà cum ĳs, quæ ab ĳſdem ſum mutuatus, è libris meis expungere. Olitoris cuiuſdam ſententiam me ſequi quidam ſcribit, quod valdè miror. Sæpe enim etiam eſt olitor valdè opportuna loquutus: ego etiam à mulierculis diſcere non erubeſco: & olitores ferè his in rebus ipſis medicis ſunt doctiores. Quòd ſi olitoris nomine de Aloyſio Anguillara Romano, rei herbariæ peritiſsimo viro, intelligat ille: iniuriam illi facit. Libellus enim meus de Lunariĳs 18. circiter menſibus antea æditus eſt, priuſquam vlla cum Anguillara familiaritas mihi interceſſerit. Sin de alio quopiam, conĳcere non poſſum de quo ſentiat. Hoc ingenuè affirmo me à puero rei herbariæ ſtudioſum fuiſſe, & cùm alias quaſdã de ſtirpibus ſententias ab aliĳs non accepiſſe, tùm illam circa Toram, quòd Aconitum ſit. Argumento eſt liber noſter trilinguis ante 16. annos editus: à quo tempore hactenus nemo de Tora quicquam ſcripſit, præter me, in lupi hiſtoria, & in libello de lunariĳs. Sed neque ante illud tempus quiſquam vel noſtra vel patrum memoria, præter Hermolaũ Barbarum, & verba paucisſima à barbaris quibuſdam medicis relicta. Primus ego, quod ſciam, & ſolus Toram Aconitum hactenus feci, eamq; ſententiã meam & olim & hactenus multis communicaui, necdum mutare poſſum, collatis inter ſe omnibus Veterum ac recentiorum ſcriptis. Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non reſpondeat ſtatim euentus, non idcirco ſtatim mutandum, inquit Hipp. in Aphoriſ. quod dictũ videtur etiam ſententiĳs & coniecturis cum ratione ſuſceptis conuenire: vt non ſtatim deponantur, ſi quid leue ſit quod obſtat: cum multæ ſint cauſæ, cur parua quædam diſcrimina accidant. Quare nec ego multis & magnis de cauſis, ſuſceptam meam de Aconito primo opinionem facile depoſuero. Non tamen adeò ſum pertinax, quin demonſtrata herba alia, quæ magis congruat deſcriptioni ſimul & viribus, ſententiam ſim mutaturus.

Noui alias quoq; plantas Toræ nomine aut Aconiti primi ap-

pellatas, quæ facultate quidem parum ab hac noſtra, ſpecie verò & forma plurimum differunt. In monte Caluino propè Bergomum (qui celebris eſt in re herbaria) creſcit herba noxia, quam Toram vocant, folio rotundo (non ſerrato) vnico, duro, craſſo, cum caule ſpithamiæo, recto, radicibus albis, pinguibus, quatuor aut quinq; ab vno capite prodeuntibus, vt in Elleboro, florem non vidit Guilhelmus Gratarolus, qui de ea mihi eſt locutus. ¶ Theophraſtus hiſtor. 8. 8. plantam Hæmodorum deſcribit, quæ plantas occidit, vt Tora animalia. Videtur autem Orobanche Dioſcoridis mihi, vt & Dodonæo: de qua plura ſuo loco. Fortè Thora Italis dicitur. ¶ Caſparus Gabriel Ferrariæ, oſtendit Aconitum primum, folio Cucumeris, radice lucida albicante, vermis inſtar inflexa, & flore (ſi benè memini) cucullato. Teſtabatur ſe expertum, admota ea ſtatim mortuum fuiſſe ſcorpionem. ¶ Toræ cognata eſt etiam ea, quam Gaſparus Collinus reperit. Bulbus alpinus quidam, radici bulbi exigui, fibris albis, longis, folijs ſubrotundis, longiuſculis tamen, hirſutis, guſtu calidis. Reperta eſt in Gemmi monte Valleſiæ. ¶ Nerium Thelyphonum eſſe, vel ex eo credi poteſt, quod de eius Veneno ſcribunt Petrus de Abano & Santes Ardoynus, nempe calidiſsimam eſſe in tertio gradu, ſiccam in ſecundo, valde reſoluere, mordicare, & incidere, cum venenoſa proprietate, præſertim foliorum eius, aut ſucci eius, aut florum, fructuúmue, aut cornuum eius: adeò vt bibere aquam in qua (vel iuxta quam) naſcitur oleander, aut ab ipſa obumbratur, in eáue balneari: aut bibere de aqua calefacta cum ipſo: aut balneari in aqua balnei calefacta cum eo, aut edere aliquid aſſatum in veru ex eo facto: ac diu morari & præſertim dormire ſub vmbra eius, inducat accidentia grauiſsima, vt anguſtiam vehementem, rugitum & inflationem ventris, dolorem eiuſdem ac fluxum, æſtuationem, ſyncopen, & mortem niſi ſuccurratur. Interficit homines & animalia teſte Rhaſi. ¶ Apud Celtas aiunt (verba ſunt Ariſtotelis in Mirabilibus) naſci pharmacum, quod Xenicum ab ipſis appelletur, mira corrumpendi celeritate: quamobrem Venatores cum ceruum aut aliam feram, tinctis eo ſagittis percuſſerint, mox accurrere, et carnem circa vulnus excindere, ne venenum ſubeat. Eo enim infectum corpus putreſceret, & venenoſum in cibo foret. Inuentū autem aiunt huius antipharmacū, corticem quercus: &c. Hæc Ariſtoteles. Conuenire autem ea omnibus modis cum Aconito, Tora, Limeo, facillimè animaduertet quiſquis præcedentia legerit. ¶ Limeum herba appellatur à Gallis, qua ſagittas in ve-

natu tingunt medicamento, quod uenenum ceruarium uocant, etc. de quo Plinius plura. Genus Aconiti hoc eſſe apparet, primùm inde quòd Gallos eo ſagittas tingere ſcribit, (quanquam ex Sardoo quoque Ranunculo toxicum fiat, & inter Ranunculi nomina mileon legatur apud Apuleium) deinde quòd euacuandi per aluum vim habet, quam & Aconitum habet.

Verùm hæc animorum diſcrepantia & ſententiarum varietas ex ipſius Dioſcoridis, atque etiam nonnihil Theophraſti in deſcribendis huius plantæ notis et partibus omnibus, magna ex parte enata eſt. Dioſcorides quidem videtur Aconitum primum non vidiſſe, quoniam de flore nihil prorſus dicit, cum tamen caulis meminerit: cum herbæ tam mirabilis, tam raræ, florem quoque non præteritum oportuiſſet. Aut igitur illum non vidit, procul enim in paucis & altibus montibus naſcitur: quo niſi perueneris tempeſtiuè, flos breui nimirum decidit, nec amplius toto anno ſpectatur: ſemen etiam breui opinor decidit: & caulis ἐπιθαμιαῖος relinquitur. Ego menſe Iunio inuenire me memini caule nudo, ſine flore, ſine ſemine: quo tempore ſi deſcripſiſſem, omnino ſicut Dioſcorides deſcripſiſſem. An vel mutilus eſt Dioſcoridis locus cum inquit, radicem æmulari caudam ſcorpij, & alabaſtri modo ſplendere? hic enim ſplendor floris potius fuerit, qui vt Ranunculo ſpecie ſimilis eſt, ita ni fallor etiam ſplendore tanquam vernice illitus, vt noſtri loquuntur. Vel Dioſcorides feſtinatione, obliuionéue lapſus eſt? Vel ex auditu tantùm ſcripſit? Sed Theophraſtus quoque floris non meminit, qui neque caulis omnino. Quòd ſi vera ſunt (inquit idem) quæ de ſcorpione narrantur, iam & reliqua eiuſmodi haud quaquam incredibilia dici debent. At ſi herbam norant, ſi ad manum habebant, tum ipſe, tum Dioſcorides, cur non experiebantur? Nobis in Heluetia ſcorpiones deſunt: Tota procul vltra Lemanum in alpibus naſcitur, vbi itidem ſcorpij non ſunt. Experiantur Itali & alij, quibus neutrum deeſt. Mihi veriſimile non fit. Multa enim huiuſmodi agyrtæ iactant, multa vulgus fabulatur. Solo ſcilicet contactu (Theophraſtus dicit inſperſione, pulueris nimirum hoc fieri, quod veriſimilius eſt, ἐάν τις καταπάσῃ) herbæ alicuius vel mori, vel torpere aliquod animal: vt ſerpentes aliquas herbas circumpoſitas, non exire.

CONRADI GESNERI DE ACONITO PRIMO MATTHIOLI,

Conradi Geſneri Aſſeueratio.

NVnc porrò, his omiſsis, quid de aliorum Aconitis, quæ illi pro primo Dioſcoridis venditant, ſentiendum, paucis agamus. Quæ doctiſsimi Matthioli de hoc genere Aconiti ſit ſententia, norunt omnes. Ego quæ in ea deſiderem aliâs quoque dixi ingenuè. Etenim cum fides eius quidem minimè, multa verò mihi eſſent in eius propoſita figura ſuſpecta, teſtes requiſiui, duos aut tres homines doctos, vt horum doctrina & iudicio Aconiti hiſtoria omnibus innoteſceret. Si enim verum hoc Aconitum eſt, et probè pictum: aliorum iudicio nihil illi decedet, ſed confirmabitur authoritas: ſin falſum ſit, refert medicorum & vitæ, vt agnoſcatur, ne lateat incautos tantum venenum. Veritatis noſcendæ ſtudio, quæ ſcripſeram, ita me Deus amet, ille inuidiam virtutis, iniuriam, impietatem vocat. Præſagiebat autem mihi animus, futurum omnino, quod factum eſt, hoc eſt, acriter picturam ſuam ipſum defenſurum, tanquam non ὄναρ ſed ὕπαρ: propterea** doctorum hominum teſtimonia intercedere cupiebam: nō ſolùm eſſe aliquam hanc quā pingit herbam, ſed etiam Aconitum eſſe. Nam meam quidem Toram qualem ego pingo, extare in rerum natura ipſe agnoſcit, cum deſcribit: An verò ſit Aconitum, viri hac in re doctiſsimi iudicent, ſuis ac meis ſcriptis collatis. Reprehendi aliâs, alios quoq; non obſcuros ſcriptores. Tragum, quòd Aconitum Lycoctonum intra corpus ſumi iuberet, Aconitum eſſe ignorans: ſed gratias pro ea admonitione egit, & mutauit. Admonui Fuchſium, Solani genus eſſe, non Aconitum quod ipſe pinxiſſet: hic quoq; boni conſuluit. Ab alijs item bonis & doctis viris, cum in eadem materia diſſentio, nullus eorum in me tanta immodeſtia eſt inuectus. Solus Matthiolus, quum non tripodem eum facio, non re, ſed conuicijs eſt irritatus. Neq; enim quidquam admentiens pinxi, ſed plantam imitatus naturalem: quales apud me aliquot ſeruo, quaſq; periculo meo deguſtaui. Viuunt verò & noſtri montes altiores certè Italicis, & amici qui me ſunt comitati. A Fallopio & alijs accepi qualis eſt: Mentiri malignum eſt: nec ego eum mentitum prius, ſed per ſimplicitatem fortè deceptum ſum ſuſpicatus. Scio enim, quod & ipſe fatetur, plantas aliquas ſe aliunde accepiſſe. ſed neq; hoc tamen abſolutè ſcripſi, ipſe verò abſolutè mentiri me ſcribit. Cæterum quas dubitandi rationes habuerim, nunc proferam.

Primò omnium in totius plantæ figura, illam ἀκρίβειαν, & plus ſatis

ſatis induſtriam Dioſcoridis deſcriptionis imitationem. Nam cum ipſe quoq; Matthiolus textum deprauatum & mutilum agnoſcat, proptereaq; & floris & ſeminis, nullam faciat mentionem, caulem verò dodrantalem tantùm, ad eundem omnino modum, ſuam effingit figuram. Cur cauli, ſi illum inuenit, nil prorſus appingit? nam vt, cum ipſe inuenit, defloruerit, aliquid tamen fructus aut vaſculi aut calicis reſiduum eſſe debebat, in talibus quidem caulibus, qualem ille appingit. Nec volo quicquam hoc loco de hirſutie referre, quam Aconiti primi folijs Matthiolus tribuit, & appingit, contrà quàm Dioſcorides ſenſerit, & ipſe inter Δασὺ & Τραχὺ intereſſe non neſcit. De eo ſupra ſatis multa diximus, & etiam multò plura in epiſtolis noſtris, ad aduerſarios ſcriptis, legerentur. Plinius, contrà quàm authoribus Græcis bonis vſitata ſit conſuetudo, τραχία hirſuta vertit. Tora mea τραχία καὶ σκληρὰ τὰ φύλλα ἔχει, ἀλλ' οὐ δασέα, id eſt, aſpera duraq; non hirſuta habet: nam & recentia & in ſua planta rigent. In radice præterea errorem commiſſum, ideo exiſtimarim, quod ſcorpionis potius caudam, quàm radicis imaginem repreſentet. Cum enim ego mihi perſuadeam, nullam eſſe in genere herbarum plantam viuam (quæ enim aridæ ſunt, ijs plerunque decidere ſolent) quæ fibris ad eius nutritionem carere poſſit, adduci non poſſum, vt aut naturalem huius Aconiti radicem, aut ex arida, cui fibræ deciderint, figuram eſſe depictam, aut pictoris incuria aut negligentia prætermiſſas, exiſtimem. Paradoxum ſed hoc videbitur fortaſſe alicui. At vt ipſe καθ' ὅλου hoc ſtatuerem, (de plantis autem loquor, quæ intra terram naſcuntur, quamuis fortè etiam fœtibus in vtero omnibus, quia non per os aluntur, & forinſecus alimentum attrahere oporteat, fibræ fuerint) mihi perſuaſerunt, cùm ſenſus, tum experientia. Plurimas ego effodi, ſed nunquam reperiſſe memini. Fibris ſit alimenti apprehenſio, & comprehendiſſe tum dicuntur herbæ, victuræq; tum demum ſperantur, cum fibras aliquas emiſerint. Qui radicum differentias prodiderunt, vt Theophraſtus, qui in generales & particulares ex Dioſcoride collegerunt, nullarum ſine fibris mentionem faciunt. Huius rei locupletiſsimus opinor teſtis eſt Theophraſtus. Is Hiſtoriæ 1.10. Cæteræ radices (inquit) radiculas de ſuo latere mittunt: ſcillarum verò & item cæparum nihil prorſus mittunt, ſed quæ per medium dependent (fibræ) radices in eis eſſe videntur, &c. Græcè legitur αἱ μὲν ἄλλαι (ῥίζαι) κατὰ τὸ πλάγιον ἀφιᾶσι ῥίζας, &c. radices enim laterales nominat, quas nos fibras dicimus, veluti omnibus communes (bulbaceis exceptis:) At Aconitum

non eſt bulbaceum, eas igitur habeto. Hoc ita ſe habere, ſi exactius, non vulgi iudicio, res & Theophraſti verba tum hic, tum alibi conſyderentur, liquidò patebit. Quæ ſi non ſufficiant, date mihi radicem aliquam fibris deſtitutam, vt αὐτοψίᾳ victus palinodiam canam. Tubera & ſimilia, (de quibus Theophraſtus loco citato) non radices, ſed καρποὶ potius ei ſunt. Fungos ego Calend. Septemb. aliquot, ſeptem aut octo erui, & inueni minimas quaſdam fibras, quæ terræ pro radice hærent ex ipſorum ſubſtantia, emittere: præſertim ex infima illa appendicula, quæ ſtipitis baſi minor acutiorque ſubeſt. Quanquam aliæ etiam fibræ quædam fungorum baſibus adhærent, à muſco, aliiſue herbis proximis ita eis adiunctæ, vt enatæ ex ipſis videri queant, niſi quis diligentiſsimè obſeruet; ſicut nos quoque fecimus. Aſphodeli radices ferè carent fibris: ſed glandes ſingulæ in ſingulas fibras exeunt. Sicut in Filipendulis & in Bulbocaſtano. Antitoram ſine fibris eſſe ait, cum tamen eam cum fibris pingat, quemadmodum & ophiogloſſum ſerpentinam dictam & Saxiphragiam montanam. Traſum quoque fibris non caret. Nec Aloës radix fibris deſtituitur (viridem enim domi habeo) licet Dioſcorides ſcribat: ἐστὶ δὲ μονόῤῥιζος, ὥσπερ πάσσαλον ἔχουσα τὴν ῥίζαν. Aquaticæ quædam herbæ, quæ in aquis totæ merguntur, vt Algæ vel Ampeli, non videntur habere radices propriè dictas, ſed fibras tantùm, ſeu capillamenta, eaſque ſimpliciſsimas, indiuiſas, è geniculis caulium per interualla prodeuntes, ita vt genicula illa ferè radicum loco ſint. Ad has excipiendas, vti ſupra propoſuimus, terreſtres radices omnes fibratas eſſe dicamus: aquaticas non item; quoniam earum quædam nihil quàm fibræ ſunt; id quod ante nos, niſi fallor, nemo tradidit. Concedam igitur herbam ſiccam qualem Matthiolus pinxit, ab eodem ſeruari: radicem verò ipſam terræ hærentem carere fibris, neque hanc neque aliam vllam radicem propriè dictam, conceſſero: & vt maximè talis ſit qualis pingitur, ſiue natura, ſiue ſiccitate, ſiue etiam arte aliqua; Aconitum tamen eſſe et venenoſam herbam credere nõ poſſum. Doronici verò ſpeciem eſſe tantùm non affirmo. Ex guſtu eius iudicium fieri poſſet: At veneni eius, & qualitatis deleteriæ, neque tot tantaſque experientias neque hiſtorias habet, ſicut nos Toræ noſtræ. Scio multas eſſe venenatiſsimas herbas, non omnes tamen Aconitum appellandas. Sed ipſa peculiaris Toræ veneni proprietas ad Aconito peculiariter attributum veneficium præ omnibus accedit, ſanguinis videlicet auiditas, vnde & in genitalibus occidit. Nolo autem plura de veneni huius qualitate agere, quando

frigidum

frigidum non eſſe, vti neq; Salamandræ, contra Plinium & Matthiolum, & pauló ante, & iam olim ſatis defendi in quadrupedibus Ouiparis.

Ad extremum etiam hoc addendum puto, quod quidam ex ijs quos teſtes adduci, haud obſcuri viri, ad me de eius Aconito ſic ſcribunt. Aconitum Matthioli noſtri hic reperi. Radix è terra exempta alabaſtri modo ſplendet, & caudam ſcorpij (vt vides) imitatur. Sicca qualis ſit apparet. Primo vere colligitur, atque tunc tanquam ὄρχις emittit caulem floribus purpureis. Is exeunte Aprili perit. Itaqne radix amplius reperiri nequit. De folijs nihil dum certi potui cognoſcere. Nam ſuperſtitioſi ante Georgij diem radicem effodiunt, & deſtillato illius, magno ſanè ſucceſſu, vt ipſe de fide dignis hominibus cognoui, contra epilepſiam vtuntur, &c. Hæc nobis vulgatiſsima eſt herba, nec quicquam ei cum Matthioli Aconito commune. Hanc certè ſi vobis teſtibus oſtendit Matthiolus, aliã oſtendit quàm pinxit, nec erat, quòd illã inter theſauros ſuos aſſeruaret, abundante pleriſq; in locis herba: nec eſt quòd folia in illa quiſquam requirat, nulla enim habet. Eſt autem omnino illa, quam ego Aegolethri nomine deſcripſi in boue, & alio nomine Squammaria dicitur. Saporem & vires ὀρχέων habet, ſicut & Aliſmata dicta. Cæterum quò hæc controuerſia à quouis docto melius ac planius dijudicari poſsit, in medium afferendæ fuiſſent integræ Matthioli & Norembergenſium Medicorum ad Geſnerum epiſtolæ, quibus illi rem ſummis capitibus attingunt, & rationibus quibus poſſunt, firmiſsimè ſuam ſententiam ſtabiliunt: tũ etiam ipſius Geſneri per epiſtolas reſponſionem. At quia de eorum voluntate non conſtabat, prætermiſſæ ſunt.

DE ACONITO PRIMO MARANTAE,

Conradi Geſneri ἀπόφασις.

DOronicum vulgò dictum, Aconitum Pardalianches quidam magno applauſu eſſe oſtendũt; è quorum numero eſt Bartholomæus Maranta, his ferè rationibus nixus. Sunt, inquit, Doronici folia ſatis Cyclamino ſimilia, ſubhirſuta, caulem habet palmo altum, florem in eo (quod omittitur tum à Dioſcoride tum à Theophraſto) luteum, Anthemidis figura; radix tantam habet cum ſcorpione ſimilitudinem, vt exanimatus ſcorpius abſque dubio appareat: item candida eſt & ſplendens. Accedunt & notæ, quas illi

DORONICVM SCORPIOIDES,

Aconitum Marantæ.



præter has aſsignat Theophraſtus, Radicem, inquit, eſſe genicu-latam, atque graminis modo naſci, locosq́; vmbroſos amare: quæ omnia ita apprimè conueniunt, vt ne minimum quidem ſit quod repugnet, &c. Et pauló poſt. Neque repugnabit, quod Doroni-cum ad cordis palpitationem ſyncopemq́; : item ad venenatorum

ictus

ictus per intus ſuſceptionem exhibeatur: Aconitum verò inter venena recenſeatur. Dioſcorides enim Pardalianchen hominibus venenum non ſtatuit, ſed tantummodo pantheris, ſuibus, lupis, feriſq; omnibus. Quod intrò non exhibeat, fortè eſt, quia huius rei periculum nondũ fecerat. Verùm quod tutò intrò exhiberi poſsit, Theophraſtus teſtatur, qui illud potum contra ſcorpionum ictus proficere tradit. Nec Galeni obſtabit authoritas, qui ſepticum cum ſit, in potu fugiendum monet: fieri enim poteſt vt Galenus hoc, non tam quod de eo periculũ fecerit, perſuadeat, quàm vt in tutò rem poneret, quum quantitate tantùm ſepticam naturam exerat. Et reliqua quæ in eandem ſententiam affert. In eadem ſententia eſt & Vlyſſes Aldroandus, vti literis binis ad me ſcriptis ſignificat, his verbis: Ea ſum mente, quòd verum Aconitum Pardalianches, ſit quædam planta, quæ Doronicum ab Arabibus appellatur. Folia habet cyclamini aut cucumeris, tria aut quatuor, minora, caulem palmum altum, radicem, quæ optimè caudam ſcorpij imitatur, & maximè ad inſtar cryſtalli pellucet: de hoc ad te ſcribo, vt conſideres, fortè ſententiam mutabis, &c. Et rurſus in alia epiſtola: Confirmor in hac ſententia quotidie, & mihi maximè arridet opinio excellentiſsimi Marantæ. Multas enim Doronici ſpecies obſeruaui, videlicet ſex, vt in meo Indice videbis, &c. Matthiolus quoque in vltima ſuorum in Dioſcoridem Commentariorum editione, Doronicum, quod in epiſtola ad Marantam Aconito minimè adnumerandum cenſuit, nunc ex Aconiti ſpeciebus eſſe aſſerit, cuius argumenta apud ipſum, qui volet videre, poterit. Ego verò Doronicum ſiue veterum, ſiue vulgò dictum, quod nunc in horto meo floret (ſi fortè inter ſe differunt, quod in præſentia non diſcutiemus) ab omni veneno alienum ac prorſus ſalutare medicamentum eſſe ſentio. Eſt autem Doronici ſpecies, illa etiam herba, quam inter alias depictam excellentiſsimus Montheſaurus ad me miſit, radice per interualla mirificè, ſcorpios complures referente, qualis in appicta figura cernere eſt. Si quicquam veneni in eo eſſet, vel homini, vel vt Maranta vult, non homini, ſed cæteris animalibus, quomodo hoc hactenus ſemper latuiſſet? cum reliquorum venenorum, de quibus veteres ſcripſerũt vis, hodieq; vel vulgo, vel doctis ſaltem etiamnum conſtet: at Doronici venenum quis nouit? Nemo. Capræ ſylueſtres eo in cibis delectantur: vnde etiã nomen apud Heluetios inuenit, Gemſenwurtz. Tu ipſe Maranta in quouis animali eius periculũ facito. Quod nam aliud venenum, cæteris ferè omnibus animalibus venenum, homine ex-

cepto? At Aconitum omnibus aut pleriſq; eſt. Doronicum & odore aromatico & ſapore dulciſsimo, & hominẽ & quoduis animal ad ſe edendum allexerit: quod vix de alio veneno dixerim. Ferè enim omnia aut odore aut ſapore ſtatim ſe produnt. Si ſepticũ eſt, niſi Galenus mentitur, quomodo non homini quoq; venenũ erit? Cætera quidem, quæ omnes Aconita eſſe cõcedunt, ſeptica eſſe manifeſtum eſt: at Aconitum primum, niſi vim eandem veneni cõmunẽ habet, quemadmodum Galenus docet, nihil aliud cum Aconitis ei cõmune fuerit. Nam ſpecie formaq; prorſus diſcrepat: quare ne Aconiti quidem nomine Theophraſtus dignatur. Maranta quoq; ſeptica quarto ordine calida ſcribit, Doronicũ verò tertio tantùm ordine calidum fatetur. Ego Doronici radices dulciſsimas & ſalubres, ſæpe non paucas ingeſsi, ſine incõmodo, quomodo credam aliquod venenum eis ineſſe? Si folia eſſent τραχέα, id eſt, aſpera, nihil fortè obſtaret, quo minus ſit Aconitum Pardalianches, tam affabrè videntur omnia reſpondere deſcriptioni: quanquam Dioſcorides radicem non ſcorpium ipſum, ſed eius caudam aſsimulare tradat, & ſplendere, non pellucere doceat. At rurſus cum de eius veneno non conſtet inter omnes, mihiq; non modò non venenoſa, verùm dulcis & ſalubris quoq; ſit, non Aconitis mea opinione adnumerari poterit. Doronici, inquies fortè ℥. iiij. occidunt canẽ, ergo abſtinendum homini, & reijciendum. Mala eſt conſequutio. Nam ſi ℥. j. ſalutaris eſt homini, vt experimur ſubinde, nec vllo modo lædit, &c. non opus eſt ea quantitate exhibere, quod lędere poſsit: vt neq; ſi nitri libra vna ſalutaris eſt homini, quatuor libræ nocent, ideo ceu noxium damnandum eſt. Croci ℈. j. aut ſemis prodeſt homini. ℥. ij. officiunt, an ideo abijciemus ex pharmacopolijs, & neq; corroborare nec aliter prodeſſe clamabimus? Dẽtur cani ℥ iiij. croci, & videamus quomodo afficiatur. Quin potius videtur & Aconiti & Toræ antidotũ eſſe, διὰ τὸ τὴν τόραν νικᾶν ſic dictum. Mecũ facit & Anguillara in Simplicium examine, quo in loco multa Doronico deeſſe ſcribit, quæ à Dioſcor. & Theophraſto cõmemorantur. Quod verò maximũ eſt, non tribus aut quatuor folijs hoc conſtat: quin proferre vidit Aldroandus 30. in vna planta folia: nec caret multitudine foliorum & Matthioli figura. Si cui hęc non ſatiſfaciant, legat Matthioli epiſtolam ad Marantam ſcriptam, in qua non tam Marantæ argumenta diluit, quàm alia etiam cõtra ipſum facientia profert, vtcunq; poſtea ſententiã ſuam mutauerit. Et nos quoque fortè plura addemus his in ipſius Doronici hiſtoria.

DE ACONITO PRIMO QVERCETANI,

Conradi Geſneri Aſſeueratio.



Miſit hanc herbam pro Aconito Euſtathius Quercetanus anno 1555. in fine Aprilis talem tantamq;. Radice breui, craſſa, pollicari, in mucronem modicè inflexum ceu caudã ſcorpij deſinente, molli & fungoſa vt videbatur intuenti, multis radiculis fibrata: caule dodrantali, lanuginoſo, folijs mollibus, ceu maluæ vel althææ, figura ceu xanthij vel potius cucumeris aſinini, inſipidis, ferè ſubdulcibus. Mihi non aconitũ, nec vlla herba noxia, ex miti ſapore videtur. Calida & ſicca in 2. gradu. Confer cũ Doronico Romano.

IN horto habet Martinus Benedictus Aconiti ſpeciem Bernæ, quæ floret Iunio, flore ſatis magno, luteo & aperto, ferè vt Buphthalmus verus, raris & breuibus in ambitu foliolis circiter quatuor in ſummo caule veluti per corymbum digeſtis. Omnino natura, vis & ſapor accedit ad Doronicum. Radix mirè præ ſe fert ſcorpium quendam aut cancrum, inflexa parte vna gibboſa, altera caua, in caudam gracilem incuruam, niſi fallor, deſinit, brachia vtrinque ferè quaterna. Caulis ſeſquicubito longior. Matthiolus, niſi fallor, hanc aut ſimilem, pro Aconito Theophraſti aut Plinij depingit. Scribit autem Matthiolus hæc ferè. Hoc genus Plinij Aconitum eſſe cenſeo. Quippe, is Cammaro marino ſui Aconiti radicem ſimilem reddidit, cuius effigiem hæc haud parum imitatur. Doronicum autem inter Aconita recenſendum eſſe, authoritate & experimento probat idem Matthiolus: eo enim canes extingui, ſi radices deuorarint. At Doronicum non venenoſum eſſe, niſi forte quantitate, vt crocus, & alia multa, tum hîc, tum in epiſtolis ad Matthiolum, aliosq; nonnullos ſcriptis, abundè oſtenſum puto. Nos Doronici quoque ſpeciem eſſe, in peculiari Doronici hiſtoria dicemus, Deo annuente.

DE ACONITO PRIMO FVCHSII

Conradi Geſneri aſſeueratio.

QVam Fuchſius pro Aconito primo plantam deſcripſerit, nunc quoque recenſeamus. Fuchſius allata ex Dioſcoride Aconiti Pardalianches deſcriptione, eam vuæ verſæ à ſe depictæ his verbis accommodat. Habet (inquit) tria aut quatuor folia, eaque cyclamini ſpecie: caulem palmi altitudine, & radicem incuruam, ſcorpionum caudæ ſimilem, alabaſtrique modo ſplendentem. Quibus etiam accedit, quòd manuſcriptus & vetuſtiſsimus herbarius, planiſsimè eam herbam quam hic damus, pro Aconito pingat. Germanica etiam nomenclatura ſatis indicat, hanc herbam ob ſuam facultatem pernicioſam, eſſe Aconiti ſpeciem. Et rurſus in epiſtola quadam ad me ſcripta, idem his verbis confirmat. Cur Solanum, quod tu appellas ſylueſtre tetraphyllon, inter Aconita recenſeam, nulla alia ratio eſt, quàm quòd Dioſcorides, non ſolùm calidi, ſed & frigidi Aconiti, quod ſcorpijs torporem infert, mentionem faciat. Non poteſt autem

torpor

torpor ille, niſi frigiditatis eſſe comes. Galenus calidum tantùm, vt alij quoque, cognouiſſe videtur, &c. Fuchsij opinionem ſequutus eſt Cordus quoque, qui id Aconitum monococcum vocat. Huic ſententiæ fauet Hugo Solerius, in eo plantarum & Commentariorum in Theophraſtũ ſpecimine, quod ad me olim tranſmiſit. Aſcribam autem eius verba, vt quæ ſit eius ſententia, & quibus argumentis id ſtatuat, cognoſcatur. De herba Paris quid dicam, inquit, ambigi poteſt, &c. Attamen multa occurrunt, quæ me adducunt, vt exiſtimem, illam ipſam Dioſcoridei Pardalianchis ſpeciem eſſe, etſi externa facie, ab eo Aconito, quod Matthiolus appinxit, haud mediocriter diſsideat. Eius hiſtoriam vtcunque adumbrauit Matthiolus, quamuis ſatis negligenter. Quam ob cauſam nos ex noſtro opere Simplicium hiſtoriæ dicato, eandem mutuabimur, & hic adſcribemus, quò ſtudioſis innoteſcat, non pauca fuiſſe omiſſa à Matthiolo, quæ eius cognitionem mirè illuſtrent, aut aliter ab eo deſcripta, quàm plantæ facies poſtulet. Pardalianches itaque Aconitum Fuchsij, Matthiolo (poſt eum qui additiones attexuit Pandectario) herba Paris nominatum, radice nititur lònga, in terræ ſuperficie reptante, tenuioris iunci craſsitudine, graminis modo nodoſa, tuberibúſque multis inæquali, alabaſtri modo (ob corticem ex ſubflauo nigricantem) ſplendente, ſuccoſa, odore tetro, guſtu abominando. Cauliculum emittit oblongum, teretem, dodrante altiorem, rectum iunci craſsitudine, & quaſi in cacumine folia quaterna (interdum tamen quina ſenâue, ſed id rariſsimè) crucis imaginem referentia, Cucumeris ſylueſtris, aut Cyclamini folijs ſimilia, ſubaſpera, infernè venoſa, in rotunditate acuta, cacumen autem ipſum veſtiunt octo foliola, quatuor maiora, minora quatuor, & quaſi capillatia. Eis primò inſidet floſculus luteus, ſtellatus, aſpectu pulcher, cui ſuccedit fructus ſiue globulus, acino vuæ ſimilis, magnitudine grandioris auellanæ, primò viridis, poſt maturitatem niger, ſuccoſus, multis granulis, quaſi vinaceis coriandri magnitudine plenus. Floret in calidioribus citiùs, primo vere nimirum: in montanis autem æſtate ineunte. Naſcitur vbique in ſyluis, vmbroſis admodum locis, & maxima ex parte ad Septemtriones vergentibus, nec non in planis, pratorum ſepibus & ſyluis cæduis. Ex qua deſcriptione apparere doctis pacatique animi ſtudioſis omnibus poteſt, hanc herbam radicem habere ſcorpionum modo paululum incuruam (talem enim exigit Plinius cap. 3. lib.

vigeſimi ſeptimi) graminis radicum modo nodoſam & ſplendentem, aliquot capillaribus radiculis ab eius geniculis erumpentibus. Nec obſtat quòd huic folia hirſuta non ſunt, cum ſubaſpera eſſe debere conſtet ex Dioſcoride, cui leges non præſcribentur à Plinio, qui hirſuta ea dicit. Neque item foliorum exortus. Nam Plinius ab radice leniter hirſuta ea facit. Matthiolus ſtatim ab ipſa radice exeuntia humique recumbentia & hirſuta. Sed Theophraſtus atque Dioſcorides indeterminatum id reliquerunt, vt eorum authoritate freti, hanc vel illam originis ſedem illis aſsignemus. Quin etiam, etſi nullum à rei plantariæ ſcriptoribus Aconito Pardalianchi ſemen redditur: non ob id tamen ſtatim ſequitur, id nullum ſemen habere: cum veriſimillimum ſit naturam prouidam rerum omnium conditricem, caulem illi fruſtra nequaquam dediſſe, vt qui floris ſeminisq́ue cauſa conditus ſit: conſtétque (vel Matthiolo ipſo iudice, in Dictamno Cretico, Gentiana, Elleboro albo, & alijs non paucis) Dioſcoridem ipſum atque Plinium, notas admodum inſignes, nec eas paucas, ſilentio diſsimulaſſe in plantis quamplurimis deſcribendis: quas tamen nihilominus fatentur omnes, eaſdem ijs eſſe, quæ à Dioſcoride ipſo monimentis literarum fuerunt proditæ. Nam ſi deficiente vna aut altera nota in aliqua planta, eadem diuerſa cenſenda eſt, ab ea cui maximè conuenit, Matthioli Aconitum primum, Dioſcoridis Pardalianches eſſe non debebit, quòd caule vacare pictura videatur. Poſtremò non obſtat herbæ Paridis ſemen, quod Matthiolo & Amato, ex eius, qui additiones Pandectis attexuit authoritate, contra quoduis venenum ſit ſingulare antidotum. Nam Dioſcoridi capite decimo, libro ſecundo, terreſtris ſcorpius crudus tritúsque, & ſuæ plagæ impoſitus, eiuſdem remedium eſt. Theophraſto autem Scorpij, id eſt, Thelyphoni radix (capite decimo quarto, libro nono hiſtoriæ plantarum) prodeſt contra ſcorpionum ictus, ſi potetur. Addit Plinius capite ſecundo, libro vigeſimo ſeptimo, cum vino calido. Ait enim: Hoc quoque tamen in vſu humanæ ſalutis vertêre, Scorpionum ictibus aduerſari experiendo datum in vino calido. Ea eſt natura, vt hominem occidat, niſi inuenerit, quod in homine perimat. Cum eo ſolum colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus repererit: mirúmque exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit. Quibus Theophraſti & Plinij verbis ſatis apparet, Aconitum quamuis per ſe venenum ſit, datum tamen po-

tui cum

tui cum vino calido, ſcorpionum ictibus aduerſari. Vnde nihil mirum videri debet, ſi herbæ Paridis ſemen contra venena egregium ſit antidotum, & fatuitates à venenorum potionibus obortas curet (tametſi & ipſum Pardalianches Aconitum cenſeatur) quod, fortaſſe, ſi ſanis exhibeatur, ocyſsimè mortem ſit illaturum: atque adhuc magis illius radix, cuius teter odor, abominandusq́ ſapor, eam vi deleteria eſſe præditam, maximè teſtantur. Inſuper ſcribit Theophraſtus ca. 16. 9. lib. Hiſt. de Aconito lycoctono diſſerens, vim illam mortiferam, qua præditum id eſt, in radice eius conſiſtere: folium et fructum nihil nocere. Quę ſi ita habeant, quid obſecro obſtabit, quo minus id ipſum Thelyphono inſit: vt nimirum eius radices deleteriam vim ſortiantur: ſemen autem eiuſdem plantæ, contra venena, remedio ſit præſentiſsimo? cum fructus Meſpili arboris caro, acerba admodum ſit, vixq́ edi poſsit, & ventrem ſtrenuè coherceat Galeno ipſi, lib. 7. Simpl. Semen autem interim, ſiue nucleus oſsiculis incluſus, tanta vi renum calculis atterendis, & per vrinas exigendis præſtare experientia cognoſcitur, vt vix aliud remedij genus cum eo ſit conferendum. Quamobrem ſi in eodem fructu, partes (ſeu diſtinctæ ſubſtantiæ) tam contrarijs inter ſe facultatibus reperiantur, nihil mirum aut à ratione alienum videri debet, ſi in hoc Thelyphono Aconito, ſiue Scorpio, aut herba Paridi, radix deleteria ſit, & venenum præſentiſsimum: fructus autem (de quo ne per ſomnium quidem mentionem facit Dioſcorides, aut aliorum Veterum quiſquam) illius venenorum omnium ſaluberrimum antidotum. Hactenus Hugo Solerius. Verum Fuchſij de Aconito Paradalianche ſententia Geſnero improbata eſt in Hiſtoria animalium de Lupo, vbi ſcribit: errare Leon. Fuchſium, qui herbam Paris appellatam vulgo ab Italis, vt Matthiolus ſcribit, Aconitum primum eſſe aſſerit, cum ea omnino ſit Solani generibus adnumeranda, tum aliâs, tum viribus, refrigerandi enim cauſa foris imponitur tumoribus calidis, idq́ vtiliter, vt experientia nos docuit: minimè verò putrefaciendi aut erodendi, vt Aconita. Sed non eſt quod pluribus refutem, ne ſim prolixior. mecum quidem & Matthiolus & Tragus ſentiunt: ſed ſuffragiorum numero hic non vincitur. Fuchſius ſanè tum aliâs tum inde mihi deceptus videtur, quòd herbam Paris (quam aliqui non rectè Aſterem Atticum putant) nonnulli vuam vulpinam, lupinam, aut caninam vocant, vnde & Germanicum nomen factum, aut fictum potius ab imperitis puto medicis, wolffsbeer (noſtri vulgò vocant, crützlekrut/ id eſt, cruciatam, propter folia ſemper

ferè quaterna, crucis inſtar diſpoſita: alij ſpꝛoſſenkrut/ augenkrut/ Fuchſius etiam Vollwurtz/ de quo nomine aliud Solani genus in Boue in C. deſcriptum, nos appellamus.) Sed vua Lupina apud Arabes Solanũ eſt, teſte Auerroë, vt Syluaticus ſcribit: quamuis aliqui, eodem tradente, ſtaphiſagriam interpretentur. Alij Solanum non lupi ſed vulpis vuam vocant. Gerunt autem vuas omnia Solani genera. Cuculus vel vua lupina apud authorem de Simplicib. medicamentis ad Paternianum, cap. 83. ipſum Solanum ſimpliciter dictum eſt. Syluaticus non Cuculus ſed Caucalis legit, & vuam lupinam exponit. Plinius certè Solanum, Cucubalum vocat. Et alibi ſcribit, contra Fuchſij opinionem, qua Aconitum frigidum venenum ſcribit, quia torporem inducat. Nam ſi hęc conſequutio valeret, ſequeretur, Quum omne frigidum mortem infert. omnem mortem frigiditas comitatur, Ergo omne venenum frigidum eſt. Et hac ratione etiam Lichnis erit frigida contra Galenum, quum ſcorpios torpefaciat. Mecum facit Turnerus Angliæ medicus inſignis, in ſuo herbario Anglico idiomate ſcripto. An Fuchſij Aconitum, verum ſit Aconitũ, dubito. Nam habet hæc herba, quatuor perpetuo folia, Platanum referentia, abſq; omni aſperitate, nec vnquam tria. Tum accepi à viris fide dignis, pueros aliquot in locis, baccas nigras, quæ in huius herbę ſummitate creſcunt, abſq; damno comedere, quod non facerent illæſi, ſi ea Pardalianches eſſet, quam Anglicè vocamus Libers hayne, id eſt, Aconitum ſeu venenum Liberdicum, id eſt, Leopardi.

ACONITI PARDALIANCHES TEMPERAMENTUM *& facultates.*

ACONITUM deleteria facultate præditum, quia nullo vnquam tempore neq; ægrotis hominibus, neq; valentibus opem fert, Galen. in 6. de morbis vulgar. Putrefacientis & venenoſæ facultatis eſt, ad putrefaciendum tamen quædam, extra corpus, herbæ radix vtilis eſt, Oribaſ. Lethale medicamentum eſt, & διὰ κινώνους ἀναιρεῖται, vt & Elleborus, Pollux. Aconitum princeps venenorum temporaneorum antiquo tempore, Cardanus. Vim mortiferam in radice habet. Ad erodendum vtuntur ea medici: præparari verò poteſt, vt tollat biennio, anno, menſibus ſex, tribus, duobus, vno. (ratione etiam peritioribus occulta) miſerius perire aiunt, qui poto eo, vitam diutius protrahant, &c. Venenum autem hoc à pleriſq; frigidum eſſe determinatur, qua in ſententia etiam Nicandri Scholiaſtes eſt. At nos ſupra, ſatis multis in medium productis,

hucq́ afferendis, argumentis, euicimus, vti ſpero, non modò non
frigidum eſſe; ſed etiam vehementer calidum. Dioſcorides de Aco-
niti veneno ſcribens, inquit, in lingua ſtatim inter bibendum cum
aſtrictione quadam dulceſcere: quod dictum ego ad Aconita pro-
priè dicta refero, non autem ad primum ab eo poſitum: hoc enim
non propriè Aconitum vocatur, vt ex Theophraſto videre eſt.
Idq́ magnum feruorem, non dulcedinem præ ſe fert: ſicuti & To-
xicum: à cuius potu labra & linguam inflammari ait. Videtur au-
tem mihi Toxicum non aliud eſſe quàm Aconitum primum, mul-
tas ob cauſas, quas non licet referre. idq́ ignoraſſe cùm Dioſcori-
dem, tum alios Veteres Græcos, mirum non eſt, quoniam Toxici
vſus in Græcia ad tingendas ſagittas non erat, & Barbari tantùm
hoc maleficio vterentur, vt ipſe Dioſcorides ſcribit. Loqui autem
Dioſcoridem de Veneno ex herba, Toxici nomine, apparet, quum
inter herbarum venena, de ea agat. Etenim cum omne Toxicum;
vtcunq́ leuiter vulnerarit, ſanguini maleficium ſuum illicò tranſ-
mittat, vbicunque attigit: fœminas quoque in tali, vt dictum eſt,
maleficio (in coitu) occidere poteſt: Aconitum primum certè id
per excellentiam fecerit, vnde aliquis fortè non malè pronuncia-
ret, omne Toxicum, etiam Thelyphonum eſſe: ¶ Pardalianches
(inquit Gal.) idoneum vbi quid foris in corpore eſt exedendum;
ad quos vſus radix eius ſumenda eſt. Aconiti herbæ ſucco pilorum
ortum prohiberi ferunt, Aëtius. atqui hæc facultas non Aconiti;
ſed κωνείου, id eſt, cicutæ eſt: ſæpius autem hæc ab imperitis confun-
duntur. Ad pilos pungentes in palpebris, trichiaſin vocant, Anto-
nij Muſæ, Fel auiculæ, quæ Cinædus appellatur, & Aconiti dimi-
dium eius, mixtis vtere: hoc eſt, euulſis pilis locum illine; Galen:
κατὰ τόπους 4. 7. inter Aſclepiadæ liquida medicamenta ocularia;
Cornarius in hunc locum commentatus, inquit, Aconitum ſi ſim-
pliciter nominatur, de ſecundo genere Galenū intelligere. Et rur-
ſus ad idem, medicamento cuidam miſcentur, fel pagri piſcis, Aco-
nitum, & ſanguis veſpertilionis. ¶ Miſcetur oculorum remedijs
leuandi doloris gratia, (ophthalmicis medicamētis anodinis) Dio-
ſcor. ſeptica quidem idem ferè ſine dolore præſtant, quod cum do-
lore cauſtica. Proinde ego ſic verterē: miſcetur oculorū remedijs,
quæ ſine dolore exedunt, quamuis Dioſcorides non ſatis expreſſe-
rit: ſed res ipſa loquitur. Nā ſimpliciter ad dolorē tollendū Aconi-
tū applicare, inſaniā dixerim. Cicuta potius anodinis ſimpliciter
miſceretur, quàm Aconitū, oculorū præſertim apud Plin: & Dioſc:
Maiores oculorū quoq́ medicamētis Aconitū miſceri ſaluberrimè
promulgauere, aperta profeſsione, malū quidē nullū eſſe ſine ali-

quo bono, Plinius. Vt Leucomata & albuginem quamuis denſam ex oculo detergeas, turam & anturam herbas virentes nitidiſsimè collectas contunde, & per linteum tenue, ſuccum earum exprime, eoq́ꝫ oculos inunge, Marcell. ¶ In cibo potuq́ꝫ cauendum monet Galenus, propter deleteriam vim. Theophraſtus inquit, paſci eo neqꝫ pecus neque vllum animal. (videntur autem hæc verba ad ſecundum Aconitum ſpectare) Aconita, Tithymalli & Ranunculi omnes cibis mixti, promiſcuè aues, feras, & piſces omnes occidunt, Cardanus. Vnde Dioſcorides inquit, qui Aconitum biberint, ſubinde, potiſsimùm cum exurgere conantur, vertigines obfundit, lachrymas ciet, grauitatem pectori & præcordiȷs adfert, ſimulq́ꝫ crebri ſpiritus deflantur. Aëtius hæc eadem repetit, & alia quoque ſymptomata his addit, ad hunc modum: Aconitum, ſtatim dum potatur, linguam edulcorat cum quadam aſtrictione, deinde paulò poſt in lingua amareſcit, & conſtrictio mandibularum concomitatur, & oris ſtomachi morſus & laterum dolor, pectoriſq́ꝫ grauitas ac præcordiorum: materia enim quæpiam circa vmbilicum innititur, & cum multis flatibus conſequentibus corruptio contingit: grauatur item caput & tempora contremiſcunt, oculi verò turbatiores fiunt & ſubcruenti ac lachrymas profundunt. Quòd ſi diutius perſeueret malum, etiam tremor ac concuſſio & tumor totius corporis ſequitur. Et quod Theophraſtus de quibuſdam radicibus Scythicis innominatis, quæ paulatim tabe conſumunt eos, qui ſumpſerint, tradit: idem de Aconito quoque ſcribit lib. 9. cap. 16. cum inquit, confici ad officiendum modo quodam narrant, nec noſſe quenquam. Componi autem ita ferunt, vt certis occidere temporibus poſsit, videlicet bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, nonnullum etiam biennio: peſsimè illos de vita diſcedere volunt, qui plurimum temporis reſiſtere poſſint: paulatim enim tabeſcat corpus, & languore pereat diuturno, neceſſe eſt: facillimè eos, qui confeſtim obeunt. Vtuntur thelyphono medici pro putrefactorio: ſed & alȷs quibuſdam de cauſis e potum nihil penitus officere poſſe aiunt, neqꝫ ex vino neqꝫ ex mulſo, Theophraſt. Et rurſus, Nepæ vocatæ (ſcorpij, thelyphoni) radix, vtilis ad ſcorpionis ictum, & ad alia quædam habetur. Et alibi, Proficit pota contra ſcorpionum ictus. Aconitum quoque (inquit Plin.) in vſum humanæ ſalutis vertere, ſcorpionum ictibus aduerſari experiendo, datum in vino calido. Ea eſt natura, vt hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat, cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna eſt, cum

venenum

venenũ in viſceribus reperit: Mirumq́ꝫ, exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit, hæc Plinius. Videri autem poteſt, non de ſcorpij tantum veneno loqui, quod Aconitum id ſolum in homine repertum impugnet, ſed quouis etiam alio, vt Hermolaus etiam & Ruellius acceperunt: etſi à nemine alio Veterum id ſcriptum inueniam: ego quidem credere quàm experiri malo: poſſet tamen aliquis periculum facere in cane, ſi modo noſtrum Aconitum, quod ſecundi generis eſt, idem præſtare poteſt, quod primũ, de quo ipſi loquuntur. Cæterum id quoque diſcutiendum hoc loco, cur, cum Veteres acerrimis venenis Aconitum aſcribant, & Galenus intra corpus minimè vſurpandum cenſeat: Theophraſtus, vt modò diximus, hominibus neſcio quomodo præparatum dare quoſdam auſos ſcribat, ad ſcorpionum ictus, & alios effectus, quorum nomina non exprimit. Adde, quod hodie de Tora dicitur, & de Venatorio Gallorum veneno Celſus ſcribit, intra corpus ſumptum nihil aut parum obeſſe. Componi hæc contrarietas poteſt, vel quia diuerſa ſunt Aconiti genera: vel quia ſuperficiem Aconiti etiam Theophraſtus lethiferam eſſe negauit, cum venenum omne in radice ſit: vel potius, ſi exigua quædam portio (vt Plinius in Limeo fieri ſcribit, & in alijs quoque venenis medici faciunt) cum maiore copia retundentium & frangentium eius noxam iungatur: vel quomodocunq; pro apparatus diuerſitate, effectus diuerſos ſequi. ¶ Aconitum accommodatum eſt ad excedendum aliquid ἐκ τοῦ σώματος ἢ καθ᾽ ἕδραν, Galenus vt paulò ante citaui: hoc eſt, in ore, aut ſede. Apud Aëtium tamen legitur, τ᾽ ἐκτὸς σώματος ἢ καθ᾽ ἕδραν: hoc eſt, extra corpus vel in ſede. Chriſtophorus Oroſcius priorem lectionem probat. Ego tutius eſſe puto intra os non admittere, ne vel ſaliua infecta, aut fortuitò vel modicum eius deglutitum, periculi cauſa ſit. Foret etiam periculum, ſi fortè vlcuſcula aut venæ aliâs apertæ & ſanguinem fundentes in ore eſſent. Aegineta etiam habet ἐκτὸς σώματος, & ſimiliter Vetus interpres Latinus vertit. Sed Staphiſagria quoq; aphthas cum melle ſanat, teſte Dioſcoride: quæ tamen propemodum ſimilem Aconito vim habet: & Sandaracha apud eundem oris vlceribus commendatur, quam tamen lib. 6. inter venena cum calce & auripigmento numerat. Quamobrem nihil aſſero, niſi tutius eſſe abſtinere, cum minus periculoſa ad eoſdem affectus remedia abunde reperiantur. Aconiti radix emplaſtri modo impoſita, putrefacit (exedit) efficaciter hæmorrhoides & pudenda, Arnoldus citans Galenum: cum tamen apud Galenum non ſic legatur. Fœminas

Ee

occidit, tum in humano (vt ſupra ab initio huius de Aconito tractationis ex Plinio retuli) tum aliorum animalium genere, genitalibus inditum: quamobrem thelyphonon appellatur, primum ſcilicet Aconiti genus. Omnem quadrupedem necat, impoſita verendis fœminei ſexus radice, folio quidem intra eundem diem, Ruellius ex Theophraſto: quaſi verò maius in folio venenũ quàm in radice ſit, cum Theophraſtus folio & fructui venenum eſſe negari ſcribat: vnde motus fortaſsis Gaza, folij mentionem hoc loco omiſit, niſi librariorum ea ſit culpa. Sic enim habet eius tranſlatio, Enecat omnes quadrupedes eodem die, ſi genitalibus vel radicula imponatur. Græca lectio eſt, ἀπόλλυσι δὲ πᾶν τετράπουν, ἐὰν εἰς τὰ αἰδοῖα τεθῇ ἡ ῥίζα, ἢ φύλλον, αὐθήμερον. Thelyphthorion inter abrotoni cognomina, fortè non rectè poſitum eſt: licet enim ſuſpicari pro Aconito abrotonum aliquem legiſſe, eiusq́ nomenclaturis adſcripſiſſe quæ Aconiti erant. Mel venenatum in Heraclea Ponti reperiri Dioſcorides ſcribit, vbi & Aconitum: ijsdemq́ remedijs maleficio eius occurri, quibus Aconito: vnde conijcimus, exiſtimaſſe eum, apes in Ponto ex Aconito mellificare. Aëtius quidem 13.59. manifeſtè ſcribit, mel apud Heracleam ex Aconito colligi, niſi me fallit interpres, vt fruſtra hic Manardus contradicat Marcello (Venenatum fit etiam ex floribus Oleandri, Arnoldus.)

Quam puto de gelidæ collectum flore cicutæ.

Melle ſub infami Corſica miſit apis, Ouidius: Plinius tamen, Aegolethron vocat genus herbæ, vnde mel iſtud colligatur, de quo pluribus dixi in Boue capite tertio. Fieri ſanè poteſt, vt ex vtriſq́ iſtis herbis, vel pluribus etiam (venenis enim ea regio ſcatet) maleficium illud melli inſit. ¶ Aconito primo quæ feræ pereant, authores ſcribunt: & quæ ſecundo priuatim. ego vtroque omne animalium genus necari exiſtimo, vt ex ſequentibus patebit: Ἀκονιτικῷ φαρμάκῳ mixto cum cibo quo fera quæque delectetur, capiuntur Pardi, Leones, &c. Xenophon. Aconitum primum ſiue Thelyphonum ſimiles habet vires ſecundo: ſed Pardales peculiariter occidere creditur, vt lupos ſecundum, Galenus. Thelyphonum enecat boues, oues & iumenta, & ad ſummam omnes quadrupedes, genitalibus impoſitum, Theophraſtus. Interimit Pantheras, Sues, Lupos, beſtiasq́ omnes in carnibus obiectum, Dioſcorides. Tangunt carnes Aconito, necantq́ guſtu earum Pantheras, niſi hoc fieret, repleturas illos ſitus: ob id quidam Pardalianches appellauêre. At illas ſtatim liberari morte, excrementorum

homi-

hominis guſtu, demonſtratum, Plinius: idem ſuperius ex Nican-
dri ſcholijs retuli. Aconitum aliqui myoctonon appellauêre, quo-
niam procul & è longinquo odore mures necat, Plinius: ſed quod
necet odore tantùm, aliorum nemo ſcripſit. Nicander mures hoc
veneno παμπήδην, hoc eſt, funditus & ad deſolationem vſq; tolli tra-
dit. Noſtri quidem etiam Luparia, ex ſecundo Aconiti genere, vt
mox dicam, mures tollunt. Thelyphonum admotum (ἐπιξυόμενον,
hoc eſt, ſcobe radicis deraſa ſupra eum) ſcorpionem occidere tra-
dunt, & eum reuiuiſcere poſſe, ſi elleboro candido linatur, (aſper-
gatur. nam verbum καταπάττειν aſpergere eſt,) Theophraſtus. Fe-
runt radicem Aconiti (primi) ſcorpioni admotam, torpore eum
reſoluere: & è diuerſo admoto veratro excitari, Dioſcorides.
Thelyphonum Theophraſtus narrat, ſi ad ſcorpij dorſum admo-
ueas, hunc ſtatim perire. & ſi elleboro candido oblinas, integritati
valetudinis mox reſtitui, Gellius ex Aeliano. Torpeſcunt ſcorpio
nes Aconiti tactu, ſtupentq; pallentes & vinci ſe confitentur: au-
xiliatur eis elleborum album, tactu reſoluente: ceditq; Aconitum
duobus malis, ſuo & omnium, Plinius. Therionarca in Cappado-
cia & Myſia naſcente, omnes feras torpeſcere Democritus ſcribit,
nec niſi hyenæ vrinæ aſperſu recreari, Plinius. Ego hanc Therio-
narcam eandem Aconito primo crediderim: & pro ἐπιβόρου ſimpli-
citer, vel ἐπιβόρου λευκῷ, aut alia quapiam voce Plinium legiſſe ὑαίνης
οὔρου. Elleboro enim albo, ſcorpium vt recreetur, aſpergendum,
καταπάττειν, ex Theophraſto iam recitaui. Therionarca (inquit ite-
rum Plinius 25. 9.) alia quàm magica (Democrito prodita, vt
nunc recitaui) & in noſtro orbe naſcitur, fruticoſa, folijs ſubuiri-
dibus, flore roſeo: ſerpentes necat: cuicunque admota feræ &
hæc torporem adfert. Hæc fortè Delphinium Dioſcoridis fue-
rit (cuius aliâs non meminit Plinius) cum facultas florisque co-
lor conueniant, (Eſt & inſula Therionarca, Plinio 5. 31.) nam fru-
ticoſa cum ſit, Aconitum primum eſſe non poteſt, cui coliculus do-
drantalis tantùm. Leones, Pardalianches venenum, ſicuti Panthe-
ras occidit, Ariſtoteles. Aconitum enecat Pantheras, Sues, Lupos,
beſtiasq; omnes in carnibus obiectum, Dioſcorides. Sed appa-
ret eum de Suibus feris loqui. Feris enim tantùm Aconitum & a-
lia venena obijciunt Venatores. quanquã domeſticis quoq;, vt qui-
buſcunque alijs animalibus lethale eſt Aconitum. Syanchus, Σύαγχος,
radix qua Sues à venatoribus capiuntur, Heſych. & Varin. Vi-
detur autem non alia hæc radix quàm Aconiti eſſe, cum & radix

ſimiliter vſurpetur, & ſtrangulando, (vnde & Aconito Pardalianchi cognomen,) ſimiliter, quod ex vocabuli compoſitione appareat, mortem inferat. Scribit enim de primo Aconiti genere Dioſcorides, quod & alias feras & ſues occidat, nimirum angendo & quaſi ſtrangulando, vnde & Pardalianches dictum.

TORAE VALDENSIVM ACONITI *primi Geſneriani facultates.*

HIs Aconiti primi facultatibus ex antiquorum ſcriptis adductis, Toræ noſtræ quoq;, quas habemus experientias, adiungemus, præter eas quas paulò ante de ea memorauimus. Scribit ad me quidam amicus his verbis: Valdenſis quidam mihi affirmauit, Toram herbam quandam à ſuis vocari, ex cuius radice, aliquandiu ſeruata loco humido & contuſa, ſuccus exprimitur, quo ſagittæ tinguntur. Quia verò promptum & præſens venenum herbæ illi inſit, ex eo cognoſces quod mihi narrauit. Quum (inquit) aliquando auunculus meus procul ſagitta huiuſmodi ſucco infecta leuiter vrſum eumq; vaſtum attigiſſet, cœpit vrſus magno impetu per ſyluam ferri, & huc atque illuc diſcurrere, ita vt auunculum meum valde perterrefaceret. Itaq; locum æditum conſcendit, ad quem vrſo non patebat via, hinc cum illum ſpectaret, vidit tandem longis decurſis ſpacijs concidentem & vitam exhalantem, quum nimirum venenum illud peruaſiſſet cor, quod ita eſſe occiſo iam vrſo deprehendit. De Toxico idem ſcribit Græcus interpres Nicandri: quod noſtri de Tora, quomodo ſcilicet venenum miſceatur ſanguini. Idem ſcribitur in Synonimis, Tora valet vt Toxicum. Potentiſsimum quoque eius plantæ venenum hinc eſſe conſtat, quod (ſicut ex Antonio Ptolomæo huius tractationis ſcientiſsimo cognoui) adoleſcens quidam herba illa diutius manibus tractata & geſtata, propemodum exanimis conciderit: ex literis cuiuſdam amici. Audio præterea quendam manu geſtaſſe chirotecatum, & manum per chirothecam vlceratã inueniſſe. Aconiti tui folijs, (ſcribit quidam ad me) iam aridis radicem guſtaui, non ſine periculo. Nam quamprimum videbatur mihi os totum ardere, ipſumq; ardorem totum quaſi corpus percurrere: & niſi ſciuiſſem me priori nocte & mane butyro recenti ventriculum vallaſſe, de me actum putaſſem. Ego bulbulum Toræ Valdenſium guſtaui altero menſe, poſtquam lecta erat, neq; amplius vrentem, ſed ſubdulcem & modice acrem, inueni. Theophraſtus author eſt, venena in altiſsimis montibus naſci, eoq; valentiora eſſe, quò ſint ſicciora:

ego verò quando in Tora hoc non verum eſt, exiſtimarim eò valentiora eſſe, quò ſicciore Solo naſcerentur. Valdenſes, populus in montibus habitat Galliæ, non procul Auenione, Italiam verſus, apud hos Toram herbam abundè naſci audio, cuius ſuccum expreſſum in bubulis aſſeruant cornibus, ad ſagittas tingendas veneno præſentaneo, ipſi Toram & Toxicum vocant. Quomodo verò præparent, nondum cognoſcere potui. Facilè autem conijcio eos nihil venenati addere: neq; enim opus eſt: & inſuper venationi noceret. Nunc cum noxij aut ſeptici nihil accedat, pars etiam proxima vulneri (ita puto) editur. Toxica verò quibus Barbari contra hoſtes vtuntur, ſeptica quædam ſunt, qualia Ariſtoteles deſcripſit. Cæterum cum venenum eius citò exhalet: ſi ſuccus expreſſus pro Toxico ſeruari debeat, addendum conijcio aliquid, quod & putreſcere ſuccum illum & exhalare prohibeat, vtrumq; ferè ſal præſtiterit, aut fel, præſertim ſi aliquid glutinoſum addatur. Et fortè non totus ſuccus, ſed craſsior pars tantũ quæ ſubſidit, ſeroſa abiecta, ſeruatur. Hoc ſucco, ceu Toxico & homo & quoduis aliud animal telo inde imbuto ictum, intra ſemihoram moritur: homini tamen præcipuè lethale hoc malum eſt. Vim eius experturi, acum eo ſucco inficiant, quo ranam pungant: quæ ſi illicò moriatur, ita præſentaneum iudicant. Mortiferum negant, ſi deuoretur bibaturúe, etſi ne id quidem ſine noxa fiat. Præſentiſsimum verò eſſe coniunctum ſanguini, quod per ſagittas contingit, ſi tamen locus ictus, frigida mox abluatur, remedium pollicentur. Sanguis qui è vulnere defluxit etiam ad imum pedem, hoc veneno contactus recurrit, & in vulnus iterum ſubit: tanta in eo ſanguinis vitæq; auiditas rapida. Et hæc quidem accepi olim ab homine fide digno, qui cũ Valdenſibus ipſe verſatus fuerat. Radicis certè & foliorum forma, & vis ipſa veneni, non aliud hanc Toram, quàm primum Dioſcoridis Aconitum eſſe euincunt, quod & Thelyphonon vocatur, quod verendis fœminarum inditum mortis cauſa ſit: nimirum quòd illic etiam vis eius & habitus ſanguini iungatur, ſiue per acetabula, ſiue per ἀνάδοσιν quãdam. Audio etiam Sabaudiæ populum eſſe, qui vallem quandam Lucernenſem incolat, homines aſperos, quòd metuendi ſint propter ſagittas herbæ Toræ ſucco venenatas. Singulos domi vaſculum huius ſucci plenum ſeruare aiunt: & tali ſagitta ictos, paulò poſt mori, vulnere incurabili. Ab hac valle exijſſe quidam aiunt Valdenſes, qui ab huius herbæ vſu Torelupini nominentur. nam lupos aliasq; feras in venatione, ſimiliter huiuſmodi ſagittis feriunt. Audiui

etiam, ſi bene memini, ſolis in Gallia Valdenſibus, priuilegio quodam hoc Toxico vti licere: fortè quòd & ad venationem indigere videantur, cum montes habitent: & tanquam viri boni citra hominum noxam id poſſeſſuri exiſtimentur: Sic & de Aconito in Ponto ſcribit Theophraſtus, ijs tantùm qui præparare nouerint, poſsidere conceſſum, cæteris interdictum capitis pœna. De Toræ veneno, rurſus ſcribit ad me Caſparus Collinus. Aconitum ſeu Toram cum Ludouico in montes profectus collegi, prius bene cognitam, de viribus periculum faciens: poſtquam enim deguſtare iuſsiſſem, ſimul & ego ſummis quaſi labris attigiſſem (nam priori anno, vt ſumpſeram, periculum feceram) torpor in brachijs, genibus, toto corpore, neſcio quæ imbecillitas eum repentè inuaſit, & quaſi omnia eius membra labefactarentur, vt vix pedibus inſiſtere poſsit, nedum vnicam effodere plantulam. Ego cum hęc videbam, iubebam depromeret theriacæ & aliarum confectionum pauxillulum, vt veneno à corde fugato, confortaretur & ſeſe reficeret, donec ad caſam aliquam peruenire poſſemus. at ſumpto antidoto infra quartam horæ partem iam leuamen ſentiebat. Tum & ego videbar quaſi incipere labefactari, ſed eodē remedio vſus, incolumis euaſi. Sic mei ſcripti pręſens teſtimonium habebis. Quo ad ſplendorem alabaſtri, in viridibus & modò euulſis quaſi animaduertetur, ſed artbitror Dioſcoridem non tàm ad ſplendorem quàm ad colorem, quem in recenter effoſsis videmus, Pario marmori non multum diſsimilem, reſpexiſſe. Apud Indos radix quædam ſanguinem diffundere & velut fugare poteſt: alia contrà ad ſeſe trahere. Has inuentas aiunt contra morſus ſerpentiū venenoſarum, Theoph. 9. 15. Toram nimirum & Antitoram intelligens.

Nunc & antipharmaca quædam quæ medeantur ijs, qui Aconitum ſumpſerint addemus. Pantherę quidem excrementis hominum ſibi medentur, vt ſupra retuli: Homines mulſo, vt Theophraſtus docet, Ex vino aut mulſo potum, nihil poſſe efficere putant. Idem: Sed planè contrarium Euſtathius ad Macrob. 6. 7. affirit his verbis: Si quis Aconitum neſciens hauſerit, non nego hauſtu eum meri plurimi ſolere curari. Infuſum enim viſceribus trahit ad ſe calorem, & veneno frigido, quaſi calidum iam repugnat. Si verò Aconitum ipſum cum vino tritum potui datum ſit, haurientem nulla curatio à morte defendit. Tunc enim vinum natura frigidum admixtione ſui, frigus auxit veneni (mihi certum eſt Aconitū venenū minimè frigidum eſſe) nec in interioribus iam caleſcit, quia non liberum, ſed admiſtum alij, imò in aliud verſum, deſcendit in

viſcera.

viſcera. Hæc ille. Mihi rationes iſtæ non placent. Puluerem muſconum (id eſt, paruarum muſcarum) napellum depaſcentium aduerſus Napellum darem: vel puluerem coturnicis ſeu turdi, Ant. Gainerius: deceptus nimirum ab Arabibus, aut eorum interpretibus, qui coturnices Aconito paſci ſcripſerunt: cum ſturnos (nō turdos) cicuta paſci ſcribendum fuiſſet, vt pluribus paulò poſt dicetur. Acetum calidum potum, (& mox vomitionibus redditum) contra cicutam & Aconitum prodeſt, Aggregator ex Serapione ſecundum Dioſcoridem. Ego apud Dioſcoridem nullam Aconiti mentionem in aceto reperio. Lac bubali & aſinæ contra Aconitum bibitur, Ouillum verò contra cicutam; Aggregator ex Plinio. Coagula, hædi, vituli, capreoli; Hali abbas contra cicutam propinat, alij contra Aconitum. Allium debellat Aconitum, quod alio nomine Pardalianches vocatur, Plinius. Rutam aduerſari Aconito, ſuperius ex Athenæo recitaui. Galenus lib. 2. de Antidotis, Rutæ manipulum tritum, è vino puro bibi conſulit: aut ius gallinaceū pingue. Balſaminum ex lacte potū, aduerſatur Aconito. Plin. Succus Mororum aduerſatur eidem, in vino potum, Idem. Coagulū hædi contra potum cicutæ prodeſt (lege Aconiti ex Dioſcoride) ſic Arabes quoq; κώνιον, & ἀκόνιτον confundunt, & pro conio malè vertunt albos, (albis) quod Aconitum eſt, Auic. cap. de Aconito, & Haly. Sic Celſus quoq;. Ad idem valet theriaca, & lac. Gal. Abrotonum cum vino, Aëtius, cum melle bibendum præbet Nicander. Dioſcorides ſummatim hæc habet remedia. Venenum vomitione abigi, aut clyſtere per aluum egeri opus eſt. Vtimur inter propinandū, origano, ruta, marrubio, vel abſynthij decocto, cum vino abſinthite: vel ſemperuiuo, vel abrotono; vel chamelæa, aut aiuga. Prodeſt etiamnum opobalſami drachma, cum melle aut lacte, cum caſtoreo, pipere & ruta, æquis ponderibus ex vino. coagulum hędi, leporis aut hinnuli, cum aceto: ferri quoque ſcoria, item vinum in quo aurum, ferrum, argentumúe candens reſtinguatur, potum. lixiuiaq; cum gallina & vino decocta, aut carnium bubularum præpinguium iura, cum vino ſumpta. Fertur & aiuga priuatim ipſis ſubuenire. His addit Aëtius, Erucam cum vino, lapidem molarem ignitum in vino extinctum, & vinum propinatum calidū. Pullum gallinaceum tenerū & pinguiſsimum coquito, & decoquendo eliquato, donec oſſa ſola relinquantur, & iuſculū per ſe, vel cum vino bibendū exhibito. Raz. lib. 8. ca. 18. contra Napel. hæc facienda docet. Multoties hic ad vomitū cogendus eſt, poſtquā quotidie ſumpſerit aquam, in qua ſemē Napi coctū fuerit, cum butyro vaccino

veteri. Poſtquam aũt multis vomuerit vicib. ex glandibus in vino coctis ℥.iiij.cũ pondere ʒ ſ.electuarij muſcati, cui ſexta pars vnius drachmæ de muſco bono fuerit admixta, detur. De his verò quę ad hoc multũ valent, ſunt butyrum vaccinũ, & lapis bezoar citrinus, vel rubeus purus & probatus, & de viperis theriaca, & mithridatium. Oportet itaq;, vt ſi vna ex iſtis quatuor medicinis habeatur, citò ſuccurratur, aliquid in potu de eo exhibendo. Quòd ſi iſtorum nulla habeatur, hoc quod diximus multis fiat vicibus. Vna præterea antiquarum ſecta dixit, quod radix Capparis, taliter contra Napellum operatur, vt bezoar. ¶ Si *μυόφονον* dictum, equus depaſtus fuerit, & caput ei demiſſum (reſolutum) fuerit, ac ſimiliter reliquum corpus, venam in temporibus ſcinde: & apij ſylueſtris aut ſatiui ſemen è vino infunde: aut rutam tuſam, vino vetere affuſo infunde. Incert.

De Toræ nominis æquiuocatione, ex Philologia Aconiti. Quoniam autem hoc nomen ęquiuocatione non caret, nos non Napellum, qui & ipſe quibuſdam Tora dicitur, ſed eam intelligimus, quã primo loco depictam exhibuimus. Antora, inquit Syluaticus, dicitur quaſi antitora: quòd aduerſetur Toræ. Sunt autem duæ herbæ, quæ ſimul naſci ſolent: folijs violarum, rotundioribus tamen & parũ inciſis, floribus Cyclamini; niſi quòd in Tora bene violacei ſunt, in Antora ſubrubei: hæc ſanat, illa occidit. Hactenus ille. Quo in loco Toram cum Napello cõfundit, vt etiam Hermolaus, quum etiam Napellus vulgò Tora dicatur, ſic quæ de diuerſis Toris audiuerat, confundit in vnam Toram. Foliorum deſcriptio, noſtræ Toræ cõuenit: florum verò, duabus Napelli ſpeciebus. Aldroandus de Simplicib. in Pedemontio, Limeum Plinij vocari ſcribit, herba Terra, (fortè Tora) è cuius radice ſuccus exprimitur, qui Medicame illis appellatur. Taurion eſt inter Lychnidis coronariæ nomenclaturas apud Dioſcoridẽ. De Tora verò herba vulgò dicta apud Italos, quam Dioſcorides Orobanchen vocat, aliâs dixi lib. de Animalib. Eſt & altera Taura, de qua Hermolaus Barbarus.

CONRADI GESNE-RI PHILOSOPHI ET MEDICI, DE VTROQVE OXYMELITE Elleborato, Libellus.

OXYMELITIS ELLEBORATI MAIO-ris deſcriptio.

RECIPE rutæ, thymi capitati, dictamni Cretici, comæ hyſſopi, pulegij, marrubij, cardui benedicti, Nardi Celticæ radicularum ſine folijs, corticum ſambuci interiorum, ana manipulum vnum. Calaminthæ (catariæ) pugillos duos. Seminum aniſi, fœniculi, ocimi, vrticę Romanę, anethi ana drachmas duas. Radicis angelicæ, althęæ, ari, ſcillæ pręparatæ, ariſtolochię triplicis, nēpe rotundæ veræ, longę veræ, & noſtræ quam Clematitidem putant: turbit, iridis noſtræ, coſti qui violas olet (aut Zedoariæ) polypodij, corticum limonum, ana vnciam vnam. Ellebori nigri è montibus collecti corticum: (niger præſtantior: cuius flores lactei aut purpurei ſunt, accerſi poteſt ex Italia, Como aut Bergomo præcipuè: huius enim radices eneruari poſſunt: ſin minus de noſtro vulgari fibræ integræ ponantur:) eſulæ ana drachmas duas. Ellebori albi corticum de fibris radicũ (è montibus vel locis ſiccis & perflatis collecti) drachmas quatuor (aliquando duas tantùm vel tres poſui) Agarici drachmas duas, quas ſub finem decoctionis iniicies. Omnia ſicca trita infunde in aceti acerrimi libris ſex & quarta parte, vel quantum ſufficit, ſapæ vncijs duabus, triduo in Sole vel ad fornacem, in vitreo aut figlino vaſe obturato. Tum decoquantur in terreo, aut lapideo tornato vaſe ad dimidiũ ferè cocta colabis modicè exprimendo, addeſq; mellis deſpumati cõmunis, aut roſacei potius, vel cui cortices citri fuerint infuſi, libram vnam (aliâs duas poſui, aliâs vnã mellis, & vnam ſacchari) & ad conſumptionẽ aceti decoques, vt fiat ſyrupus. Sub finem aromatiſetur cum caryophyllorum, croci, zinziberis, galangæ, macis, ana drachma vna, non in ſacculo, ſed permiſceantur. Seruetur in vaſe vitreo, aut fictili vitreato.

OXYMELITIS ELLEBORATI MINO-ris deſcriptio.

REcipe calaminthæ, thymi, pulegij, cardui benedicti, roſarum rubearum, mentæ criſpæ ana pugillum vnum. Seminum ani-

ſi,fœniculi,ocimi, vrticæ Romanæ vel noſtræ, anethi, ana drachmam vnam. Radicum angelicæ,fœniculi,althęæ,ſcillæ,iridis noſtræ,(aliquando addit & polypodij tantundem)turbit, ana vnciam ſemis, Ellebori albi, è montibus vel locis ſiccis & perflatis collecti,verſus Septentrionem potius quàm Auſtrum: eſulæ præparatæ,ana drachmas duas. (Elleborum aliâs duplicaui, & Eſulæ poſui drachmas duas ſemis)Aſari radicum ſeſquidrachmam. Galangæ,cinnamomi,calami aromatici ana drachmam vnam. Infunde trita omnia in aceti fortiſsimi libris duabus & ſemis,triduo in Sole,vel loco calido,in vaſe vitreo aut figlino obturato. Deinde bulliant in terreo aut lapideo vaſe ad dimidium ferè. Demum adde ſacchari,mellis cõmunis(vel roſacei)deſpumati,ana vncias quinque,fiatq́ ſyrupus: qui aromatizetur cum croci,cinnamomi,macis, zinziberis (addatur zinziber decocto potius) ana ſcrupulis duobus,ſuſpendantur intus in ſacculo.

DE VTRIVSQVE COMPOSITIONIS *examine & iudicio.*

GEſnerus vtcunque compoſitiones vtriuſq́ Oxymelitis, non ſolùm certa ratione inſtitutas,ſed multiplici etiam vſu & longa experientia, in diuerſis caſibus comprobatas, intelligeret, illi tamen nõ ſatis fuit,niſi etiam eiuſmodi eas eſſe,quales ſibi viderentur, opinione & ſententia doctiſsimorum virorum cõfirmaretur. Itaq́ vt multorum iudicia haberet, deſcriptiones huc atq́ illuc examinandas atq́ experiundas,amicis ſuis tranſmiſit. Quę verò ſinguli probarint vel improbarint, pleraq́ ex iam editis Geſneri per epiſtolas reſponſionibus, pauca verò ex his, quæ in ſchedis annotata reliquit,hic ſubijciendis, intelligi poſſunt.

Cum ab ellebori albi vſu nonnulli penitus abhorreant, cõcedo poſſe illum omitti, pręſertim vbi morbi ratio id quoq́ ſuaſerit: eius verò loco,ponatur ellebori nigri pondus ſeſcuplum,hoc eſt,drachmæ ſex. Myrepſus alioquin,vt puto,ellebor ũ nigrũ tantũm ponit.

Acetum multi non benè ferunt,præcipuè vbi morbi interni,externa coniuncta habent vlcera, aut alioquin partes neruoſæ affectæ fuerint:id vt corrigamus, loco aceti in compoſitione, vinum generoſum aſſumi poteſt. Sed & ſuauius erit, ſi autumno paretur cum muſto: quanquam minus ſic, magis verò cum aceto placeat. Aliquando cum vino Cretico præparatum habebam,ſed & ſic ingratius erat: cum muſto verò amabilius.

Rondelletio maius minore magis probatur. In minore nullo modo

modo approbat roſas: quia cum purgantibus aſtrigentia non placent, vti neque ſcammoneæ præparatio, quæ cum cydoniis malis fit. Efficiunt enim aſtringentia, vt purgans medicamentum diutius in corpore hæreat, & ſic plurimum noceat, cum præſtet, id quàm primùm excerni.

In morbis præterea cerebri, oxymel non commendat, quia acetum neruis eſt inimicum.

Rurſus purgantia cum oxymelite minimè miſcenda cenſet, ac proinde etiam Iuliani illud oxymel reijcit: ne dum medicamentum purgat & abſtergit, acetum ſuam qualitatem neruoſis partibus fortius imprimat.

Præterea neq; laudat tam vehementia attenuantia cum purgantibus mixta: nam πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινεῖν μὴ ὠμά.

Inſuper neq; hoc laudari poteſt, quòd natura ab huiuſmodi medicamento variis motibus, iiſdemq́; contrariis, mirum in modum vexatur, videlicet dum mouet & per cutem, & per ſuperiora inferioraq́;, atq; etiam per vrinas.

His D. Rondeletii rationibus, reſpondet in epiſtola quadam ad Iohannem Bauhinum medicum his verbis.

Quod oxymeli meum attinet, non dubito quædam in eo meliora fieri poſſe: atq; eam ob cauſam viros eruditos conſulo. Sed quale etiam nunc eſt, profectò mirabile eſt. Pleuriticis aliquot etiam puerperis, ſine venæ ſectione, propter debilitatē, dedi, quæ paulò poſt cōualuerant. Et aliquoties expertus ſum, vbi ſanguinis miſſione opus eſt, vi ipſius penetrante ſanguinem pelli, per vterū, hæmorrhoides, nares, nullo periculo: ea copia interdum, qua vix maiorem ſecta vena eduxiſſemus: vt minus iam mirer Dioſcoridem de Crocodilo (cui vis acris & penetrans eſt) tradere, ſanguinem ab eo per nares exigi. Do autem non tàm purgandi gratia, quàm penetrandi, & aperiendi, & incidendi viſcoſos humores, attenuandiq; craſſos, &c. idquè ante purgationes ferè: vt D. Rondeletii argumentum, quo ait roſas aliaq; aſtringentia non debere miſceri purgantibus, hic non debeat mihi obiici, cum purgandi gratia rariſsimè eo vtar. Poſſem autem huic D. Rondeletii ſententiæ, diſputandi ſaltem & diſcendi gratia, obiicere, tum authoritates & rationes quaſdam veterum: tum ipſam naturam, quæ purgantibus non paucis ſimplicibus medicamentis, aſtrictionem aliquam addidit, roſis, rhabarbaro, aloæ, mirobalanis. Et quòd non eadem purgandi ratio omnibus conueniat: ſed pro circumſtantiis diuerſis, alios nulla aſtrictione, alios cum illa purgandos videri.

Aſtringentia quidem addita purgantibus, facere, vt ea corporibus diutius hæreant, noceantq́ue, vt verum eſſe concedam, de liquidis tamen quæ bibuntur, & iis quæ non in ſubſtantia ſumuntur, non æquè erit verum atque iis, quæ in ſubſtantia ſumi ſolent. Et in vehementioribus noxiisq́ue timendum hoc fuerit, nõ in mitioribus, quibus addendum potius aliquod aſtringens fuerit (ſi ſententia hęc ſimpliciter vera eſt) vt diutius manendo, vim ſuam magis exerant. Quòd ſi contumaciores ſunt morbi, & vires ſufficiunt, in vehementioribus etiam pharmacis, modo ritè ſint præparata vel correcta, vt loquuntur, idem facere quid prohibet? Sed hæc in præſentia omitto.

Iam quod ad morbos cerebri, in quibus ſimpliciter acetum damnat D. Rondelletius, non planè conſentio: nam ſi humores multi, craſsi & tenaces caput obſideant, nec aliis remediis facilè cedant, tempeſtiuum & moderatum vel ſcillitici vel noſtri oxymelitis vſum, prodeſſe affirmo, non ſolùm authoritatibus veterum, (quas nunc prætereo) ac rationibus, ſed crebris etiam meis experimentis, in capitis doloribus, vertigine, comitiali, &c.

Non probat etiam tam multa attenuantia. oportere enim πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινεῖν μὴ ὠμά. Sed fortè ipſa craſſorum humorum attenuatio, & viſcoſorum inciſio λέπτυνσις quædam eſt: non propriè, ſed quæ qualiſue ad eductionem ſufficiat.

Nec metuendum eſt, quod poſtremò addit, ne multum vexetur natura tot motibus contrariis: nam cum parcè datur, nec ſæpe, non excitantur vlli motus violenti. non enim ad omnes plureſue meatus, materia ſemper protruditur, ſed in aliis atque aliis corporibus ad alios, quo nimirum natura magis vergit. Itaque hæc rurſus exercendi nos cauſa cum D. Rondeletio conferre te velim. Scis me perparcè exhibere: nempe plerunque drachmas duas, & ferè bis aut ter tantùm: tum quia illico vis eius auxiliaris ſentitur, tum ne quid lædam doſi maiori (niſi vis maior vrgeat, vt cum ciendus eſt vomitus, &c.) aut frequentiori. Miſceo autem alios ſyrupos, liquores, ſapam, aliâs aliud. Superiori autumno cum muſto paraui, loco aceti, de quo guttas aliquot, etiam pueris trimis aut quadrimis non ſemel feliciter dedi. Hæc feſtinanter & tumultuariè ſcripta boni conſule.

Ex epiſtola medici cuiuſdam celebris ad Geſnerum: τοῖς ἐμπλαστικοῖς (inquit) ſingulari conſilio adiecisti radicem althææ: ſed vncia ſemis parum eſt, &c. Reſpondit Geſnerus: Ideò radicis angelicæ, fœniculi, althææ ana vnciam ſemis accepi. Próque elleboro

albo,

albo cortices ellebori nigri. Eius drachmę ſex purgant abſque vl-la moleſtia, & robuſtos.

Rurſus eiuſdem. Miror te in minore tua compoſitione, omitte-re elleborum nigrum, hyſſopum atq; marrubium: vt delicatiori-bus, reſpondit, inſeruirem.

DE VSV ET VIRIBVS *vtriusq; Oxymelitis.*

MAiori rarius vtor, & in maioribus cauſis tantùm. vtrunq; ſa-nè mirificè abſtergit, incidit, aperit. Humores omnes, o-mnia excrementa è corpore protrudit. omnes meatus intus foriſ-que reſerat. A centro ad ſuperficiem pellit manifeſtè, ita vt cutim rubificet, ſicut longiore in balneo mora fieri ſolet. Exanthemata aut puſtulas aliquibus, alióſue tumores excitat, qui alioquin cir-ca interiora fortè colligerentur. Quamobrem ad prę ſeruationem à peſte vſum eius perutilem futurum non dubitârim. Vlcera ha-bentes, vim eius ſtatim in ipſis vlceribus penetrantem & aperien-tem ſentiunt. Præcipua eius vis in epilepſia, aſthmate, & omni-bus ferè morbis à materia frigida, craſſa, tenace, ex phlegmate aut melancholia dependentibus: in capite, ventriculo, thorace, ieco-re, renibus, liene, vtero, articulis. Arthriticis profuturum credide-rim, non ſecus quàm Iuliani oxymel: itemq; iſchiadicis. Menſes manifeſtè promouet: expellit etiam albos, ſi diebus aliquot ſuma-tur: & poſtea dentur pilulæ conuenientes, vt de hiera ſimpl. cum agarico & radicibus aſari. Vrinam & calculos prouocat, præſer-tim cum ſyrupo congruente, vt de floribus Perſicorum. Sangui-nem concretum vbiuis diſsipat, etiam in thorace, inſtante ſuffoca-tionis periculo, per ſe vel cum modico rhabarbaro. Epilepſiam non confirmatam curat. Lumbricos pellit. Pueris etiam dari po-teſt cum pauca ſapa, aut rob ceraſorum, aut vtriſq; mixtis. Sitim aufert cùm alijs plerisq;, tum hydropicis. Spirationem facilitat. Aſthma & orthopnœam curat, aut mitigat plerunq; illico, potum: vel ſi lambatur, per ſe, aut potius cũ oxymelite ſcillitico; et looch ſano alióue, aut cum ſyrupo conueniente, vt ſunt de hyſſopo, de liquiritia, de calamintha. In dyſpnœa & orthopnœa, exhibeo, cum decocto meo de fœnogræco loto, &c. ſemel aut bis in die: ipſum vero decoctum per ſe ſæpius hauriri iubeo paruis potiunculis te-pidis. Aluum aliquibus mouet, maius præſertim: minus verò ſi maiori copia detur, nempe quatuor, quinq; vel ſex drachmarum

pondere, & per tres quatuórue dies cõtinuetur, ſecundo aut tertio ſatis copioſè mouet aliquos. Sanguinẽ pellit, quibus abundat, per quoſuis meatus: vt nares, vel hæmorrhoides, vel vterum. & hac ratione natura, quod redundat, euacuante, à venæ ſectione abſtinere poſſumus in debilioribus præſertim & puerperis, cum pleuritide, aut alio morbo venæ ſectionem requirente laborant. Ego nuper pleuriticum ſenem plus quàm ſeptuagenarium, vena non ſecta, oxymelite minore noſtro cum looch ſano, quo ſæpius vtebatur, pauxillum ſemper lambendo, & ſuperbibendo modicum de coctionis noſtræ de fœnogræco, &c. Dei gratia reſtitui: & ſimiliter anum quandam dyſpnœa periclitantem, & à pharmacis abhorrentem, minimum oxymelitis per interualla cum cochleari vini Cretici dando.

Pleuritici id lambant cum bacillo è glycyrrhiza, admixto looch ſano, vel ſyrupis de liquiritia, hyſſopo, violis, & zulapium bibant ex aqua ſaccharata, cum pauco ſyrupo de glycyrrhiza.

Si vomitum ciere libeat, vt vbi veneni ſuſpitio eſt, vel aliâs, dari poteſt vncia cum dimidio oxymelitis ſcillitici, & aqua tepida fontana, aut deſtillata aliqua: aut potius decocto agarici, cum corticibus & ſemine raphani, ſeminis anethi, radicibus aſari, malua, ficubus. Mouetur autem vomitus tertia ferè hora poſtquam ſumptum eſt, alijs prius aut tardius, nonnullis & aluum ſimul mouet. Sic & arthriticis & iſchiadicis prodeſt. Si vomendi gratia copioſius ſumptum, vt dictum eſt, inſolita quædam ſymptomata induxerit, vt ardorem aliquem, aut inflationem circa guttur, vertiginem, &c. timendum non eſt. Sed æger in lecto collocandus, & vomitus modis omnibus promouendus eſt, vt decocto ficuum tepido, &c. aliquoties repetito, penna inſerta. A vomitu quieſcendum, paulatim enim, ſomno pręſertim ſuperueniente, omnia remittunt.

Frigidioribus & hyeme, datur vtiliter cum aqua ardente & ficu modicè toſta inciſaq́ꝫ, id totum accendi debet, & mox extingui ac ſumi, vel cum vino aromatite, vel aqua de radicibus gentianæ deſtillata, aliáue.

Ad menſes ciendos aqua cinnamomi vtiliter ei miſcetur. Mulier quędam, cum menſes iam diu non profluerent, et remedia varia tentaſſet fruſtra, huius vſu ad fluxum naturalem redierunt.

Incidendi aperiendiq́ꝫ cauſa, dare ſoleo ante purgationes, ita vt drachma vna ad minimum, vel duæ lambantur per ſe, mane, per tres ferè dies: vel cum exigua ſapa, amaritudinem eius tegendi gratia, aut rob ceraſorum dulcium: & aqua hyſſopi aliáue bibantur: vel cum aliquo decocto.

In

In iecoris vel lienis obſtructionibus, fiat decoctum ex chamædry, chamæpity, carduo benedicto, cum radicibus aſari, pauco cinnamomo. Huius decocti vncijs duabus, miſce oxymelitis drachmas duas: & ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro ſeſquiunciã: & repetatur aliquoties, cachecticis, ictericis, & febrientibus pleriſq; vtiliſsimo remedio. In aperiendis quidem obſtructionibus, & incidendis craſsis humoribus, mirificè Medicus quidam commendat, ſub nomine ſyrupi amari.

Phlegmaticis & melancholicis pluſculum & ſæpius dari poterit, hyeme præſertim. Nec poteſt tàm parum eis dari, quin aliqua eius efficacia in corpore percipiatur. Drachma ſemis vel drachma vna ſumpta, exhilarat ſumentem plerunq;, præſertim cum pauculo vino generoſo, vt Cretico alioúe. Frigidioribus vna aut altera gutta aquę vitæ addatur. alijs ficus aſſa, aut aliud gratum. Plerunque drachmas duas cum aliquo ſyrupo ſuaui do, & per duos aut tres dies continuò: ſi verò ſæpius & copioſius ſumatur, faſtidium mouet. Sæpe lambi tantùm iubeo. Sæpe liquores ſtillatitios addo, vt potus fiat: aliquando cum aqua cinnamomi, præſertim ſi menſes mouendi ſint. Datur etiam cum decoctis, vt in iocinoris obſtructione, (de qua iam dictum eſt,) chamædryos, chamæpityos, &c. vel in tali forma.

Recipe alicuius decocti vncias duas, oxymelitis noſtri ʒ. duas, ſyrup. de cichor. cum rhabarb. vnciam vnam ſemis, miſce, fiat potus, qui aliquoties repetatur. Pueris verò hoc modo dari poterit.

Recipe oxymelitis noſtri drachmam vnam, rob de ceraſis, mellis cocti ana ligulam vnam, miſce.

Dari poteſt mane et veſperi, tribus aut quatuor ante cibum horis. nuper enim crapuloſus quidam & cibum faſtidiens, cum drachmas quinque ſumpſiſſet mane, cum decoctione communi ſolutiua: ac rurſus horis quatuor ante cœnam, ſuprà infràq; purgatus eſt, & appetitus redijt.

Tempore peſtis ad præſeruationem ſumi poteſt bis aut ter in ſeptimana. Putredini enim mirificè reſiſtit, partim euacuando per diuerſas vias paulatim, partim aperiendo meatus omnes, partim etiam conſumendo. Erit autem exhibendum cum ſyrupo de betonica, vel de acetoſitate citri.

An vero etiam in curatione peſtis locum habeat, nondum omnino conſtitui, non quòd rationes, ſed quòd experimenta deſint. Vicinæ nuper peſte laboranti, die quarto vel quinto cum darem (nam à principio non conſuluerat me) punctura lateris & alia

multa ſymptomata remiſerunt ſtatim, & conualuit Dei gratia. Auſim ſanè à principio etiam dare, mixto aliquo leui ſoluente pharmaco, hunc in modum.

Recipe oxymelitis noſtri minor. ℥.ij. vel iij. ſyrupi de roſis ſolutiui, decocti communis cum folijs ſenę, &c. ana vncias duas, miſce, fiat potus. Si tamen vomitum timerem, eum prius leniter prouocarem. Quòd ſi aluum molliri nihil opus videretur, præberem nihilominus oxymelitis noſtri drachmas duas, cum duplo ſyrupi de limonibus aut citreis. idq́ repeterem tertia aut quarta ſemper hora, per vnam atque alteram diem: interdum drachmam vnam ſolum aut ſemis, pro diuerſis indicationibus, oxymelitis dando. Nam et venenatos, alioſq́ malos humores mirè à centro ad ſuperficiem pellit. qua ratione venenum peſtilens etiam ad apoſtemata protrudi poſſe veriſimile eſt: quod in hac curatione primarium fuerit. Ventrem non ſubducit, aut perparum, niſi maiore copia detur. Sitim interim & alia ſymptomata mitigabit. Mulieribus etiam & virginibus menſes mouendo prodeſſe poterit, vt venæ ſectione minus ſit opus.

Ad eadem omnia minori vtor, tutius, & diutius continuando, ſi ęger bene ferat, ad ſex vel ſeptem dies. tunc enim intermitti aliquod tempus poteſt, &, ſi opus ſit, repeti. Minori certè frequentiſsimè vtor, & magno cum ſucceſſu in varijs ægrotis: vt nuper in puerpera, aſthmatica ſimul & epileptica, cum hydropis initio, quia purgatio non proceſſerat. Durat multis annis. Similem compoſitionem Gallus quidam medicus ante multos annos domi meę in meam gratiam parauit: qua cum feliciter vſus eſſem in epilepſia, alijſq́ morbis: illius & Iuliani oxymelitis imitatione, mea hæc paraui. In ijs mutare quiſq́ pro arbitrio poteſt: modò ne ellebori deſim augeat. Elleborus quidem vterq́ curandum vt ſit bonus, ſiccus, ſolidus, albus, ſi frangatur interius. Loco alto colligi velim, non humili, nec humido nimis: vt in noſtris alpibus verſus Septentrionem.

VARIORVM MORBORVM HISTORIAE *& curationes.*

MVlier cephalæa & vertigine laborans, ſequentibus remedijs eſt reſtituta. Recipe oxymelitis noſtri minoris vnciam ſemis, ſyr. de ſtœchade, de hyſſopo ana drachmas tres, Aquarum cinnamomi drachmas duas, aquæ calidæ noſtræ vnciam vnam, miſce,

miſce, vtatur quatuor doſibus. Deinde. ℞. pilul. de agarico, ℨ.j. fiant pil. x. ſumat tres in lecti introitu, reliquas mane. Aluus bis tantùm mota eſt, ſed remiſerunt tamen accidentia. Sed prætérea etiam vſa eſt confectione de carabe cum aqua cinnamomi.

Delirus quidam, cum oxymelite minore & alijs quibuſdam, digeſtionis cauſa aliquoties eſſet vſus: ſequenti poſtea egregiè eſt & copioſè euacuatus. Recipe decocti communis cum ſenæ ℥.ij. & ſemis, ſyrupi de roſ. Perſicis ℥j. oxymelitis noſtri maioris vnciam ſemis, miſce, fiat potio.

Hemiplectico Archigrammatæo noſtro, cum præ plenitudine humorum in faucibus ſonum ederet, ac nihil reijceret, dedi cum ſyrupo de liquiritia oxymel meum, & reiecit, & melius habuit.

Epilepſiæ obnoxius, quandiu vſus eſt altero aut tertio die modicè, bene habuit: cum deſijt, malum repetijt: ſic & alius quidã puer epilepticus. Cuidam alteri epileptico dederam cum aqua calida noſtra & aqua cinnamomi: ſed inde aluus ei ſiſtebatur. Vnde dubitatio hęc oritur, ad modum exhibendi pertinens: vtrum aquæ deſtillatæ, & præſertim cinnamomi aluum ſiſtant, an verò ſemper ſcilliticum eò nomine admiſcendum ſit? in primis epilepticis. Vel cum decocto fœnogræci, vt minus ſiſtat acetum: vel cum ſyrupis roſ. ſolut. de violis, aut Perſicorum floribus. Epileptica virgo, annorum 19. curata à me eſt Dei gratia. Hæc, malum accedens, præſentiebat, nec cadebat: à matrice ſurſum ferebatur, licet menſes habuerit: venter turgebat in paroxyſmo. Poſt paroxyſmum ad tres dies infirmior eſt capite: & latus alterum ferè totũ reſoluitur. Vrina phlegmatica, albicans: corpus vegetum, carnoſum. ℞. gentianæ ℨ.vj. aſtrantiæ electæ ℨ.iij. miſce, fiat puluis craſsiuſculus, inciſus. Ter decoxit in aqua, & 14. diebus aliud nihil bibit: eoq; toto tempore nullum ſenſit paroxyſmum. Iuſsi pergere: & mane tantũ ſumere parum. per diem verò decoctum hyſſopi bibere. Itemq;. ℞. oxymelitis noſtri ℨ.vj. ſcillitici ℨ.iiij. mellis ℨ.x. pro tribus vicibus. His liberata eſt à morbo D.G.

Putarim & in dentium dolore profuturum, per ſe calidum ore retentum (vel piretri & ſtaphis agriæ puluere addito) præſertim maius.

Viginti annorum nobilis virgo, quotidiana febri laborabat cũ orthopnœa (præceſſerant aũt tonſillæ, vnde materia craſſa, itemq; pus in ventriculum ab eis, delapſa erant: non poterat enim omnia excreare) per tres noctes grauiſsima: dedi oxymeli meum, euidenter profuit. Vrina erat phlegmatica & craſſa, hypoſtaſi quoq; craſ-

ſiuſcula, alba, ſubſidente. Sumpto autem oxymelite bis vel ter, ſanguinem per nares ſatis copioſum reddidit, ac melius habuit.

Orthopnoicus annorum ſeptuaginta, bis ita conualuit, Dei gratia, vt aliquot menſibus poſtea malum non redierit. Recipe oxymelitis noſtri minoris drachmas ſex, maioris, ſcillitici ana drachmas duas, ſapæ drachmam vnam ſemis, aquarum calidæ maioris noſtræ, hyſſopi, pulegij ana vnciam vnam, fiat potus, vtatur per triduum mane. Quarto die. Recipe pil. de agarico drachmam vnam, cochiarum ſcrupulum vnum, ſine quibus drachmam ſemis, euphorbij grana quinq;, fiant pilulæ nouem, cum melle roſ. quæ aſpergantur liquiritia: quarum tres ſumat in lecti introitu, reliquas mane.

Cuidam ſeni dyſpnœa laboranti, cum craſsiſsimum phlegma expueret, nihil dormiret, exhibui oxymelitis ſcillitici drachmas duas, noſtri minoris, drach. duas ſemis, aquæ hyſſopi drachmas quinque, miſce: ſexies hoc vſus eſt, & profuit: niſi quod caput tandem tentaret. Idem profuit & anheloſo cum catarrho & ſuſpicione calculi.

Argentinæ reſtituta eſt oxymelite meo mulier quædam, quæ ob pituitæ in thorace contentæ copiam, penè ſuffocabatur.

Mulieri difficulter excreanti cum ventre duro & inflato, ſequentia excreationem plurimum promouerunt, ventremq; emolliuerunt. Recipe oxymelitis noſtri minoris vnciam vnam ſemis, ſyrupi de liquiritia vncias tres, aquarum hyſſopi, pulegij, ana vncias quatuor, ſapæ vnciam vnam, vtatur hoc ſeptem vel octo diebus mane & tepidè: poſt vnamquanq; doſim, tabellam vnam diairis ſimpl. Poſt purgetur. Recipe pil. aggregat. de agarico ana ſcrupulos duos, euphorbij, ſalis gemmei, diagridij ana grana nouem, fiant pilulæ viginti & vna, vtatur triduo.

Cuidam tuſsienti & repleto viſcoſis humoribus, exhibui in ſequenti forma, & plurimum adiutus eſt. Recipe oxymelitis noſtri minoris drachmas tres, aquæ abſinthij drachmas ſex, ſapæ drachmas quinq;, miſce, fiat potus, capiat duobus diebus mane, medietatem pro vice. Deinde. Recipe decocti communis cum ſenę vncias tres, adde agarici, turbit, rhabarbari ana drachmam ſemis; infunde per noctem, exprime & cola, & adde ſyrupi de roſis Perſicis vnciam vnam ſemis, fiat potus.

Quidam temperamento frigidiore, laborans obſtructionibus hepatis, cum tuſsi ſicca & tumore ſeu inflatione pedum: vrina tenui & albicante, melius habuit vſu huius ſyrupi. Recipe oxymelitis

litis noſtri minoris ʒ.v.ſyruporum de calamento,de hyſſopo ana ℥.j.ſ.aquarum pulegij,hyſſopi, ſaluiæ ana ℥.j.ſ. miſce,fiat potus, pro tribus doſibus.Vſus eſt etiã vino inulato cum naſturtij ſemine.

Hydropicis & cachecticis illico profuit, aſthmate ſimul & ſiti remiſsis.

Mulier quædam octodecim annorum arthritide laborauit,quę circa Ianuarium menſem aliquoties repetebat, vnà cum menſium defectu: colore pallido erat, & dorſi dolorem & lateris ſiniſtri ſentiebat, & poſt phlebotomiam ſemper deterius habuit.Ordinaui.Recipe oxymelitis noſtri maioris drach.ij.minoris drach. iiij. ſyrupi de arthemiſia vncias tres, aquarum calidæ maioris noſtræ vncias tres,minoris vnciam vnam ſemis,aquæ cinnamomi drachmas tres, miſce, fiat potus, capiat quatuor doſibus mane calidè. Tum iterum. Recipe pil. alephangin. drach. vnam, pil. de hiera ſimpl.drach.ſemis,miſce,fiant pilulę quatuordecim cum oxymelite ſcillitico,aſpergantur liquiritiæ puluere. Vtatur duobus diebus continuis mane cum pauco melle. Item. Recipe inulæ drach. quinque,ſaluiæ,ſabinæ ana manipulum vnum, bulliant cum pauco melle in aqua,bibat mane: ad ſudorem mouendum. Profuit, & ſudorem egregiè mouit.

Nobilis quædam virgo,diuturna febri febricitans, poſt ſequentium vſum, mox conualuit. Recipe oxymelitis noſtri minoris ʒ. ſex,ſyr.de cichor.cum rhab.de eupatorio,ana ℥.vnam, aquarum fœniculi,meliſſæ,abſinthij,ana drach.decem, miſce. Recipe ſucci gratiolæ ſcrupulos duos ſemis, fiant pilulæ tres cum radicibus aſari tritis & cinnamomo ana quantum ſufficit,aſperge liquir.vtatur ter alternis diebus.

Pro quartanaria muliere cum colica. Recipe oxymelitis noſtri minoris drachmas ſex,ſyr.de eupatorio vncias tres, aquarum hyſſopi,pulegij, cichorij ana ℥. vnam, aquæ cinnamomi ʒ. duas, miſce,fiat potus. Ab hoc potu,reliquit illam febris. Deinde verò cum colica ſuperueniret, vſa eſt clyſtere ex decocto maluæ, biſmaluæ, furfuris, &c. cum oleis de lilijs, violis,chamomelino: & diaphoen. & confectione hamech.Poſt hæc.Recipe aquarũ menthæ criſpæ,lactucæ,ana ℥. j. olei vitrioli guttas quinq;, fiat potus. Recipe philonij Romani ſcrupulum vnum,theriacę nouę ſcrupulos duos, aquarum fœniculi,borraginis ana vnciam vnam,lactucæ vnciam ſemis,miſce,fiat potus. Sanata eſt his ſtatim.

Ad vomitum mouendum, pro ijs præſertim, qui difficilius vomunt,vel in ſuſpicione veneni,conſideratio noſtra.

Primùm, bibantur vnciæ tres olei oliuarum, vel butyrum crudum edatur.

Secundò, vnciæ quinque decocti hordei diu diſcocti cum ficubus, & per linteum rarum expreſsi.

Tertiò, oxymelitis ſimplicis vncias duas ſemis. vel ſcillitici vnciam vnã, cum decocto agarici, aſari & corticũ raphani, vel raporum acriorum.

Quartò, raporum acrium, vel raphanorum cortices, cum furfure decoquantur, pauco melle, ſinapi, cepis & aceto adiecto, ad vncias quinque.

Quintò, aſtrantiæ, vel aſari, vel ſpicæ celticæ radicis puluis è iure pingui drachmam vnam & ſemis.

An pro fortioribus, oxymelitis elleborati noſtri vnciam vnam & ſemis primùm dabo? Et deinceps reliqua: ſingula verò intra quadrantem horę, ita vt intra horam vnam & ſemis omnia ſumantur. Semper inambulando, vel primùm ſtando, aut leuiter ſaltem mouendo corpus, tandem verò citatius.

Nota. An vomitorium poſtremo ſumptum, innatans alijs, & attingens os ventriculi, citius nauſeam mouebit, quàm ſolum, paucum, & in fundo ventriculi?

Hæc omnia nos multifariam experiendo obſeruauimus: vtor equidem frequentiſsimè, & magno cum ſucceſſu iam annis decem ferè: nec vnquam dediſſe penituit. Dederam aliquando tonſoris mei vxori: quæ cum vomitum prohibere voluiſſet, in periculum incidit, non quidem per ſe, ſed ex accidente: iuuandus enim & promouendus is eſt, ſi ſuperueniat, non cohibendus. Rarò tamen ſuperuenit, nec niſi drachmæ ſex aut amplius ſumantur. Periclitatus eſt & alius, qui paulò poſt pharmacum, multum cibi ingeſsit, & cum alijs oua butyro frixa. Alius præterea nemo ex innumeris quibus dedi, & do quotidie. Quamuis autem interdum videatur nonnihil obeſſe ori ventriculi: mox tamen remittit, cibo præſertim ſumpto, & magis cum is dulcis calidusque eſt, vt ceraſa cocta cum ſacchara vel paſſulis. Mulier etiam quæ vlcus varicoſum in tibia habebat, non bene ferebat hoc oxymeli, quo ad vlcus, alioquin plurimum ei proderat: nam vlcus irritari dicebat, medicina illico penetrante, ita vt ſanguis etiam ex vlcere prodiret. Plura de hoc experiundo, medici induſtrij paulatim cognoſcent: & vtrique compoſitioni quæ voluerint, addent, adiment, tùm rebus tùm ponderibus, pro diuerſitate morborum et indicationum variarũ. Verbi gratia, ad calculum ſi quis vti voluerit, compoſitioni, inulam,

cyperum,

cyperum, lauri baccas, ſaxifragas & uitrum vſtum addere poterit: aut compoſitioni noſtræ qualis eſt, vti, rebus illis, quas diximus, adiectis vſus tempore, ſiue tritis, ſiue ſtillatitio earum liquore aut decoctione: nam & per ſe iuuat oxymeli vtrunq; noſtrum, hunc & alios innumeros affectus, & medicamentis alijs additum citius longiusq; ea penetrare facit. Quo pacto verò parari debeat ac poſsit, vt calculos infringat, ex ſubiecto deſcriptionis modo conijci poterit.

OXYMELITIS ELLEBORATI NOSTRI, *cum ad frangendum calculum exhibendum fuerit, deſcriptio & vſus.*

EX præmiſſa minoris deſcriptione ſequẽtia ſubtrahenda erunt: carduus benedictus, roſæ rub. menta criſpa, turbit, eſula præparata, & cinnamomum. Horum loco ſubſtituenda ſunt quæ ſequuntur: Baccæ lauri & iuniperi, ſaxifragia alba & hircina, inula, cyperus, flores ſambuci, vitrum vſtum, &c. Ex his & alijs componi poteſt oxymeli elleboratum minus ad frangendũ calculum, ad hunc ferè modum.

Recipe calamenti montani, vel cattariæ herbæ, thymi Cretici vel maioris capitati, dictamni Cretici vel pulegij, adianti ana pugillum vnum. Baccarum lauri & iuniperi ana drach. ij. Florum anthemiſiæ, fœniculi, betonicæ, tunici vrbani, anthos, arthemiſię, chamæmali interioris partis, id eſt, luteæ, meliloti, ſambuci, ana pugillum vnum. Sem. aniſi, fœniculi, anethi, ocimi, vrticæ Romanæ ſeu maſculæ ana drach. vnam. Corticum citri, myrrhæ ana ℈. ij. Radicum zinziberis, angelicæ, petroſelini, nardi Celticæ radicularũ ſine folijs, althæę, ſcillæ interioris, iridis, polypodij, ſaxifragię albæ vel alterius cuiuſpiam, & hircinæ, quæ ſimilis eſt pimpinellæ, inulæ, cyperi ana ʒ. iij. Ellebori albi in altis montibus collecti & locis perflatis ad Septentrionem, eſulæ aceto præparatæ ana ʒ. ij. Radicum aſari ʒ. vnam & ſemis. Granorũ halicacabi ℥. ſ. Galangæ, calami aromatici ana ʒ. vnam. Infunde in aceti fortiſsimi libris duabus, vini maluatici lib. j. in vitreo vaſe aut figlino obturato ad ſolem uel loco calido ad dies quinq;. Decoque in terreo vaſe aut lapideo ad dimidium, tum cola modicè exprimendo, & adde Sacchari & mellis deſpumati ana ℥. v. fiat ſyrupus, qui aromatizetur cum croco & macis.

Huius ſumantur ʒ. ij. pro doſi, cui addatur nonnihil ſyrupi de floribus perſicorum, pręſertim ſi aluus durior ſit, vel de violis, vel

de liquiritia, vel de radicibus, aliquando & ſapę parū: mane lingatur tepidum, bis aut ter in ſeptimana.

Ad hunc modum inſtitui poteſt compoſitio huius oxymelitis contra calculum, quæ tamen pro cōſilio & arbitrio medici præſentis immutari aut variari poterit. Nec eſt, quod quiſquā ab elleboro albo abhorreat, cum tam modicè & in parua doſi ſumatur, & ego tali modo quotidie & fœlicisſimè in meis ægrotis vtor. Aliquando addi poſſunt tres aut quatuor guttæ olei vitrioli. Aliquando etiam deſtillari ſimul omnia poterunt, adiecta granorum iuniperi & de nucleis perſicorum ana ℥. ſ. conciſorum minutim, idq; in cineribus.

Aliquando etiam addi poterit vitrum vſtum, mandibula Lucij vſta, teſtæ cochlearum vſtæ, & ſem. fœniculi vſtum. De vitro vrendo conſulenda eſt Ioannis Langij epiſtola 58. lib. epiſt. 2. ex Auenzoare. Vitrum album denſiuſculum illinit alchitran; id eſt, cedria (pro qua oleum de iunipero capi poteſt) & candefacit, tum extinctum in aqua, rurſum illinit: idq; ſepties repetitur, & facit alchool, cuius ʒ. j. datur in vino albo mane: calculos veſicæ conterit Galeno & Auicennæ. Ergo ad calculum veſicæ poneretur huius vncia vna aut circiter.

In curando calculo, talis remediorum ordo ſeruari fortè poterit. Hora ante cœnam, deglutiatur pilula vna aut altera è bdellio & terebinthina, liquiritia aſperſa. Sumatur etiam cū cibo, vel proximè ante cibū ſal medicatus è iure pingui. Mane verò hora quarta oxymel: tribus horis inde balneum cum maluis ingrediatur: è balneo in lecto ſudet modicè, dormiat: inungatur circa lumbos oleo iuniperino, vel vtatur clyſtere emolliente, interdum cum terebinthina: exerceatur fortius: quieſcat: prādeat: & diæta cōueniens præſcribatur. Hoc ordine procedat aliquot diebus.

MEDICAMENTORVM A GESNERO INVENTORVM, QVORVM *in hoc libello frequens mentio fit, deſcriptio.*

AQVA CALIDA MAIOR GESNERI.

RECipe radicis gentianæ ℥. ij. inulæ campanæ ʒ. vj. galangæ, calami aromat. ana ʒ. j. & ſ. ſeminum carni, fœniculi, aniſi, apij, caryophyllatæ ana ʒ. j. cort. citri ʒ. ij. baccarum iuniperi manipulos

pulos quatuor, cinnamomi optimi vncias duas, herbarum meliſſæ, hyſſopi, rutæ, abſinthij, adianti, violarum, ceterach, roſarum rubearum, pulegij, betonicæ, agrimoniæ ana manipulos duos, calamenti, chamæpityos ana manipul. j. flor. borraginis, bugloſſæ, ana manip. j. aquæ fontanæ q. ſ. infundantur per quatuor dies in vaſe figlino, deſtillentur vt aqua cinnamomi.

AQVA CALIDA MINOR GESNERI.

RΕcipe herbarum ſaluiæ minor, hyſſop. pulegij, ana manipulos quatuor, zinziberis vnciam ſemis, cinnamomi vnciam vnam, ſem. aniſi vnciam vnam, contundantur & infundantur in lib. tribus aquæ fontanæ, deſtillentur per veſicam ſecundum artem.

AQVA FRIGIDA GESNERI.

REcipe flor. roſarum violarum, ana manipulos iij. flor. borraginis, bugloſſæ, nymphææ ana manipul. j. ſeminum cucumeris, cucurbitæ, ana pugill. vnum, ſem. portulacæ, lactucæ, papaueris albi & nigri, ana drachmam ſemis, betonicæ manipul. ij. radicum cichorij, manipulum vnum, caryophyllorum drachmas duas, aquæ fontanæ lib. quatuor, conciſa infundantur per horas tres, deſtillentur in balneo Mariæ.

DECOCTVM FOENOGRAECI LOTI, &c. *Geſneri.*

REcipe ſeminis fœnogræci loti conquaſſati, ſem. vrticæ, ana drachmam vnam, ſem. baſiliconis drach. ſemis, flor. maluæ, violarum, pulegij, adianthi veri ana pugillum vnum, ficus numero quinque, radicum althææ, liquiritiæ ana drachmam vnam, aquæ fontis libras ij. ſ. fiat decoctio ad tertiæ partis conſumptionem, addantur in fine ſacchari vnciæ duæ.

FINIS.

J577
G39le

17-101